14
7 G
7

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

5

AMMONIVS IN PORPHYRII INSTITVTIONEM.

MAGENTINVS in librum Ariſtotelis de Interpretatione.
MAGENTINVS in Priora Analytica.
NILI de ratiocinationibus libellus.
GEORGII PACHYMERII epitome in uniuerſam Ariſtotelis artem diſſerendi.

IOANNE BAPTISTA RASARIO INTERPRETE.

Ex eiuſdem interpretis recognitione.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEBASTIANVM GRYPHIVM,
M. D. XLVII.

B. S.

SEBAST. GRYPHIVS LECTORI S.

CVM non ita pridem in doctiſſimas haſce Baptiſtæ Ra
ſarij interpretationes incidiſſem, humaniſſime Lector, di-
gnæ prorſus mihi uiſæ ſunt, quæ quàm emendatiſſimè ex-
cuſæ in publicum prodirent, quæq; eorum omnium, qui fa-
cilem ſibi ad Philoſophiæ adyta uiam quærunt, manibus tererentur. Na
ctus itaq; exemplar diligentius à Raſario ipſo recognitum (nam ſuperi-
ori illa editione neq; hominum eruditorũ deſiderio, neq; interpretis ipſius
expectationi à typographis erat ſatisfactum) totis eò neruis incubui, ut
opuſcula igni penè & aqua (quod dici ſolet) magis neceſſaria, quàm emen
datiſſima in ſtudioſorum manus peruenirent. Cuius quidem meæ
induſtriæ me fructum quàm uberrimum conſecutum arbi
trabor, ſi hoc quicquid eſt laboris, quod in hiſce
Raſarij lucubrationibus ornatè emenda-
teq; emittendis à nobis eſt impen-
ſum, candido animo
exceperis.
Vale.

*

AMMONIVS IN PORPHYRII INTRODVCTIONEM,

IOANNE BAPTISTA RASARIO INTERPRETE.

QVONIAM de Philoſophia diſputationem inſtituimus, neceſſe eſt, ut quid ea ſit, cognoſcamus. Is enim, qui aliquid aggreditur, quid illud ſit, prædiſcat oportet, quo rem ſtudioſius, & diligentius perſequatur: cumq́; definitiones nobis res declarent, quonam pacto quippiam ex definitione percipiemus, niſi quid ea ſit, prius didicerimus? Igitur Definitio eſt oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid ſit, quàm breuiſsime. Et nomen ab agrorum terminis per translationem traxit: nam ut illi rura aliena à noſtris diſtinguunt, ſic Definitiones rem aſſumunt, ac à cæteris omnibus diſiungunt. Nunc igitur, quandoquidem ita neceſsitas cogit, Philoſophiæ definitiones exponemus. Veluti enim cùm rudimenta grammatices ordimur, Grammaticen earum rerum, quæ à poëtis, hiſtoricisq́; dicuntur, ſcientiam eſſe definimus: eodemq́; modo cùm primùm ad initia Oratoriæ facultatis accedimus, illam orationis ad perſuadendum accommodatæ uim eſſe quandam arte coniunctam in ciuilibus cauſis, cuius benè dicere ſit finis, affirmamus: ſic Philoſophiæ definitio percipienda eſt, quoniam ea reliquis ſcientiis, & artibus definitiones tradit. Atqui omnis ſcientia, atq; ars ſubiectum aliquod, & finem habet. Subiectum illud appellatur, in quo uerſatur: Finis eſt id, ad quod refertur, & quod ipſa omnino deſiderat: uelut hac exempli appoſitione perſpicuum, ac planum fiet. Medicinæ ſubiecta ſunt humana corpora, quoniam in iis uerſatur: eiuſdem finis eſt, ualetudinem recuperare, ſiquidem eò ſolùm medicus tendit. Ligna quoq; fabro tignario ſubiiciuntur, isq́; illi finis eſt conſtitutus, abacum ut efficiat: quod in cauſa eſt, ut omnis definitio ex ſubiecto, aut fine, aut ab utriſq; ſimul iunctis aſſumatur. Ex ſubiecto, hoc modo: Medicina ars eſt, quæ in humanis corporibus uerſatur. A fine autem ſic: Medicina eſt ars ualetudinis. Ex utriſq;, Medicina eſt, quæ in humanis corporibus uerſatur, & ualetudinis ars eſt. Aſtronomia quoq; cùm ſcientia ſit, cœleſtia corpora habet ſubiecta, finemq́; motuum ipſorum cognitionem. Nunc igitur quid Philoſophiæ ſubiiciatur, quidq́; finis ſit, percipiamus, ut eius definitionem tradere poſsimus. Animaduertendum enim eſt, cùm reliquæ artes, ſcientiæq́; omnes in peculiaribus quibuſdam uerſentur, ut ars fabri lignorum in lignis tantùm, & aſtronomia ſolùm in rebus cœleſtibus, ſolam Philoſophiã in omnibus, quæ ſunt, uerſari, finemq́; habere, non ut illa efficiat omnia, ſed ut cognoſcat. Ac multis quidem modis explicatur Philoſophia: ſiquidem ueteres Philoſophi multas eius definitiones ſcriptas reliquerunt: ac ne omnes, quas nonnulli ambitione magis, quàm rei neceſsitate adducti, memoriæ prodiderunt, recenſeamus, quinq;, uel paulò plures commemorabimus: quarum duæ ex ſubiecto, & duæ ex fine oriuntur: quinta propter eam, quam ad cæteras artes habet, excellentiam apponitur: iis præterea ſexta, quæ ex ui nominis aſſumitur, accedet. Prima igitur definitio hæc eſt: Philoſophia eſt rerum, ut ſunt, cognitio. Philoſopho non ſingulos, qui inter uiuos agunt, homines ad unum ſcire, ſed hominis tantùm naturam cognoſcere, propoſitum eſt: utpote qui rei cuiuſq; uim, & notionem contempletur. Alteram philoſophiæ definitionem hanc eſſe uoluit princeps ingenii, & doctrinæ Plato. Philoſophia eſt cognitio rerum diuinarum, atq; humanarum. Conſtat tamen inter omnes, hanc nihil à prima diſcrepare: hoc tantùm habent diſcriminis, ut hæc notior, atq; apertior ſuperiore uideatur. Nam cùm Plato res diuideret, quæ ſempiternæ eſſent, Diuinas: caducas uerò, & ortui, interituiq́; ſubiectas, Humanas appellauit. Definitiones igitur, quæ ex ſubiecto ſumũtur, patefactæ iam ſunt illæ quidem, ſed nihil inter ſe differunt, præter quàm, quòd hæc notior ſit, illa minus cognita. Tertiam, quæ ex fine eſt, Plato ſic literis monumentisq́; conſignauit: Philoſophia homini cum Deo ſimilitudo eſt, quantum homo aſſequi poteſt. Nam cùm duplex Dei ſit actio Notionis, qua cuncta cognoſcit, quod ſic poëtæ atteſtantur,

Dij omnia norunt.

& inferiorum Prouidentiæ, qua mundum uniuerſum gubernat, ut iidem Poëtæ inquiunt,

Dat bona perpetuo ſummi regnator Olympi.

Philoſophus operam dat, ut in utraq; Deo quàm ſimillimus euadat: uult enim omnia contemplari, (conſiderat enim omnia) ac prouidere: ſiquidem inferiorum curam gerit: nam Politicus philoſophus & iudicat, & leges præſcribit. Ita fit, ut Philoſophia merito ſit homini cum Deo ſimilitudo. Illud autem, quantum

homo conſequi poteſt, rectè ad definitionem adiungitur, quippe cùm nec eadem cognitio ſit, nec prouidentia,

–Neq; enim ſimile eſt genus unquam
Immortale Deûm, atq; hominum, terra egreſſorum.

Quorum enim cunq; uis, atq; natura diuerſa eſt, eorundem quoq; perfectiones diuerſæ ſunt: quod in cæteris etiam animantibus, homine uidelicet, atq; equo clarum eſt, & perſpicuum: quorum quia differt natura, diſsimiles eſſe perfectiones comperiuntur: quippe cùm hominis perfectio ſit, honeſtè, id eſt cum uirtute uiuere: equi uerò, acrem, uelocemq́;, & bello idoneum eſſe. Quin etiam in iis quæ ſunt rationis expertia, nunquam finem, & perfectiones diuerſas, niſi naturas quoq; diuerſas uideremus: nam aliud cani eſt natura, aliud boui, aliud homini. Quòd ſi in iis, quantò magis in homine, ac Deo? Ex quo fit, ut cùm non parum diſsimiles habeant naturas, diſsimiles itidẽ perfectiones habere cogantur. Iuſtis igitur de cauſis, quantum homo aſſequi poteſt, definitioni adiectum eſt, Philoſophia itaq; eſt, quantum aſſequi homo poteſt, Dei ſimilitudo. Quid uerò, ut ſic definiretur fuerit in cauſa, dicendum eſt nobis: quoniam, ut diximus, duplex eſt Dei uis, cognitionis, & actionis: ita in animis noſtris contemplatio, & actio ſunt, quæ efficiunt, ut cùm philoſophus utranq; animi partem ad imitationem Dei ornare cupiat, uel dum rerum omnium naturam perſcrutatur, uel cùm patibiles uires animi cum diuinarum rerum contemplatione coniungit, ſupra hominem extollatur: idq́; in cauſa fuit, ut Plato philoſophiam, quantum homo aſſequi poteſt, Dei ſimilitudinem eſſe definiuerit. Sequitur altera ex fine definitio: Philoſophia commentatio mortis eſt. At quoniam hæc definitio Philoſophiam mortis eſſe commentationem declarat, quomodo ea intelligenda ſit, paucis exponam. Cleombrotus quidam, cùm eum diuini Platonis librum, qui eſt de Animo, diligenter euolueret, philoſophumq́; mortẽ meditari debere uideret, ignarus quid ſibi uellet mortis illa commentatio, murum aſcendit, ſeq́; inde abiecit. id quod poëtæ cuiuſdam epigrammate nobis eſt notum, atq; teſtatum:

Phœbe uale, dixit, deq́; arce Cleombrotus alta
Se dedit in Stygios Ambraciota lacus:
Nullum in morte malum ratus eſſe: ſed aurea dicta
Phedonis de anima non bene nota ſequens.

Huius quidem horribilis caſus in cauſa fuit ignorantia: nam quomodo mortis meditatio intelligẽda eſſet, cõſiderare debuerat: præſertim cùm ſibi manus inferre, nemini licere iis uerbis moneat ille longè omnium, quicunq; fuerunt, grauitate dicendi princeps Plato: Etenim, inquit, ſermo ille, qui de iis arcanis habetur, hominem ueluti in quadã eſſe cuſtodia, ut ex illa ſeipſum ſoluere, aut aufugere non deceat: magnus mihi quidem, & ualde abſtruſus uidetur. Atq; hæc quidem ille. Nefas igitur eſt, quenquam ſibi ipſi mortem conſciſcere. nam quemadmodum leges uetant, eum, qui uinctus in cuſtodiis habetur, ulla carceris uincula rumpere: ita etiam Deus, qui corporis noſtri uinculum diuina prouidentia ſua coniunxit, uetat iniuſſu hinc nos ſuo demigrare. Quòd ſi ita ſe res habet, quonam modo Philoſophiam mortis commentationem dicemus? mentes ueſtras adhibete, & hunc uobis ex animo ſcrupulum euellam. Nam cùm homo conſtet ex anima, & corpore: ut ex duobus componitur, ita & animæ diſceſſus à corpore duplex erit. Eſt enim quoddam naturale uinculum, cuius beneficio corpus animæ alligatur, uitalemq́; ab ipſa ſpiritum trahit: quoddam uerò uoluntarium, quo corpori coniungitur, eidem ſeruiens, & ſubiecta. Duplex igitur erit ſolutio: una, per quam corpus ab anima: altera, per quam anima ſoluetur à corpore. Mors quoq; duplex erit: altera naturalis, cui omnes obnoxii ſumus, quam obimus, cùm corpus ab anima ſeparatur: & altera uoluntaria, cùm ſcilicet philoſophi contemplationibus animũ à corpore diſiungunt. Philoſophi igitur mortem meditari, id eſt, animum à rebus corporeis ſeuocare dicuntur. Hoc præterea non eſt ignorandum, cùm corpus ab anima ſecernitur, animam omnino à corpore non ſegregari: tantopere enim animæ corpora diligunt, ut etiam poſt mortem in amore perſeuerent: quocirca nonnulli umbras & ſimulacra quædam apud tumulos mortuorũ uideri exiſtimant. ſed neq; cùm anima à corpore, corpus ab anima penitus ſeiungitur. Philoſophi enim, qui adhuc uita fruuntur, & philoſophiæ parent, ſeipſos à corporibus abducunt. Philoſophia igitur eſt mortis, hoc eſt, animæ ſecretionis à corpore, meditatio. Reſtat, ut quæramus, Si philoſophia finem habet eorum, quæ ſunt, cognitionem: quo iure primam definitionem, quæ ait, philoſophiam eſſe, rerum, quia ſint, cognitionem: & eam, qua philoſophiam rerum diuinarum, & humanarum cognitionem eſſe affirmamus, ex ſubiecto, & non ex fine aſſumi dictum ſit: nam uelut Medicinæ ſcientiam, in eo ipſo, quòd in humanis corporibus uerſatur, ex ſubiecto, & dum efficit ualetudinem, ex fine, ad quem intendit, definiri aſſeruimus, ita quoq; de philoſophia dicẽdum fuerat: quæ ſi finem habet rerum cognitionem, ſuperiores definitiones ex fine ſumi, neceſſariò dicendum uidetur. Primùm illud uos ſcire uolo, cùm duo philoſophiæ ſint genera, primũ, quo contemplamur, alterum, quod eſt in actione, duos item fines ſortitam eſſe. quando enim philoſophiã mortis meditationem dicimus, illam ex fine, qui in actione eſt, definimus: cùm rerũ, quia ſint, cognitionem, ex eo fine explicamus, qui cognitione cõprehenditur: cùm uerò Dei ſimilitudinem, quantũ aſſequi mortalis poteſt, definitio ex utriſq; fit. Medicina, quæ miſta eſt, quando ex contemplatione tantummodo definitur, ſcientia dicitur, quæ in corporibus humanis uerſatur: quam ſanè

defin

definitionem ex ſubiecto non iniuria ſumi dicemus:quando autem ex eo, ad quod pertinet contemplatio, ualetudinem efficiens dicitur, ex fine definietur. At Philoſophia cùm ſolùm contemplationem habeat, (nam id ſolùm in cauſa eſt,ut rerum cognitio habeatur)aliam ex ſubiecto,aliam ex fine definitionem ſuſcipere nequaquam poteſt: nam cognitio aliquorum cognitio eſt. at quoniam cognitionis, & aliquorum cognitionis eadem comprehenſio eſt: ſiue ex ſubiecto quiſpiam dixerit definitionem, ſiue ex fine,non errabit:erit tamen potius ex utriſq;. Sed nos fortaſsis ad aliarum definitionum diſtinctionem,eius uidelicet, quæ dicebat,ſimilitudinem Dei,quoad eius ab homine fieri poſſet,quæ in quibus ſimilitudo eſſet,non determinabat,& illius,quæ mortis meditationem dicebat eſſe, has definitiones ſumi ex ſubiecto confeſsi ſumus. Quinta definitio ea eſt,quam Ariſtoteles,longè omnibus præſtans & ingenio,& diligentia,propter philoſophiæ ad reliquas tum artes,tum ſcientias excellentiam,ſic tradidit: Philoſophia artium ars eſt,ſcientiarumq́; ſcientia:quodam enim modo ad hanc omnia referri poſſe intelligebat. Cognitiones tum artibus,tum ſcientiis conueniunt:artes uerò ipſæ,ſcientiæq́; nihil inter ſe rationibus differũt:cuiuſq; enim artis rationes per ſe ipſás non uariantur:at materiæ ratione diſtinguuntur:quippe cùm ſcientia,ut Aſtronomia,Geometria,& Arithmetice in iis exiſtant,quæ ſemper eadem ſunt:artes uerò in iis,quæ plerunq; immutantur. Quibus quidem fit rebus, ut Geometricæ rationes mutari non queant, ut ex hoc planum, atq; apertum eſt.In omni circulo à medio ad circuitũ omnia interualla æqualiter diſtant.hoc enim ſemper eodem ſe habet modo. Medicinæ uerò rationes mutantur,ut cùm dicimus, Contraria ſunt contrariis medicamina: id quod fit, quoniam Medicina non ſemper in eodem exiſtit:ac primum propterea quòd omnibus morbis remedium non inuenitur:quid ſi quiſpiam mortifero morbo urgeretur? Præterea morbi non ſemper contrariis,ſed plerunq; ſimilibus curãtur:ut in iis,quæ accidunt,uſu uenit:nam ſæpe homines ægri morbo graui,cùm æſtu,febriq; iactantur,ſi aquam gelidam biberint,prius releuari uidentur:deinde multò grauius, uehementiusq́; afflictantur. Philoſophia igitur omnibus & artibus,& ſcientiis principia dedit:ut Geometriæ uniuerſas rationes:inueſtigare enim uniuerſa,philoſophorum eſt.Geometres etiam punctum indiuiduum ſumit, & magnitudinis ſectionem infinitam facit:atq; iis principiis utitur abſq; demonſtratione. Sed hæc philoſophus ſic probat:Omne terminans terminato una dimẽſione minus eſt:corpus tribus præditum dimenſionibus,latitudine,longitudine,& altitudine,à ſuperficie circunſcribitur:quæ duabus dimenſionibus,longitudine, & latitudine conſtat: non enim habet altitudinem: qua minor corpore exiſtit. extremitas item,cui duo interualla ſunt, lõgitudo ſcilicet,& latitudo, à linea finitur:quæ in ſolam longitudinem extẽditur,quæ itidem à puncto terminatur.at punctum cùm magnitudinem nullam habeat, nulla alia terminatione concludetur: omne igitur terminans terminato una dimenſione minus eſt. omnem deinde magnitudinem infinitam diuiſionem admittere, ſic philoſophus demonſtrabit. Sectio omnis fit ex punctis,ex quorum concurſione nullum corpus efficitur, aut componitur:corpus igitur per puncta diſtinctum tribus dimenſionibus conſtabit.Diuiſio enim nihil aufert à corpore, præter magnitudinem quantitatis:non tollit autem à corpore,quin tres dimenſiones non habeat. Corporis igitur ratio ſectionem interminatam ſuſcipit: quod ſi minus fieri poſſe propter ingenitam nobis imbecillitatem uidebitur, id tamen ob eam cauſam non erit ſublatum.Philoſophia medicinæ quoq; quatuor elementa impertitur:cùm enim Philoſophi quatuor elementa demonſtrarent eſſe,idq́; Medici comprobarent,tot etiam ad ortum corporum, & uulgaris illis quidem, ſed non pluribus, aut paucioribus opus eſſe faſsi ſunt: ex quibus elementis quatuor humores oriri aiunt,quos ab illis elementis remotis proportione quadam trahi affirmant. Rhetorices quoq; principia à philoſophia ducuntur: quandoquidem orator accipit exemplum, & enthymema: quæ inductioni, ratiocinationiq; comparantur. Vt enim ratiocinatio uera eſt, cùm habet neceſsitatem in ſeſe:ita quoq; enthymema uerum erit,quod una propoſitione à ratiocinatione ſuperatur:quamobrem ratiocinationis etiam imperfectæ nomen ſortitur.Ratiocinatio inquam oratio eſt,in qua poſitis quibuſdam aliud quiddam, quàm quæ poſita ſunt, ex iis ipſis, quæ poſita ſint, neceſſariò efficitur. Pari etiam ratione Exemplum Inductioni reſpondebit. Quemadmodum enim Inductio plerunq; uera eſt,ac ueriſimilis,ſemper tamen uera non eſt:ita quoq; eſt Exemplum, quanquam differunt inter ſe, quoniam Inductio oratio eſt,in qua ex ſingulis uniuerſa probantur:ut Rhetorica ars, iuriſq; ciuilis ſcientia,ac cæteræ artes utiles uitæ ſunt:Medicina igitur,quia ars eſt,uitæ utilitatem affert. At exemplũ eſt, quod ex ſingulis ſingula confirmat, & ab illis ſumit argumenta:nam eſt is locus de argumentis inueniendis ab Ariſtotele in diſſerendi facultate tractatus uberrimè:nihilq́; omnino eſt omiſſum, quod pertineret ad omnem rationem dicendi. Perſpicuũ igitur eſt,rhetoricen à philoſophia principia ſumpſiſſe. Orator præterea iuſto, honeſto,& utili utitur,etſi quomodo & quando iuſtum ſpectandum ſit,& num idem cum utili exiſtat, ignorat:ſunt enim qui iuſtum ubiq; ab utili non diſcrepare exiſtiment,ſunt etiam,qui ea disiungant, & cõtraria faciant.quæ ſanè ita eſſent,ſi ex illorum numero eſſent,quæ uiciſsim retro commeant. At ipſa quoq; Grammatice ad philoſophiam refertur:nam in ſonis, temporibuſq; uerſatur:ex quo efficitur, ut ſub Muſica, quæ philoſophiæ pars eſt,conſtituta ſit.Sed nec ſolùm artes,quæ in ratione uerſantur, atq; ſciẽtias,uerùm etiam ſordidas philoſophia uti compertum eſt: nam ædificator perpendiculo utitur, ut an rectus ſit paries,diſcernat. ſed quid perpendiculum ſit,neſcit.at philoſophus hanc huiuſce rei rationem reddet. Omnia grauia ſuapte natura ad imum tendunt:Grauia ad pares angulos deorſum feruntur:Recti anguli nunquam aliquò declinant: Faber item tignarius, ut ligna recta efficiat, rubrica utitur: ſed quæ rectæ lineæ natura ſit, ignorat:

Geometra uerò, cuius partes à philoſophia ſunt ductæ, Rectam eſſe lineam dicet, quæ æqualiter inter ſua puncta conſtituatur. Ad ſummam omnes artes, quæ habẽt initium, id à philoſophia nactæ ſunt. Eſt igitur Philoſophia artium ars, & ſcientiarum ſcientia. Pythagoras ea porrò definitione Philoſophiam explicauit, ut eſſe illam ſapientiæ ſtudium affirmauerit. hic primus cùm ueterum erroribus obuiam ire niteretur, & ab illis eum, qui quauis arte eſſet inſtructus, ſapientem nominari audiret, inter quos numerari Archilochus poteſt, cùm dicat:

Rectum tridentem nauta ſapiens collocat.

& Poëta: nam ita ipſe quoq; ſcriptum reliquit:

Poſtquàm ſapiens faber ordine fecit.

Deæ ſapientiſsimæ exhortationem probè cognoſcens hoc Deo cognomen attribuit: quem ſolùm ſapientem appellari deceat: utpote qui ſapientiam habeat, & rerum cognitionem ſempiternam. Cùm præterea nonnulli de Grãmatica, deq; Rhetorica, nonnulli etiam de naturalibus rebus quærere cœpiſſent: alij uerò contrà, ad alia ſe contuliſſent: eos, qui naturalem cõtemplationem exercerent, Philoſophos uocari uoluit: quaſi amatores ſapientis, quem Deum duntaxat appellari cenſuit: eorum uerò cognitionem communi nomine Philoſophiam uocauit, hæc Pythagoras. Multæ præterea ſunt philoſophiæ definitiones, ſed his contenti ſimus. At quoniam res omnis uel diuiditur, uel diuidi non poteſt, utrum philoſophia diuidatur nec'ne, neceſſariò dicendum uidetur. Sed antequàm ad hanc diſquiſitionem aggrediamur, diuiſionis, condiuiſionis, & ſubdiuiſionis uim, & naturam conſiderabimus: is enim qui ſatis commodè uelit de diuiſione diſſerere, quid earum unaquæq; ſit, diligenter exponat oportet. Diuiſio igitur eſt ſectio rei ex prima notione. Condiuiſio ex ſecunda notione rei partitio eſt. ut cùm animal ex prima notione in rationis particeps, & expers diducimus, appellatur diuiſio: cùm uerò ex ſecunda, in ſupracœleſte, & terrenũ, mortale'ue, aut immortale diſtribuitur, condiuiſio fit: ſed hæ inter ſe ordine ſolùm differũt. Subdiuiſio eſt, partis illius rei, quæ iam diuiſa eſt, ſpeciei uidelicet ſectio. (ſpeciem nunc intellectam uolo, quæ & genus & ſpecies eſſe poteſt, ſi ad aliud, & aliud comparetur.) ut ſupracœleſtis aliud fixum eſt, errans aliud. nam ſupracœleſte animalis ſpecies eſt, quod in fixum uagumq́; ſubdiuiſimus ita, ut fixi, & uagi genus exiſtat. Ac de iis quidem ſatis in præſentia dictum uidetur: nunc deinceps de philoſophiæ diuiſione diſſeremus. Philoſophia, ut paulò altius ordiar, à nõnullis in duas, à pleriſq; in partes treis eſt diſtributa. Ex iis, qui eam tripartitam eſſe dicunt, unam in Contẽplatione, alteram in Actione, tertiam in Ratione uerſari dixerunt: quod utrum benè habeat, non incommodũ uidetur exponere. Ac primùm ſciendũ illud eſt, pro diuiſionis ueritate diuina principem locum obtinere. nã Cunctarum diuina exordia rerum. Id quod in cauſa fuit, ut ueteres eam diuinarum rerum rationem appoſuerint. At naturale, quantum ad nos attinet, primum eſt, quoniam ea quæ animo cernuntur, & ratione intelliguntur, à nobis percipi non queunt prius, quàm cognita habeamus ea, quæ cerni, tangi'ue poſſunt: ſed re uera extremum, atq; ultimum eſt. extrema enim ſubſtantia habet materiam, & iccirco extremum locum eſt ſortita. Mathematicum, quod nonnulli præpoſuerunt ei, quod in ratione uerſatur, eam ob rem medium ſibi uendicauit: quòd ab ipſa natura in medio ſit ordine conſtitutum: uel quemadmodum uoluerunt ii, qui Platonis ſectam ſunt ſecuti, ut formas, quæ inſitæ, & iam in animis noſtris conſignatæ ſunt, agnoſceremus, & innatas nobis ſingularum rerum, quas cõtemplati ſumus, notiones mathematicis demonſtrationibus tanquam uia quadam, & ſcalis utentes, recordaremur. Qui autem ab Ariſtotele profecti ſunt, ea de cauſa mathematico medium locum attribuêre, ut conſuetudine oculorum aſſueſceret animus ab ea ſubſtantia, quæ materiam haberet, illam cognoſcere, quæ intelligentia tantùm, & ratione comprehenditur: quæ non eſt aſpectabilis illa quidem, ſed maiori, & uehementiori eſſentia atq; ui prædita eſt, quàm ſi oculis cerneretur. Ex hoc euenit, ut lineam, quam in materia diſcimus, nunquam æquè, ac ipſam materiam, aut ceram, aut æs cognoſcamus, niſi eam à materia ſeuocantes, atq; in mentem adducentes, uehementiorem ipſius uim & naturam conſideremus. Omnem uerò figuram ueluti lineam, & triangulum nihil cum cera commune habere, propterea quòd in ea inhæreat, per ſe clarum eſt, atq; apertum: nam ſi à trianguli figura latus adimatur, mutabitur, cera tamen mutationis immunis remanebit: utraq; ſanè mutarentur, ſi natura eſſet utriſq; communis. Philoſophia igitur, ut dictum iam eſt nobis, cùm in eam diuiditur, quæ in actione uerſatur, tum in eam, quæ in contemplatione conſiſtit. Exiſtit autem hoc loco quædam quæſtio, quid cauſæ ſit, cur in hæc, & cur bifariã Philoſophia diſtribuatur. Diuiſio pauciores in partes fieri non potuit, cùm unum in unum non ſecetur: ſed quare in plures partita non ſit, duas rationes afferemus. Cùm Philoſophiam homini cum Deo ſimilitudinem, quantum eius rei capax homo ſit, definiuerimus, duplicesq; Dei actiones exiſtant, una Cognitionis, qua cuncta cognoſcit, altera Prouidentiæ, qua inferiora gubernat omnia: Philoſophia iure in Contemplationem, & Actionem eſt diſtributa: nam contemplationis auxilio ea, quæ ſunt, cognoſcimus, actionis uerò, inferiora diſponimus: atq; eo pacto nos Deo ſimiles præſtamus. Altera ratio affertur hoc modo: Animæ noſtræ duæ ſunt actiones, altera uim habet cognoſcendi, ut mens, ratio, ſenſus, opinio, & cogitatio: altera uitalis eſt, ac libidinum æſtu fluctuans, quæ eſt in uoluntate, electione, ira, & deſiderio conſtituta. Cùm igitur philoſophus omnes animi partes, noſq́; perfectos eſſe uelit, cumq́; ex cõtemplatione cognitionis uirtus, ex actione uitalis perficiatur, non ab re philoſophiam in contemplationem, & actionem diducit. Præterea eius philoſophiæ, quæ in contemplatione uerſatur, triplex eſt ratio: una de Diuinis, altera de Mathematicis, tertia de Naturalibus:

ralibus:neq; id immeritò,quandoquidem omnia ſpectare philoſophus cupit.Sed eorum quæ ſunt, triplex ordo eſt.ex rebus aliæ omnino materia carent,& ſe pulcherrimè ſuſtentant, per ſeq; intelliguntur,eiuſmodi ſunt Diuinæ: aliæ nunquam ſeparari à materia,nec per ſe conſtare,intelligi'ue poſſunt,ut Naturales,ac ſpecies,quæ materiam adiunctam habeãt,cuiuſmodi ſunt lignum,os,caro,& ſimplicia corpora:quæ etiam naturalia dicuntur,propterea quòd à natura proximè producuntur: Mathematica uerò,quæ & ſeparabilia,& non ſeparabilia ſunt,Intermedia uocantur:circulus enim,triangulaq;,& reliqua generis eiuſdem per ſe ſine materia cohærere non poſſunt: quod in cauſa eſt,ut à materia non ſecludantur. Veruntamen poſtquam ligneum,æneum'ue,aut lapideum circulum,atq; triangulum inſpexerimus, eorum formam à materia ſemotam animo comprehendemus non ſecus,ac cera facit,quæ non materiem, ſed formam trahit,cùm à ſigillo imprimitur. Dicentur ergo à materia ſegregari, cùm per ſe non conſiſtant:ſeiungi uerò,cùm eam nos de illis opinionem conceperimus.Igitur cùm ex iis,quæ ſunt,alia omnino ſeparentur,alia penitus non ſeiungantur,alia tum ſeiungentur,tum à materia nihil ſemoueantur,meritò philoſophiam quæ in contemplatione eſt,in Diuinam, Naturalem, & Mathematicam philoſophi diſpertiunt: à materia enim ſecreta, diuinis,quæ in materia innixa ſunt,naturalibus,iis intermedia,mathematicis tribuuntur. Quibus materia eſt adiuncta ab eadem non ſeparari definitio nobis declarat: at Mathematica ſeiunguntur, ut ex illorum definitione perſpicimus. nam in circuli definitione quæ nobis poſita ſit huiuſmodi, Circulus plana figura eſt,quæ ab una linea efficitur,cuius omnis extremitas parib' à medio lineis rectis attingitur,nulla materia ſumitur. At ſi domũ definire uoluerimus,eam à materia ſecludere nihil eſt,cur putem poſſe.dicemus enim ad hunc modum, Domus eſt operculum,quod ex lapidibus, & lignis conſtructum uentorum,imbrium,caloriſq; iniurias, atq; incommoda propulſat. Nam ſi materiam non adhibuerimus,nec ſcenam, nec integumentum aliquod effectum intelligemus. Mathematicum iure in medio collocatur, quoniam à naturalibus ad diuina nullo medio interiecto nequimus conſcendere: atq; etiam propterea quòd ab iis, quæ nullo modo à materia ſeiungi poſſunt,ad ea,quæ prorſus ſeiuncta ſunt, mathematicorum ope,quæ tum ſecreta ſunt, tum non ſunt,proficiſcimur. Ex eo enim mathematica dicuntur,ut cùm ea didicerimus,beneficio illius partis,quæ ex ipſis corpore uacat, nos diuinis aſſuefaciamus. Plotinum quoq; diuinum hominem in dicendo conſtat mathematicas diſciplinas adoleſcentibus tradendas eſſe cenſuiſſe, ut ſeipſos naturæ, quæ corporis expers eſt,aſſuetos reddant:quoniam ſi eos ſtatim à naturalibus ad diuina traducere uoluerimus, cæcos faciemus. Quemadmodum autem ſi quis ex domo maximè tenebricoſa in ſplendidiſsimam exire uoluerit,in ea prius morari debet, in qua mediocre lumen ſit, in lucidiſsimam poſtea deuenire: ita etiam iuuenes,antequam à naturalibus ad diuina ducantur,in mathematicis,quæ ad illa tanquam gradus, & ſcalæ ſunt,ut qua à materia non ſeparantur,naturalibus, qua uerò ſemouentur,diuinis coniungantur, neceſſe eſt exerceri. Naturalium præterea, Diuinarumq; rerum cognitio nonnullas ſuſcipit diuiſiones, quas quoniam ad huius libri inſtitutum nihil pertinẽt,ſilentio inuoluemus.Mathematicæ uerò diſciplinæ quatuor ſunt partes,Geometria, Aſtronomia,Muſice,atq; Arithmetice. Arithmetice numerum conſiderat:diuinæ quippe ſunt arithmeticæ contemplationes: non tamen illum numerum,quo idiotæ dinumerant, ac computant,ſed ipſam numerorum ſpeciem diuinam appellãt cùm inquirimus,quam'nam habeat rationem ſenarius ad ternarium,aut nonarius ad ſenarium: non'ue ille duplam, hic ſeſquialteram? Ortum inſuper numerorum,paris uidelicet,impariſq;,ac pariter paris,& huiuſcemodi contemplatur.Geometria magnitudines,ac figuras conſiderat. Muſice profecto nihil præter chordarum concentum ſpeculatur: quoſdam enim inſtituit cantus,qui affectiones animi leniant,ipſumq; ad uirtutem dirigãt: quod quidem ita eſſe, muſices interualla iam cadentia nobis declarant:cùm tubam audimus, animo ſtatim uehementius concitamur,reddimurq; audaciores: id quod etiam in cauſa eſt,ut ea utantur milites,cùm prælium ineunt. At ſi illum dulcem ſonum, qui in theatro interuallis coniunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctus impulſu, & motu chordarum efficitur, qui acuta cum grauibus temperans æquabiliter concentus efficit,audiuerimus,ita complebit aures noſtras,ut quaſi ſoluto animo deficiamus. Pythagoras cùm adoleſcentulum quendam tibiarum fidiculis numeroſe ſonantibus omnino captum animaduertiſſet,tibicini, ſonum ut mutaret, iuſsiſſe:ſicq; iuuenis libidinem cohibuiſſe,literis, monimentiſq; proditum eſt. Ex quibus rebus efficitur,ut iis, quæ de muſices diuinitate ſunt nobis dicta, adhiberi fides poſsit. Quapropter ille non intelligendi ſolùm, ſed etiam dicendi grauiſsimus autor,& magiſter Plato iuuenes ad muſicen, exercitationemq; hortabatur, ut animum muſica, corpus exercitatione ornarent. Aſtronomia in motibus, & conuenienti, conſtantiq; conuerſione ſtellarum uerſatur. Nunc quam ob cauſam mathematicæ ſcientiæ non plus, nec minus, quàm in quatuor partes poſsint diſtribui, dicendum eſt. Mathematicum in Quanto uerſari nemini dubium ſit:Quanti altera pars Coniuncta eſt,Deiuncta altera.Harũ utraq; dupliciter diuiditur:Coniũcta in eam,quæ mobilis,& eam,quæ immobilis eſt. Mobilis etiã uel ſemper,uel ad quoddam tẽpus mouetur.Deiũcta diſtinguitur in eam, quæ eſt per ſe,& in eam,quæ ex iis eſt, quæ ſub eandẽ rationem cadunt.Coniũctum quantum,quod non mouetur eſt Terra:in qua Geometria uerſatur. Erit igitur Geometria quãti coniũcti poſitura immobilis cognitio.Illud uerò, quod ſemper mouetur, Cœlum eſt,in quo Aſtronomia cõſiſtit. Aſtronomia igitur cognitio eſt quãti coniuncti,quod ſemper mouetur.Itaq; aſtronomia,& geometria in coniuncto quanto uerſantur. Coniunctũ id eſt,cuius partes ad certum cõmunem terminum omnes pertinent. Ex partibus quanti diſiuncti aliam per ſe,aliam ex iis eſſe diximus,quæ

cum aliquo conferuntur. Quantum per ſe deiunctum numerus eſt, quando ipſum per ſe par'ne ex paribus, an par ex imparibus ſit, & non fortuitò ad alterius comparationem, ut in muſica fit, conſideramus. numerus igitur in eo ipſo quod per ſe cōſideratur, in hoc quanto diſiuncto uerſatur. Ergo Arithmetice quanti per ſe deiuncti cognitio eſt. Quantum deiunctum, quod cum aliquo comparetur, eſt mutua relatio ſonorum, in quibus efficitur harmonia, quæ per numerum diſcernitur, & in qua Muſice exiſtit: Muſice igitur cognitio eſt quanti per ſe diſiuncti, quod cum alio relationem habeat. Perſpicuum igitur eſt, muſicen, arithmeticenq́; in quanto ſeparato uerſari. Deiunctum eſt, cuius partes conſideratæ per ſeſe conuenire ſimul non poſſunt. Quot igitur, quibus'ue modis philoſophiæ, cuius opus eſt in contemplando, genus conſideretur, quemq́; finem ſpectet, ex iis, quæ diximus, ita conſtat, ut nemo eſſe debeat, quem ignorare poſſe putem. Reliquum eſt, ut de ea, quæ in rerum actione cernitur, uerba faciamus, quæ ſanè prius diſtinguenda eſt. Hæc igitur philoſophia eſt omnis diuiſa in parteis treis, quarum una moralis eſt, alia in rei familiaris ratione, tertia in reipub. bene gerēdæ prudentia continetur. Quicunq; igitur in ſeipſum rectè quid fecerit, ſuosq́; mores ornauerit, Moralis dicetur: at qui domeſticos inſtruxerit, Rei familiaris peritus uocari poterit: qui uerò ciuitatem uniuerſam ſingularibus ſuis ſtudiis ornauerit, Ciuilis appellabitur. Quidam tamen moralem, & familiarium rerum peritum ad ciuilem reducunt, hac opinione adducti: aiunt enim, Siquis ciuitatem præceptis, inſtitutisq́; bonis imbuerit, poſſe facilius ſeſe, domumq́; ſuam bonis moribus informare, huicq́; philoſophiæ parti, cuius omne opus eſt in faciendo, atq; agendo, Ciuilem tantum ſubiiciunt: quibus ſic eſſe reſponſum uolo. pleroſq;, qui inanem aucupantur rumorem, umbraſq́; falſæ gloriæ conſectantur, ciuitatem inſtituere, ciuiumq́; mores conformare illos quidem, ſed ſe, ſuosq́; domeſticos deſpicatui ducere, ac flocci facere: ita fit, ut hæc philoſophiæ pars in tres ſeiunctas partes, quarum unaquæq; in iudicandi, legumq́; ferendarum rationem diſtinguitur, ſit diſtributa. Ciuilis enim philoſophus & leges fert, quibus ciues inſtituti rectè uiuant: & iudicat ita, ut ſupplicio improbos afficiat, & defendat, ac tueatur bonos. Illud tamē ſcire oportet, idem inueniri in eo, qui rei familiaris peritus ſit, quod in ciuili dicebamus exiſtere: nam is quoq; ſuis leges ſancit, & ſeruos, filiosq; contumaces iudicat, deq́; eis poenas ſumit. Hæc non modò in iis duobus, ſed etiam in tertio, quem Moralem nominari diximus, conſpiciuntur: nam is itidem ſibi conſtituit leges, cùm ait,

–Aſſueſce his addere fræna:
In primis uentri, dein ſomno, mox Veneriq;.

Præterea magnus, & nobilis rhetor Iſocrates, cùm monet, ut Deum timeamus, ac piè, ſanctéq; colamus, parentes honore proſequamur, & amicos diligamus, morales leges deſcribit. Sed moralis his uerbis ſeſe diiudicat, atq; examinat diligenter:

Ne teneris patere antè oculis obrepere ſomnum,
Singula quàm repetas operis ter geſta diurni:
Quò ueni, quid'ue egi, aut quod deceat, quid omiſi.
Sic à principio percurras omnia, quæq́;
Comperies prauè acta, dole, lætēris honeſtis.

De Rei familiaris perito, Ciuiliq́; dicemus, ſi nobis datus erit locus, ubi opportunè de eis loqui poſsimus: nunc pauca erunt de ea philoſophiæ parte, qua mores conformari putantur, nobis dicēda: ac primùm quid Mos ipſe ſit, apetiemus. Mos eſt hominis ornamentum: Ornamentum eſt uniuſcuiuſq; perfectio, quæ ſtudio fugiendi eius, quod ſuperſit, quodq́; deſit, acquiritur: ſi quippiam uerò abſit, aut redundarit, uitium eſt. Verùm ſiquis eum turpem eſſe dixerit, qui membris aliquibus, utpote manibus, aut pedibus careat: illum eodem modo turpem dicet, qui pluribus, quàm opus ſit, abundarit: ut legere eſt apud Apollonium de gigantibus, quos poeta ille ſex digitos, & quinq; manus habere fingit. turpitudo igitur eſt, uel cùm quid redundat, uel deeſt. Igitur Perfectio eſt recuſatio ſuperuacanei, ac diminuti, quæ Imperfectiones ſunt. Perfectio imperfectioni contraria eſt: contraria ex contrariorum obſeruatione corriguntur. Quid igitur Philoſophia ſit, quæq́; illius partes ſint, palam fecimus: tota enim Philoſophia frugifera, & fructuoſa eſt, quippe quæ uitæ dux, uirtutis indagatrix, expultrixq́; uitiorum, muētrix legum, & magiſtra morum, & diſciplinæ ſit, ad quam confugiamus, cuius eſt magna laus Platonis memoria, & literis conſecrata: Hoc (inquit) bono nullum optabilius, nullum præſtantius, neq; datum eſt mortalium generi deorum conceſſu, atq; munere, neq; dabitur. Hæc itaq; ſummatim de Philoſophia dicta ſint: deinceps quæ ad librū hunc pertinent, dicemus. Nam Philoſophiam rerum omnium, quia ſint, cognitionem eſſe diximus. Itaq; philoſophi operam dederunt, ut exploratum haberent, quo'nam pacto cognoſcerent omnia: cumq́; ſingulas res oriri, interireq; uidiſſent, & ob eam cauſam incognitas eſſe, atq; infinitas, & ſcientiam eſſe ſempiternorum, finitorumq́; cognitionem, idq́; quod eſſet diſcendum, à cognitione comprehendi debere, & infinitum incomprehenſum, ſe ad uniuerſas, quæ & perpetuæ, & definitæ ſunt, tranſtulerunt. Scientiam enim ſic dictam Plato affirmat, quòd ad quendam nos rerum ſtatum, ac metam perducat. Ergo cur à ſingulis ad uniuerſa ſe receperint, quærendum uidetur. A ſingulis enim hominibus ad uniuerſalem hominem confugerunt: quoniam philoſophis non ſingulos homines numero percurrere, ſed hominis tantùm naturam, Hominem uidelicet animal eſſe mortale, rationis particeps, inueſtigare propoſitum eſt. Id qui nouerit, omnes

homi

homines,qui ſunt,qui fuerunt, qui futuri ſunt,cognoſcet. Sic igitur à ſingulis hominibus ad quandam hominis communitatem ſe eduxerunt. A ſingulis item equis,ad quandam equi communionem,indicantes Equum animal eſſe quadrupes aptum ad hinnitũ, ſeſe cõuerterunt. Non enim omnes ſingillatim equos, flauus'ne hic ſit,maculoſus ille, ſed equũ uniuersè cõtemplari philoſophus uult. Vniuerſa ſemper eodem modo,nec,nunc aliter,paulopoſt uariè,prout ſingularia,ſe habent:alia enim maculoſi equi,alia flaui natura eſt,quemadmodum etiam Platonis, & Alcibiadis. Vniuerſalis equus,& uniuerſalis homo ſimili ſemper modo ſunt. Omnis enim equus eſt animal quadrupes hinniens:omnis etiam homo animal eſt rationis compos,mortale. Idem de cane,& alia quauis animalis ſpecie dicẽdum eſt. Cùm igitur has formas,& quæ iis concluſa ſunt, humana conſideratione nec percipi, nec circunſcribi poſſe animaduerterent, (nihil ſanè mirum uideri debet,ſi multa animalia ſcientiam fugiant noſtram) ad quandam animalis communitatem reliqua omnia ſingulatim continentem deuenerũt. Atqui Homo, Equus, Canis, & reliqua generis euſdem,quatenus animalia ſunt,nihil differunt,eo quòd omnia hæc naturam animatam,ſenſusq́; participem habeant. Qui igitur, quid Animal ſit, perſpectum habuerit, omnia animalia cognoſcet. A Ficu pariter, Platano,atq; Vite ſeſe ad uniuerſalem ficum,platanum, uitemq́; contraxerunt:de reliquis plantis eodem modo. Hæc rurſus,aliaq́; ſub plantam commune genus adduxerunt,quæ ſingulas plantas cõtineret. Duas igitur communitates animalis,& plantæ habent. Animal præterea,plantamq́, ſub animato conſtituerũt: Planta quidem anima prædita eſt,quoniam augetur, atq; nutritur, ac ſimilem generat ſui. Sed quoniam inanimatum animato aduerſatur,Inanimatum eſt,quod anima caret,ut lapis,lignum,uſq; ſimilia,infinita enim ſingularia ſunt.à ſingulis lapidibus, & à ſingulis lignis ad uniuerſum lapidem, & lignum tranſtulerunt, & ab uniuerſo ligno, ac lapide ad commune genus inanimatum, quod hæc utraq; complecteretur, contraxerunt:Duas igitur communitates animatũ,& inanimatum habebant. Hæc rurſus ad corpus commune genus,quod tribus præditum dimenſionibus eſt,referuntur:nam lapis,ligna,homo tres dimenſiones habent:item angelos,animasq́;, & iis ſimilia ſub communitatem quandam eius,quod caret corpore, quod corporeo contrarium eſt,redegerunt. hoc enim tres dimenſiones undiq; pares habet, at hoc & menſura,& partibus omnino uacat. Quærentes itaq; quod eſſet genus utriſq; commune,Subſtantiam eſſe inuenerũt: nam & corpus,& non corpus, ut anima,angelus,deus,ſubſtantia eſt. Hæc igitur ſubſtantiæ communi generi ſubiecere, præſertim cùm ſubſtantia rem ſignificet,quæ ſe ſuſtẽtet. Hæc tamen ex contrariis cognita nobis fiunt:nonnullæ quidem res ſunt,quæ per ſe conſtare nequaquam poſſunt, ſed id ſibi eſt natura comparatum,ut in aliis ſint,ueluti candor,dulcedo,nigror,& huiuſmodi,quæ aduentitia uocantur: hæc enim per ſeſe conſtare non queunt:uerùm candor aut in fuco, aut lacte eſt,quæ corpora ſunt. Quæcunq; igitur ſuis ipſorum uiribus conſtiterint,neq; alterius cuiuſquam indigeant,ut homines,animæ,lapides, Subſtantiæ dicentur:eaq́; omnia,ut dictũ nobis eſt,ad ſubſtantiam referuntur. Num igitur omnia,quæ ſunt,à ſola ſubſtantia continentur?eamq́; potiſſimum ob cauſam omnium cognitionem philoſophus habere poterit? Non ſanè:uerùm reſtabant duo,decem,atq; uiginti,quæ ſub numerum commune genus adduxerunt. Magnum item aliquod, & paruum inuenere, quæ cohærentia nominarunt, & quoniam numerum, & cohærentem illam,& continuatam naturam in eo,quòd Quanta ſint,inter ſe communicari uiderunt (utrunq; enim quantum eſt)ſub uniuerſali quãto conſtituerunt. Duas igitur communitates Subſtãtiam,& Quantum habebant,quæ multas res complecterentur. Erat inſuper id,quod candidum eſt, & multi ſingillatim candores:nam candor in fuco eſt,niueq́;,& olore. quæ omnia albo abſolutè ſubiecerunt. Simili quoq; modo nigrum, & fuluum colori ſubiecta eſſe uoluerunt. Erant præterea dulcitudo, amaritudo,itemq́; calor, & frigus,quæ ſub Quale, quod omnibus commune genus eſt, poſuerunt. Quale eſt,ex quo ea, in quibus ineſt,Qualia nominãtur,ut candidum corpus,quod candore præſtet. Dextrum præterea,ſiniſtrumq́;,duplum,& dimidium ſupererant,quæ ſub commune genus eorum conſtituerunt, quorum uis omnis,& natura alterius eſſe dicitur,uel quæ quoquo modo ad alterum referuntur. Item in Lyceo eſſe,in foroq́,,atq; iis conſimilia uidebant,quæ ſub ipſorum commune genus Vbi,quod locum ſignificat,contraxerũt. Erant etiam heri,hodie,cras, quæ ſub Quando tempus ſignificans retulere. Supererant,iacere, ſtare,ſedere, quæ ſub Situm, qui corporis ſtatum ſignificat, collocarunt. Veſtitum eſſe,atq; armatum eſſe, & annulum geſtare conſpiciebant,quæ ſub Habitum poſuerunt,quod eſt ſubſtantiæ ad ſubſtantiam adiunctio. Reliqua adhuc erant uerberare,calefacere,& frigidum reddere,quæ ſunt ſub Actionem relata. Poſtremò uidebat ſupereſſe uerberari,uexari,quæ ſub Affectionem, quæ immutationem ſignificat,collocarũt. Agere enim in aliquid agere eſt. Hæc igitur decem genera,Subſtantiam, Quantum, Quale, Quæ cum aliquo comparantur, Vbi,Quando,Situm,Habitum, Actionem, atq; Affectum habebant,ſub quibus omnia, quæcunq; eſſent,continebantur. Decem itaq; genera Categoriæ dicta ſunt,quòd de iis,quæ ſub ſe eſſent,dicantur. Ariſtoteles ergo de decem iis generibus ſcripſerat,& harum quinq; uocum Generis,Speciei, Differentiæ, Proprii,& Accidentis meminerat,quarum uſus nobis erat incognitus: philoſophus Porphyrius boni uiri munere functus hunc libellum compoſuit,in quo nos docet,quid quæq, illarum ſignificet:ut cùm hæc didicerimus,commodius quæ ab Ariſtotele de ſummis decem generibus tradita ſunt,percipiamus. Hoc igitur eſt,quod Porphyrio porpoſitũ erat. Librum INTRODVCTIONEM inſcripſit,quoniam eſt uia ad omnem philoſophiam. Nam decem ſuprema genera, ante quæ huiuſmodi inſtitutio etiam collocanda eſt,omnes libros, qui de philoſophia compoſiti ſunt, præcedunt. nam ut philoſophi omnia, quæ

ſunt,

ſunt,ſub decem communitatibus conſtituerũt,& nihil penitus exiſtit,quod ſub has adductum non ſit: ita quoq; Grammatici de quinq; uocibus fecerunt. Cùm enim uocum infinitionem conſequi non poſſent, nonnullas uoces ad quandam Nominis communitatem,& alias ad Verbi,retulerunt. & ſic octo orationis partes ſibi compararunt. Eundem ſecutus ordinem Porphyrius, omnem uocem,quæ ſignificaret , præter indiuidua,quæ ipſa quoq; ſignificant, ad quinq; uoces reduxit,ſub quas omnes, quæ ſignificant, reducuntur. In quot igitur,quas'ue parteis unaquæq; philoſophiæ pars diuidatur,& quem finem habeat,demonſtratum eſt.nunc ea,quæ cùm omnium philoſophorum libros incipimus,prædicenda ſunt,operæpretium eſt præfari:ea hæc ſunt, quid libro propoſitum ſit,quam utilitatẽ afferat,ſit'ne legitimus ordo, inſcriptionis cauſa, capitum diuiſio, docendi genus , & quam ad partem philoſophiæ referatur. Hæc ita prædici ſolent,non ut aliud quicquam magis excogitatum ſit,quàm in aliis artibus, ſed ut promptiores lectores reddantur.Nam libri argumentum ignoratum in cauſa eſt, ut lector remoretur,& in medio deſiſtat,& æquè patiatur ac illi , qui , quò uadant , neſciunt : id quod in cauſa eſt , ut argumentum exponatur. At ſi quis tantummodo argumentum cognouerit , nihil eſt , cur promptius ipſum opus aggrediatur , ſi non didicerit,quid utilitatis inde percepturus ſit:ea re fit,ut iure declaretur utilitas. Verùm cùm hæc duo nobis comperta fuerint,nihil utile fore credemus,niſi prius habeamus explnratum librum à quodam ex ueteribus ſcriptum fuiſſe,quem probatum eſſe ſciamus,quales Plato,& Ariſtoteles extitere,à quibus nihil, niſi fructu refertum dictum eſt:ita fit,ut num liber legitimus ſit aperiamus. Ex horum cognitione oritur de ordine dubitatio, priori'ne in loco,an poſteriori collocandus ſit:quibus quidem fit rebus, ut de ordine diſſeratur. Indicamus præterea inſcriptionem,quoniam breui quodam modo libri argumentum cõtinere uideatur.Deniq; declaramus ad quam philoſophiæ partem nos ducat:ut ubi conferat,conſtet inter omnes.

Cùm itaq; explanauerimus,qua ratione moti philoſophi hæc præſentur,occaſio nobis ſuadet,ut ea quoq; nunc referamus. Porphyrio itaq; propoſitũ eſt,de quibuſdam quinq; uocibus diſſerere,ſub quibus omnia quæ ſunt,continentur:ſunt enim hæ,Genus,Species,Differentia,Proprium,& Accidens.Hic liber ad Philoſophiã uniuerſam utilis eſt,cùm nos doceat,quæ per ſe formis adueniant,quæ cauſæ ſunt,ut formæ conſiſtant.nam ex eo,propter quod cauſæ conſiſtant,demonſtrationes ſumimus.Demonſtrationẽ igitur docet, cuius ope totius philoſophiæ finem cognoſcimus. Legitimum eſſe Porphyrij librum clarum eſt tum ex ipſa elocutione,tum quia ſæpiſsime alibi de iis,quæ in hoc libro præcepta tradidit,mentionem fecit.Chryſaorium affatur , in cuius nomine multi etiam libri præter hunc apparuerunt , hocq́; huiuſce rei in cauſa eſt : Porphyrius Chryſaorium docebat , cumq́; ei mathematica declararet, rogauit is Porphyrium , ut de Aetneo igne componeret hiſtoriam:tum Porphyrius profectus eſt.Fortè inciderunt in Chryſaorii manus ſumma decem genera ab Ariſtotele cõſcripta,quæ cùm legens non intelligeret, ea de re Porphyrium abſentem ſtatim certiorem fecit,rogauitq́;,ut ſi ignis hiſtoriam perfeciſſet,ad ſe reueniret : ſin minus,aliquid reſcriberet,cuius ope librum Ariſtotelis intelligeret.Geſsit ei morem Porphyrius,& hunc libellum ei reſcripſit. A Platone enim hæc fermè omnia excerpſit,eademq́; penè uerba uſurpauit : ex quo planum eſt, ueteris autoris eſſe proprium. In ordine principem obtinet locum , quippe qui nos ad decem Ariſtotelis genera introducit, in quibus de ſimplicibus uocibus agitur, quæ ſunt logicæ facultatis initia.Ordinis igitur ratione primus liber logices eſt:hæcq́; de ordine ſufficiant. Introductio inſcribitur , qua in re nonnulli quærunt, cur infinitè ſit inſcriptus Introductio : ambigitur enim grammatices'ne ſit , an rhetorices. Quibus reſponſum uolumus,ſolere nos res excellentiores infinitè ſignificare, ut Homerus propter excellentiam commune poëtarum nomen efficit apud Græcos ſuum. Quid igitur obſtat , quo minus liceat ei, qui philoſophiam ſignificare uult,non definitè dicere?Præterea introductio uel artis,uel ſcientiæ ſine dubio eſt introductio:quo'nam igitur pacto ſatis cõuenienter poterat is,qui nos in illam introducturus erat, quæ nobis ad cæteras omnes artes aditum patefacit, ſi uera eius definitio eſt , unius tantum artis introductionem librum inſcripſiſſe? quare de hoc ſatis. Hic liber eſt totus diuiſus in partes tres : in una, de ipſis quinq; uocibus agit:In alia eaſdem dupliciter comparat , & quid illis commune ſit,quidq́; proprium, declarat : quid uidelicet Generi,quid Speciei,quidq́; Proprio,nec non Differentiæ, & Accidenti commune ſit:In tertia quid commune habeant inter ſe.Sed antequam philoſophus ad hæc aggrediatur,in procemio libri totius argumentum exponit,utilitatemq́;, & docendi formam, qua utitur, declarat. loquetur enim tam clarè, & perſpicuè, ut introductionis modũ non excedat.Sub logicen, quæ philoſophiæ inſtrumentum appellatur,hic liber reducitur:docet enim,quid ad demonſtrationis efficiendæ principiũ conferat,quæ quidem genere ratiocinatio eſt , quæ ſpecies eſt compoſitæ orationis , quæ item genere oratio eſt. Poſtremò ad decẽ genera Ariſtotelea perducit, quæ ad logicam tractationem ſpectant. Logice non eſt philoſophiæ pars illa quidem, ſed inſtrumentum , ut rationibus firmabo & docebo , cum reliqua, ut inſtitui , deinceps perſequar.

Cùm

CVM ſit neceſſarium Chryſaori, & ad decem ſumma genera percipienda, de quibus Ariſtoteles ſcripſit, Generis, Differentiæ, Speciei, Proprij, atq; Accidentis cognitionem habere: hæcq; contemplatio ad definiendũ, & ad ea omnia, quæ de diuiſione, ac demonſtratione præcepta ſunt, utilitatem afferat: inſtitui tibi ea breuiter, & enucleatè declarare, quæ maiores noſtri literis, monimentisq; conſignarunt: qua in re quæſtiones obſcuriores ſilentio inuoluam, & eas, quæ faciliores ſunt, mediocri coniectura informare conabor. Ac ne uager latius, de Generibus, & Formis, cõſtent'ne ipſa per ſe, an in ſolis animis ſint: deinde ſi per ſe cohæreant, corpora'ne, an expertia corporis exiſtant: atq; num auulſa ſint ab ijs, quæ ſenſibus percipiuntur, an in ijs ipſis inſideant: & omnia, quæcunq; ad huiuſmodi diſceptationum genus pertinere uidentur, dicere prætermittam: cùm hoc magnũ opus, & arduum ſit, & magnæ, arduæq; cogitationis indigeat. At quomodo de illis, atq; ijs, quæ commemorauimus, ueteres, ac præſertim Peripatetici probabiliter diſſeruerint, tibi exponam.

OMNIA, quæcunque ſunt, ſuapte natura bonum expetunt: ſiquidem origo rerum omnium bonum eſt. omnia igitur ad bonum, tanquam proprium bonum referuntur: à quo unaquæque res, cùm eius plus, minúsue pro ſuæ capacitatis menſura particeps ſit, perficitur. Malum igitur expetit nemo. Verùm qui malum ſibi aſciſcunt, id ipſum tanquam bonum appetere uidentur. Siquis igitur quempiam ad aliquid hortari uoluerit, bonum illi oſtendit inde prouenturum, ut ea de cauſa illum in ſuam ſententiam trahat. Porphyrius itaque, cùm uellet iuuenes ad librum legendum excitare, & inflammare, initio bonum ex eo profecturum indicauit. Verùm quoniam bonum duplex eſt, alterum ut finis, prout ualetudinem bonam dicimus: alterum ut ad finem, uelut uenam alicui incidere, non cauſa ſui, ſed ualetudinis, bonum eſſe affirmamus: hoc loco Neceſſarium, non ut propriè bonum, ſed ut ad maius bonũ refertur. Nam ut dicimus, Si ualetudini reſtitui uis, uenam tibi incidi neceſſarium eſt: ſic hic Neceſſarium philoſophus dixit: quippe cùm hic liber ad decem genera, tanquam ad finem referatur, neq; tamen bonum eſt, ut finis, ſed ut aliud collatum, & ut uno uerbo complectar, neceſſarium hũc librum dixit eſſe, uelut qui ad maius quoddam bonum nos perducat, & ita utilem eſſe, uel abſolutè per ſe neceſſarium, cùm fieri non poſsit, ut ſi hunc cognitum nõ habuerimus, philoſophorum libros percipiamus. Neceſſarium dupliciter à philoſophis accipitur, uel tanquam utile, uel ut fortuito contrarium. Vtile illud appellãt, quod alterius gratia ſumitur, ut ueſtiri, exui: hæc enim eò ſumuntur, ut corpora minus detrimenti patiantur, & ob eam cauſam longiorem uitam degant. Neceſſarium quod fortuito aduerſatur, eſt, ſine quo ſubiecta res conſtare nõ poteſt: ut animalia, quæ pulmonem habent, continuò reſpirare, ut uiuant, neceſſe eſt: Reſpiratio igitur neceſſaria eſt, ſiquidem animalia pulmonem habentia ſine reſpiratione uiuere non queunt. Hic igitur liber uel priori ſignificatione, uel poſteriori neceſſarius dicitur: uerùm ſecunda fieri non poteſt, quoniam illi, qui Porphyrium præceſſere, philoſophorum ſcripta non ignorarunt: conſtat enim inter omnes librum hunc, tanquam utilem, dictum eſſe neceſſarium, utpote qui philoſophiæ præcepta nobis reddat clariora, ac dilucidiora: nunquam tamen neceſſarius ex ſignificatione poſteriori dicetur, propterea quòd philoſophicas res abſque huiuſmodi libello percipi non poſſe ſequeretur. Neceſſarium hoc loco non ex libro, ſed quinque dictarum uocum cognitione accipiendum eſt, quæ quidem niſi ſciantur, reliqua nunquam accuratè intelligentur: quocirca Porphyrius non librum, ſed quinque uocum cognitionem eſſe dixit neceſſariam. Atqui antequam hunc librum Porphyrius ſcripſiſſet, harum quinque uocum cognitio neceſſaria erat ad philoſophorum contemplationes, quæ ſi huiuſmodi quinque res incognitæ eſſent, intelligi non poſſent. Hic igitur liber hanc nobis utilitatem affert, ut quæ diſperſè, & diffuſe ab antiquioribus dicta ſunt, unum in locum conducantur, ac colligantur, & breuior, ac facilior nobis illorum fiat cognitio. Quare Porphyrius hanc inuentionem non ſibi adſcribit, ſed quæ maiores noſtri literarum monumentis prodiderunt, in medium proferre ſtudet.

Porphyrius tribus de rebus in proœmio diſſerit: primùm enim dicit, quid ſibi in hoc libro propoſitum ſit, cùm de illis quinque uocibus ſe dicturum pollicetur: deinde quid afferat utilitatis, cùm non ſolùm ad illa decem genera rerum, quorum Ariſtoteles autor eſt, ſed, ut paucis agam, ad omnes inueſtigandæ philoſophiæ uias magnum afferre aiat adiumentum: tum illo ſe docendi genere uſurum promittit, quod facile ſit, conueniátq; iis, qui ingrediuntur ad ſtudium: nihil enim addit, quod eorum intelligentiam ſuperare uideatur, qui primùm inſtituuntur: quippe qui neq; longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione, atque immutatione uerborum utatur: quibus omnibus deterreri adoleſcentes, & à legendis libris auerti ſolent. Porrò coniunctio illa, ET, nobis indicat, hunc librum non modò ad decem ſummorum generum Ariſtoteleorum perceptionem, ſed etiam ad philoſophiã uniuerſam conferre.

Præter

Præterea dixit, Decem ſumma genera: ut innueret, non ſolùm utilem hunc librum ad Ariſtotelica decem genera, uerùm ad alia etiam, quorum alii autores extitiſſent. Plerique enim Ariſtotelis commilitones, præceptorem imitati, de Primis generibus, de Interpretatione, ac Reſolutione, & Iudicio conſcripſerunt. Sunt igitur hæ uoces nobis adiumento non ſolùm ad decem illa genera, quæ Ariſtoteles literis conſignauit, ſed etiam ad ea, quæ Archytas Tarentinus, & alii, qui philoſophiam diligenter tractarunt, memoriæ prodiderunt. Ambigunt nonnulli in ipſo initio, cùm Porphyrius dicat, Cùm ſit neceſſarium: & ea quidem dubitatio eſt parum rationi conſentanea, atque infirma eſt, uerùm propter confutationem, à qua dilucida fit, relata digna, & ualde utilis: aiunt enim, Eius, quod eſt, aliud Neceſſariũ eſt, aliud Contingens, aliud Inſtans. Neceſſarium eſt, quod ſemper eodem modo ſe habet: ut cùm ſol terras larga luce complet, dies eſt. Quod uerò contingit, eſſe poteſt, & non eſſe: ut, Legere, & non legere: nam ubi unum ponetur, eſſe alterum non poterit, niſi ſit poteſtate conſideratum. Inſtans illud eſt, quod tum re ipſa eſt, & quod præſens ſit. Illud itaque quod eſt, iis omnibus non eſt æquale: non enim reciprocantur ita, ut cùm alterum ſit, alterum uiciſsim inferat: ueluti Proprium, & Definitio, quæ mutuo utrique termini eſſe poſſunt, & is uidelicet, qui ſubiicitur, & is, qui de ſubiecto dicitur: nam hæc duo, Proprium inquam, & Definitio uiciſsim retro commeant: alterum quidem ipſorum ſubiectus terminus eſt, alterum uerò, is qui de ſubiecto enunciatur. Sed quiſnam ſubiectus terminus, aut is qui in ſubiecto dicitur, eſt? Subiectus apud philoſophos appoſito articulo dignoſcetur: ei uerò, qui de ſubiecta re effertur, uerbum, eſt, uel actione, uel poteſtate coniungetur. Omnes enim termini, qui enunciantur, aut Nomina ſunt, aut Verba. Nominibus quidem uox re ipſa, uerbis autem facultate connectitur: uerbi cauſa, ſi dixero, Homo, ſubiectam uocem dixero: ſi, Animal eſt, addidero, eam uocẽ addidero, quæ de uoce ſubiecta dicitur. Illud igitur, quod eſt, omnibus æqualiter nõ ineſt: nec terminus, qui dicitur, quiq; ſubiicitur, neceſſario, & ei, quod ineſt, quódq; cõtingit, æqualis eſt, ſed erit plus aliquantò, quàm illa omnia: non enim conſequentia quadã ſeſe uiciſsim inferunt, quoniam quicquid neceſſarium eſt, uel contingens, uel inſtans, id ipſum, quod eſt, dicitur. At cõtrà, ſiquid eſt, non ſemper uel neceſſarium eſt, uel contingens, uel inſtans: uerùm ſiquid illorum fuerit, nullum cæterorũ eſſe poterit, quippe cùm id, quod contingere poteſt, neque neceſſarium, neque inſtans ſit. Quid igitur cauſæ fuit, cur Porphyrius, qui uult omnes terminos, qui dicũtur, uel maiores eſſe ſubiectis, uel æquales, nunquam tamen minores, neceſſarium, quod minus cenſetur eo, quod eſt, utpote cùm id, quod eſt, latius pateat, fecerit enunciari? ſic enim dicit, Cùm ſit neceſſarium: Nos igitur, ueriſsimum eſſe, minus de maiori dici non debere reſpondemus: ſed negamus, id quod eſt, latius quàm neceſſarium ſerpere, ac manare, Illa uerba propriè latius manare dicuntur, quæ de multis enunciantur, & in multis ſita ſunt: quædam enim res eſt, quæ per ſe conſiderata propriè conſtat: ut Animal, quod de cane, equo, & homine dicitur, ſiquidem in iis conſiſtit, & propriam habet naturam conſideratum per ſeſe. Si igitur quid animal ſit definitione explicaueimus, ſubſtantiam animatam ſenſus participem eſſe dicemus: nam omnia, quæcunque propriè per ſe non conſtant, (ambiguę enim uoces ſunt Canis, Aiax, & id generis permulta, quæ nõ conſtant propria eorum ui, ac natura) communiora nomina dici nõ debent, ſed uoces tenues, quippe quæ res non ſint: quod enim latius patet, quàm aliud quicquam, ipſum prius per ſe ſit oportet, & eo pacto erit altero cõmunius: at illud quod eſt, cùm per ſe non exiſtat, ſitq; cum Neceſſario, Contingenti, & Inſtanti nominis ſolùm communitate conueniens, nullo illorum amplius erit, uox enim tenuis eſt. Pręterea ſi communius eſſe uelint, tanquam genus dicent, ſed genus eodem tempore diuiſum in ſe formas continet, quas æquè cohærere facit, neque permittit unam eſſe priorem altera, uel poſteriorem. Vno igitur, eodémq; tempore Neceſſarium eſſe Contingens, & Inſtans confiteri cogentur, quo nihil falſius: nam Neceſſarium, ſemper eſt, Contingens, & Inſtans, quandoq;. Id itaque, quod eſt, eorum genus non erit, neque neceſſario latius patebit. id nanq;, quod eſt, ambigua eſt uox, & non genus: adde non eſſe naturam quandam definitam, ac diſtinctam, quæ in unoquoq; ſingillatim inſit, ut in generibus uidetur, Si item res omnes uel Finitæ ſunt, uel Infinitæ (nam ſigna, quibus res definiuntur, quatuor ſunt, Omnis, Aliquis, Non omnis, Nullus, quæ ſane notæ Determinationes à philoſophis appellantur, nullam aliam ob cauſam, niſi quòd ex iis determinatur ſiquid de aliquibus uniuerſis, aut ſingulis definitur, ac pronunciatur: ſiquis Omne dixerit, uniuerſum: ſi Aliquis, partem ſignificabit, ab omnibus penè philoſophis ſingulas res nõ definitas pares eſſe determinatis demonſtratum eſt ita, ut ſi dicatur, homo uenit, idem ſit, atque aliquis homo uenit.) Porphyrius cùm abſq; determinatione diceret, Cùm ſit neceſſarium, neq; Omne apponeret, illud, Sit, pro parte accepit, perinde ac ſi dixiſſet, Cùm aliquid ſit neceſſariũ. nam id quod eſt, in parte ſumptum, idem quod neceſſariũ ualet, quemadmodum ipſi quoque fatentur: quare ſi id, quod eſt, non tenuis uox, ſed res fuiſſet, quæ propriè cõſtaret, uelut animal, non peſsimè de eo neceſſarium ſine ulla determinatione dici poterat. Ad hæc, quando res ſignificare uolumus, id per rectũ caſum hoc modo, Homo, Bos, Equus, facere ſolemus: at quando rei partem, uel quod ex re eſt, in ſecundo caſu, ut ſi dixero Socratis, aliquam ipſius partem, uelut manum, uel caput, uel aliquid, quod prope eum ſit, ut domum, & librum ſignificabo. Si igitur Porphyrius rectum caſum dixiſſet, rem planè ipſam ſignificaſſet, ſicq; æqualiter partem de uniuerſo dici uideretur: ſed quoniam obliquum dixit, uel partem rei, uel quippiam ex re ſignificauit. Neceſſarium enim æquale eſt parti eorũ quæ ſunt illius, quod eſt: ut Homo æqualis eſt alicui animali, & manus parti alicuius hominis par eſt. Proinde ſi quiſpiam uelit id, quod eſt, ob hanc rationẽ propriè conſtare, non tamen eſt Porphyrio uitio uertẽdum,

æqua

quòd Neceſſarium de eo, quod eſt,tanquam de æquali male dici ſecerit. Porrò id,quod eſt,genus non eſſe neceſſarii,fortuiti,& inſtantis,neq; inſuper ſubſtantiæ,accidentisq́; , & reliquorum generum ſummorum, rationibus affirmabo. In quibus aliquid prius eſt,& poſterius,quod de iis communiter dicitur , genus non eſt. Genus enim formarum eſt genus,formæ in eodem tempore per ſe cohærent, & una earum quæq; habet,ut in ſeipſa,& non in aliis exiſtat: Accidens ſi ſubſtantia poſterius erit,& ab illa habebit,ut ſit,& inſit, erit cōtingenti poſterius,in illo enim habet,ut ſit. Id igitur,quod eſt,de iis,non ut res cognomines faciunt, ſed ambiguè dicetur:cùm preſertim genus non ſit,cùm in iis prius,& poſterius eſſe uideatur. Ex quo perſpicuum eſt,accidens in ſubſtantia,& inſtans in cōtingenti,non tamen in eiſdē,ſitum eſſe:propterea quòd ſequatur,ut Si ſubſtantia,& cōtingens tolleretur,accidens,& inſtans ſimul auferrentur:ſi uerò eæ ſpecies, ſubſtantia inquam,& contingens,in quibus id,quod eſt,non conſiſtit,amoueantur:quod reliquum eſt,non erit amotum. Quanquam enim ſpecies canis intereat:hominis tamen,bouis,equi,& aliorum non corrumpentur. Iis igitur rationibus aliorum dubitationem perabſurdam,noſtramq́; diſſolutionē utilem, claram, perſpicuam,& concinnam eſſe demonſtrauimus. Quinetiam nonnulli principium damnant,atq; inquiũt, Id quod eſt,ambiguum eſt,ambiguum infinitũ eſt:illud igitur, quod eſt,infinitum exiſtit. At initium ab infinito ſumere non decet:quibus id,quod eſt,non ambiguum eſſe,ſed ab uno aliquo,reſpondemus:prout à Medicina & librum,& inſtrumentũ medicinale appellamus:nam medicinę inſtrumētum, & medicinalis potio ad unam ualetudinem referuntur. Quid autem ſit,ab uno eſſe,in decem ſummis generibus percipiemus. Exiſtit etiam hoc loco quædam quæſtio,quid cauſæ fuerit , cur id,quod eſt,neceſſario præpoſuerit. Id quod nos tribus eſſe factum cauſis oſtendemus:prima,ut id, quod latius patet,principem locũ obtineret. Secunda,ut elegantior eſſet:nam ſi dixiſſet *ἀναγκαῖον ἔστι*, nō adeo elegans fuiſſet locutio. Tertia, ut à generaliſsimis(ut aiunt)initiũ ſumeret:ita fit,ut cùm Porphyrius uellet à generaliſsimis doctrinam exordiri,id quod eſt,antetulerit neceſſario. Quærent demum,Cur non,æquum eſt,aut bonum , aut utile, ſed neceſſarium dixerit? Cui ſanè quæſtioni duplici diuiſione occurrendum eſt . Scire oportet Bonum, & Vtile ſibi ipſis eſſe ſubſtrata,ac uiciſsim cohærere. Vtile in duo diſtribuitur, in utile , quod genere ambiguum eſt,& in neceſſarium. Bonum eſt,quod cauſa ſui expetitur,ut beatitudo,ut pietas. Vtile eſt,quod à neceſſario diſtinguitur,quod & ineſſe,& non ineſſe poteſt ſine interitu rei,cui inhæret,ut hoc indumentum. Neceſſarium inſuper duplex eſt,uel quod per ſe appetendum eſt,nihilq́; à Bono differt, ut beatitas,ſanitas:uel quod alterius cauſa optabile eſt,prout uenæ inciſio,potioq́; medicinę. In prima ſignificatione quinq; uocum cognitio neceſſaria eſt,utpote quæ nos ad decē ſumma genera,atq; uniuerſam differendi uiam,ac rationem ducat. Quod ſanè Neceſſarium ſex modis dici conſtat,quippe cùm & materia, & ratio,quæ in homine ineſt,neceſſaria dicatur:deinde Neceſſarium appellatur,quod per ſe fugiendum,atque alterius gratia ſit deſiderandum:dicitur tum Neceſſarium,quod per ſe optãdum ſit: Neceſſarium item dicitur,quod nec per ſe expetendum,nec fugiendum, ſed propter aliud quicquam ſuſcipiendum ſit , ueluti ſunt quædã medicinæ potiones:poſtremò illud Neceſſarium eſt,quod & ſui, & alterius gratia amplexandum ſit,qua ſignificatione liber hic & ſui,& alterius cauſa neceſſarius eſſe dicitur.

Cum ſit neceſſarium Chryſaori & ad decem ſumma genera percipienda,de quibus Ariſtoteles ſcripſit,Generis,Differentiæ,Speciei,Proprij,atque Accidentis cognitionem habere.

Quoniam Ariſtoteles in decem generibus pertractandis de generaliſsimis decē uocibus diſſerit, quas differentiis,& propriis ſeparat,ac diſtinguit,generumq́; , & propriorum, ac differentiarum illic mentionem facit,generis,& differentię,necnon proprii,& ſpeciei cognitio illarum uocum comprehenſionē nobis faciliorem reddet,Porphyrius coniunctione ΕΤ uſus eſt, ut non modò ad Ariſtotelica ſumma genera, ſed ad ea etiam,quę deinceps ſubiungit,utilem hunc librum oſtenderet. Nonnullorum opinio fert Porphyrium, ΕΤ appoſuiſſe,ut etiam ad ea genera,quæ Archytas ſcripta reliquit,harum quinque uocum cognitionem utilem eſſe declararet:quod quàm alienum à ratione ſit, ex eo intelligi poteſt,quòd ipſemet philoſophus ſtatim explanat reliqua,ad quæ afferat adiumentum. Prępoſuit uerò differentiam ſpeciei,quoniam ordine doctrinæ prior eſt. Sed quid cauſæ fuerit,cur Genus in uocum enumeratione prius conſtituerit , ſuo loco dicemus:in præſentia,de quibus nam acturus ſit Porphyrius,exponamus. Sunt itaque Genus, Differentia,Species,Proprium,& Accidens,quæ declaranda ſunt:ac ſi uoluerimus cognoſcere,cur hæ uoces hũc ordinem ſortitæ ſint,(non enim putare debemus id temere factum eſſe)erit de hac re paulò altius ordiendum. Vniuerſa quædam,& Singula in rebus eſſe ſciendum eſt:ſed quoniam Singulas res interitui obnoxias eſſe oporrebat,prouida,ſolerſq; mater rerum omnium Natura quiddam,quod latius pateret, atq; omnia complecteretur,eorumq́; formas conſeruaret,excogitauit : idq́;, cùm eſſet uacans nomine, Genus, aut Speciem ueteres appellarunt;atque ut hoc perſpiciatur , & ordinis cauſa nobis explorata ſit , ſingula, tanquam in exemplo quodam,proponemus. Socratem igitur,& Platonem,& cæteros ſingillatim: flauum quoque,& maculoſum hunc equum,& illum ſingula,& indiuidua philoſophi uocauere. illa uerò quæ ſingulas res continerent,uelut uniuerſus homo,qui ſingulos in ſe homines comprehēdit, Species coniunctim appellauerunt:quæ uerò ipſas ſpecies complecterentur,ut animal,ſub quo homo,& equus conſtituuntur, Genera dicta ſunt:iis interiecta intermedia Differentia eſt. Differentia enim eſt , quemadmodum etiam Porphyrius pòſt nobis explicabit,quo quicque diſtinguitur.& hac potiſsimum de cauſa differentia in rebus apparet:ſed quantum ad genus ſpectat, nullam eſſe differentiam perſpicuum eſt; neque enim in ani-

mali quod genus eſt,homo,& bos differunt, quòd & nos,& boues ſumus animantes: ſed Rationis particeps, cùm acceſsit, nos ab illis ſeparauit:atque ita Differentia effecta eſt,qua homo à boue, & cæteris beſtiis rationis expertibus differat. Rationis particeps dicitur id,quod mente ducitur, & ratione: ut, homo, & angelus. Rationis expers eſt, quod præter rationem, atque iudicium uiuit: ueluti ſunt equus, bos, & reliqua generis eiuſdem. Ita fit, ut Differentia minus, quàm Genus, & magis, quàm Species pateat: Id quod exemplorum appoſitione perſpectum, ac clarum fiet. Rationis particeps, & Mortale minus patent, quàm Animal: ſiquidem ea ab animali continentur: Rationis particeps, quæ differentia eſt, cùm angelum, & hominem comprehendat, latius quàm homo, quæ ſpecies eſt, ſerpit,ac manat. Præterea Differentia magis anguſta eſt, quàm Genus, quatenus ſub genus cadit: at latior ſpecie eſt, quoniam rationis compos, & expers habet in ſe, ſub quæ omnia animalia ſimul cadunt: Species uerò unum tantùm, uelut hominem, equum, & aliud quicquam comprehendit. Proprium eſt, quod in ſola, totáq; ſpecie ineſt, ut in homine natum eſſe ad riſum. in eo enim ſolo, toto, & ſemper intelligitur. Accidens eſt, quod abeſſe poteſt ſine eius rei, in quo ſitum eſt, interitu: ut, candor, nigror, accubatio, inclinatio, ſeſsio. Ex iis igitur quædam rerum naturam perficiunt, quædam extrinſecus adueniunt. Genus, Species, & media inter hæc Differentia, rei naturam abſoluunt, quoniam ex iis, & natura dicuntur exiſtere, animal enim unumquodque perficiunt, atque unaquæque res horum trium particeps eſt, ut maniſeſtò apparet in Socrate: nam quatenus animal eſt, Genus habet: qua rationis compos, & mortalis, Differentiam: quia homo, Speciem. Simili quoque modo in Platone, atque Alcibiade. Reliqua duo, Proprium, & Accidens, nihil quicquam rei naturæ conferre, ſed aduentitia eſſe dicuntur, propterea quòd rationi notionis eius rei, quæ ſubiicitur, nulli uſui ſunt: ex quibus Proprium illis, quæ rei naturam conficiunt, coniunctius eſt, quàm Accidens, ex eo quòd Proprium ſemper alicui ineſt, Accidens tum ineſt, tum abeſt. Huiuſmodi ſeparari poſſe dicuntur: quoniam ſi ea ſecreta eſſe cogitauerimus, nihil hominis naturam imminuent: id ſi ita eſſet, nigros non eſſe homines dicendum eſſet, quod abſurdum uidetur: atque ſi ridendi habilitatem amitteremus; nihilo tamen ſecius homines eſſemus, cùm omnes hominis actiones exercere poſſemus. Iis in hunc modum conſtitutis, quonam modo progreſſus ſit Porphyrius, animaduertite. Ea, quæ rei naturam perficiunt, præpoſuit: ſecundo loco, quæ nihil auxilii præſtant, collocauit. Ex iis præterea, quæ naturam abſolutam reddunt, Genus, utpote quod magis pateat, primum obtinuit locum. Differentiam deinde, tanquam minus anguſta, quàm genus, ſit: poſtea, Speciem, ueluti minus patentem differentia conſtituit. Illorum, quæ nihil quicquam afferunt rei naturæ, Proprium, quod ad rei naturam propius accedit, Accidenti præpoſitum eſt. Accidens extremum locum habuit, tanquam nihil ei ſit cum prædictis commune. & uti ipſum ſolum ſine interitu eius rei, in qua inhæret, adſit, atque abſit. Eſt autem hoc loco non immeritò quærendum, quonam modo accidens ſit generi, & ſpeciei contrarium, ſiquidem in genera, & ſpecies diſtribuitur. aliud nos eſſe dicimus, ſi unumquodque quia ſit, conſideremus, & aliud, cùm ad aliud referatur. Cùm enim quid quippiam per ſe ſit, ſpectamus, hoc Subſtantiam, illud Quantum, hoc Quale eſſe affirmamus: cùm uerò ad ſumma genera, quæ poſt ſubſtantiam ſunt, reſpicimus, ea quia non conſtant per ſe, ſed ad ſubſtantiam annituntur, ſubſtantiæ accidere dicimus. In unoquoque item ex decem generibus cùm illud quod magis uniuerſale eſt, & quod magis ſingulis rebus conuenit, & illud, quo ea, quæ ſingulis rebus accommodantur, à magis uniuerſalibus diuiduntur, proſpiciamus: horum unum Genus, alterum Differentiam, alterum Speciem appellabimus: ita ut idem aliter conſideratum, Genus, Species'ue, aut Differentia dici poſsit: iis enim differentiæ, quæ in ſummis generibus inſunt, cognoſcuntur. Poteſt item & ſubſtantia eſſe, & aduentitium.

Hæcq; contemplatio ad definiendum, & ad ea omnia, quæ de diuiſione, ac demonſtratione præcepta, ſunt, utilitatem afferat. Hoc primùm in loco Ariſtotelis, & Platonis artem diſſerendi diuerſam eſſe ſciendum eſt: Ariſtoteles quinque modis, ut uidere eſt in Topicis, opiniones aſſectatur: at Platonis dialectica in quatuor tantum uerſatur, Diuiſione, Definitione, Demonſtratione, ac Reſolutione. Hic igitur liber & ad definiendum, & ad ea omnia, quæ de diuiſione, & demonſtratione præcipiuntur, affert adiumentum: ita fit, ut ad Platonis diſſerendi artem utilis exſtat: ac, ſi ita ſe res habet, ad uniuerſam philoſophiam magno nobis erit adiumento. Philoſophia quadripartita eſt, prima pars in Diuiſione, altera in Definitione, tertia in Demonſtratione, quarta in Reſolutione uerſatur. Huius igitur loci ſenſum haud ſecus intelligendum cenſeo, ac ſi Porphyrius dixiſſet, hunc libellum non modò ad philoſophorum libros percipiendos, ſed etiam ſi nulla illorum ſcripta extarent, poſſe uiam rerum omnium inueniendarum ſtudioſis ſuppeditare: ſed de ſingulis eſt ordine diſſerendum. Diuiſionis igitur intereſt propoſitum genus in proprias differentias diuidere, hæcq; diſtinguendi eſt ratio: Animal in id quod ratione utitur, & quod rationis expers eſt, diducitur: uerùm non ſic, Animal aliud eſt homo, equus aliud, & aliud hoc quippiam: nam illos, qui res diſtribuunt hoc modo, Coquis malè fruſta ſecantibus, & obſonia, membratim non diſtinguentibus, id eſt imperitis, rudibusq; hominibus, ac phyſicæ rationis ignaris, ſimiles eſſe Plato (in philoſophia iudicio doctiſsimorum hominum facile princeps) opinatur, id quod ſcriptum reliquit. Proprium Definitiuæ eſt, unicuiq; rei propriam definitionem dare. Principem diuiſionem ars definitiua conſequitur, quoniam definitio diuiſione utitur, cùm ex generibus, & differentiis, quę rei naturam

abſol

abſoluunt,ac complent,eliciatur.Is igitur,qui definiet, ex diuiſo genere aſſumet,quæ ad definitionem faciunt:ueluti ſi ex hac animati diuiſione in animal,& plantam,& animalis in ratione utens, & rationis expers, mortale, & immortale excipere hominem uoluerit is, qui definit, ratione utens, & mortale animal excipiat. Demonſtratiuæ proprium eſt, ex propria natura res demonſtrare:non quomodo oratores ſolent,apud quos cùm rei dubiæ fidem faciunt,auctoritas ualet plurimum: ſed quemadmodum Plato, præſtanti uir ingenio, qui cùm animam nullo mortis fato perimi uellet demonſtrare, id ex natura propria animę atq; ui cõfirmauit:Anima, inquit,à ſe mouetur:quod à ſe mouetur,ſemper mouetur:quod ſemper mouetur,immortale eſt,anima igitur immortalis eſt.Ita fit,ut qui demõſtrare uoluerit,hunc morẽ teneat neceſſe ſit:etenim demonſtrationes ueræ ex definitionibus fiunt, definitiones rei uim, & naturam patefaciunt.Conſtat enim demonſtrationes ex rerum ſumi ui,atque natura, non autem aſſumi foris: præſertim cùm exteriora non neceſſariò rem ipſam conſequantur. Tertium igitur locum ſortita eſt Demonſtratio, quoniam ipſa definitione,definitio diuiſione utitur. Munus Reſolutionis eſt,compoſita in ſimplicia, ex quorum compoſitione ſunt facta,diſſoluere: ut Grammatici quoque facere ſolent,qui Orationem in nomen,& uerbum,hæc in ſyllabas,has in elementa diducunt. At Philoſophi naturæ interpretes, ac uirtutis magiſtri,de rebus agunt:quippe qui Hominem in caput,manus,& pedes,hęc in oſſa, carnem,& neruos,eadem in quatuor elementa,ea demum in materiem,& formam diſpertiunt. Reſolutione in ratiocinationibus utimur,cùm eas in propoſitiones,& propoſitiones in terminos diducimus,id quod Ariſtoteles in iis libris docet,quos de hac arte conſcripſit. Prima igitur omnium eſt diuidendi ratio,altera definiendi, tertia demonſtrandi,quarta deniq; reſoluendi:ac trium duntaxat mentio facta eſt, quoniam hic liber eſt ad illas maximè utilis.de generibus enim,& differentiis uerba facit,ac docet.Etenim qui diuiſionis ſcientiam callet,genus in ſpecies per differentias proprias rectè diſtinguet:atq; is,qui definiet,ex genere, & differentia definitionem ſumet.Demonſtrationes definitionibus conſtant, & Definitiones ex generibus, & differentiis,ut dictum iam eſt. Id ipſum alia quoq; ratione poteſt probari. Illæ tres inter ſe colligatæ admodum ſunt,ut definitio diuiſione,& demonſtratio utriſq; utatur:nam qui demonſtrat,rerum definitionem aſſumit,ut rei naturam comprehendat.Item definitio diuiſione utitur,at reſolutio neutra illarum utitur, quin etiam diuiſioni contraria eſt:quoniam diuiſio unum accipiens in plura diſtribuit,reſolutio uerò uſq; eò procedit,dum in unum deſinat:nam ſi hominem accipiat,& in partes diſſoluat,partes illas in humores, hos in elementa,hæc deniq; in materiam, & formam partietur:elementa enim ex materia, & forma ſunt conflata. Alio præterea modo ſic:Qui diuidit,à ſimplicibus ad compoſita progreditur,qui reſoluit, à compoſitis ad ſimplicia regreditur.& ei,qui definit,aduerſatur is,qui reſoluit:quoniam alter rei naturam coniungit,alter diſpergit. Id alia quoq; ratione firmabitur:Si reſolutio diuiſioni aduerſa eſt, cùm definitio ſine diuiſione fieri non queat,definitioni itidem aduerſam eſſe perſpicuum eſt:ita fit, ut demonſtrationi quoq; contraria ſit futura:etenim ſi demonſtratio definitione,& diuiſione utitur,& his duabus aduerſa reſolutio eſt,demonſtrationi nimirum erit aduerſa. Sed in iis enumerandis quid cauſæ fuit,cur definitionis prius,quàm diuiſionis,quæ prior eſt,mentionem fecerit?Quoniam,inquàm, uidebat huic libro propoſitum eſſe,ut illarum uocum definitiones traderentur. Compoſitio à Diſſolutione differt,quantum tamen ad ſubiectam rem ſpectat,nihil intereſt: nam uelut inter aſcendentes, & deſcendentes, ita inter compoſitionem, & reſolutionem diſcrimen uerſatur, idq́; tantummodo relatione quadam. Quando autem à ſuperioribus,primiſq́; principiis,ad inferiora,& ultima deſcendimus,compoſitio fit:cùm ab ultimis ad prima conſcendimus,reſolutio.Et quoniam compoſitio,cùm id coagmentauerit,quod ſtatuerat, finem conſtruendi faciet:ita quoque reſolutio efficiet,cùm id,quod propoſitum erat,diſſoluerit. Nam qui reſoluit, quippiam compoſitum reſoluit: niſi fortaſſe uelit in eo,quod fieri nequit,laborare, ſeq́; excruciare, dum ſimplex omni cura ſtudet diſſoluere.Compoſitum è multorum ſimplicium compoſitione conflatum eſt: is igitur,qui reſoluit, in multa diſſoluet. Si quis igitur arbitretur eum qui compoſitum reſoluit, illud in unum ſimplex diſſoluere,falletur'ne,an non?Mea ſententia non ſanè,quum id proximè ad uerum accedit: dicemus tamen,compoſitum in plura coniuncta diſſolui, & quod ultimum erit, in unum tantũmodo reſolui. Oportet igitur hoc nobis compertum eſſe,ut apertè loquar,ſimplex in multa componi,neq; amplius reſolui: atq; ultimum compoſitum in multa coniuncta reſolui, neque amplius in unum ſupremum compoſitum iri.Neque uerò quenquam moueat,quòd definitio, quæ poſterior eſt,diuiſioni præpoſita ſit: id enim factum eſt,quoniam nihil nobis impedimento eſſe debet,quin ea,quæ nobis placuerit, in doctrina noſtra priora,uel poſteriora conſtituamus. Deinde quatenus ad intelligentiam attinet noſtram, compoſita ex definitione cognita priora ſunt:quibus quidem fit rebus, ut non ſine ratione definitionem diuiſioni prępoſuerit.Reſolutionem fortaſſe ideo prætermiſit,quòd eadem,ac compoſitio ratione ſubiectę rei, affectione tantum,ac collatione,ut dictum nobis eſt,differre uideretur.Præterea Contemplatio apud philoſophos cognitionem ſignificat.

Inſtitui tibi ea breuiter,& enucleatè declarare,quoniam alia quoq; docendi uia eſt, quæ ita coanguſtatur,ut tantummodo capitum commemorandorum gratia tradi ſoleat, dixit,breuiter, & enucleatè, quatenus ſcilicet ad eos inſtituendos pertineat,qui ingrediuntur ad ſtudium:deinde addit,

Quæſtiones obſcuriores ſilentio inuoluam. Tria ſunt,quæ iuuenes à legendis ueterum libris dehortantur,ac reiciunt,Longitudo dictorum,Obſcuritas orationis,qualis eſt in libro Ariſtotelis,qui de In-

terpretatione inſcribitur,ac demum Reconditæ,exquiſitæq́; ſententię. Porphyrius igitur,ut ad ſe alliceret eum,qui audit,ait hunc libellum huiuſcemodi nequaquam fore:nam neq; futurum prolixum,neq; difficiles explicatus habiturum illa uerba,breuiter,& enucleatè,declarant:cùm præterea ſubiungit, **Obſcuriores quæſtiones ſilentio inuoluam,** ſignificat ſe reconditas, abſtruſasq́; ſententias non tractaturum: innuit præterea dictata non eſſe difficilia,cùm inquit,**Quæ faciliores ſunt,**poſtremò breuiloquentē ſe fore indicat iis uerbis, **Mediocri coniectura informare conabor:** quæ etiam uerba ad doctrinam referenda non ſunt, Philoſophi enim certa ſcientia res demonſtrant, non coniectura aſſequuntur. Sed Porphyrius hæc ad Chryſaorium ſcripſit, quaſi ſe ea tantùm dicturum ſpondeat, quæ ad illum inſtituendum attinerent: cùm præſertim Philoſophorum ſit omnia uera ſcientia demonſtrare, non coniectura coarguere.

Ac ne uager latius,de generibus,ac formis conſtent'ne ipſa per ſe, &c, Breuem, facilemq́;, & obſcurorum quæſtionum expertem doctrinam facere pollicitus eſt. Ne quis igitur horum diſquiſitionem minimè inuolutam,& latentem eſſe diceret, Philoſophus eſſe abditam, & retruſam ex iis clam indicauit, atque innuit. Erat ergo de iis controuerſia ualde abſtruſa, quæ data opera prætermiſſa ab eo eſt: atque ut apertum id fiat,& diſtinctius perſpiciatur, quàm maxime poſſumus,planè, ac dilucidè exponamus. Ea, quæ ſunt,uel per ſeipſa conſtant,uel in ſimplici intellectione ſunt:ea rurſus, quæ per ſe cohærent, uel corpora,uel expertia corporis exiſtunt:illa præterea,quæ corpore carent,ut anima rationis compos,atq; angelus,auulſa à corpore ſunt,alia ut candor,nigror,& brutorum animæ à corporibus non diſtrahuntur: ex illis deinde,quæ per ſe cohærent, alia ante multa,alia poſterius genita, & in anima noſtra ſita ſunt. Eorum quæ ſunt, quædam conſtant per ſeſe,quædam in ſolis animis noſtris inſunt: quæ cum animo comprehenſa ſint,conſtant, & minimè intellecta non cohærent:ſed ubi primùm inſiſtet intelligentia, ipſa quoque ceſſabunt:ut in Hippocentauro luculenter uidetur,neq; enim uſquam extat:ſed cùm nos equum,centaurumq́; conſpicimus, noſtra cogitatione utroſq; coniungimus,atq; ita compoſitis Hippocentauri nomen imponimus. Hircum præterea,& ceruum natura produxit,utrunq; nos cogitatione componimus, compactumq́; Hircoceruum appellamus. Antiſthenes uerò genera,& ſpecies in ſolis animis,hac ratione fretus,eſſe cenſebat,dicere enim ſolebat,Equum uideo,illam tamen uniuerſam equi rationem,ſeu ſpeciem,nō uideo: Hominem itidem uideo,at non humanitatem. Atq; hæc quidem ille:ſecundùm enim ſenſum ſolùm uiuebat, neq; rationis auxilio ſeſe in altiorem inuentionem,& ſpeculationem poterat extollere,atq; erigere. Eorum igitur quæ conſtant,alia corpora ſunt,alia non corpora. Atqui ex ueteribus alii prorſus hęc eſſe dixerunt,alii uerò non eſſe uoluerunt. Ex illis poſtea,qui ea eſſe prodiderunt, nonnulli corpora, nonnulli ſine corpore eſſe putauerunt. Sed qui corpora illa eſſe cōtenderunt, in eadem ſententia perſtitere: qui uerò illa corporis eſſe expertia dicebant,alii ea eſſe per ſe,ſunt arbitrati,alii uerò in iis, quæ ſenſibus percipiuntur: id quod factum eſt,quoniam nouerant illi ea,quæ corpore carent,de quibus feci ſupra mentionem,uel per ſe cohęrere,ut Angelum, Deum,uel in aliis niti,ut candorem,& figuras. Hæc igitur alii per ſe, alii uerò in iis,quæ ſenſu comprehenduntur,conſtare dixerunt, quoniam item corporis expertia, quæ in iis inhærent, quæ ſenſu percipiuntur,uel per totam rem ſeſe porrigunt,atque tendunt, ut candor in fuco, uel extremitati ſolùm inſident, ut in globoſa figura cernitur: alii ea ipſa per totum ſe perfundi aiunt,alii uerò in ſola ſuperficie reſidere tradiderunt. Sunt etiam,qui nonnulla cohærere in iis,quæ conſtant,arbitrentur,nec alia ratione poſſe conſtare,quàm locum,& tempus,cùm ea contineant,quę ſub ſenſum cadunt. Cùm igitur tot ſectæ ſint,atq; hominum opiniones,qui prædicta negent, & affirment, quæſtio de generibus, & formis in controuerſiam adduci poterat,ſint'ne,an in ſimplici quadam ratione,& intelligentia contineri,prout Antiſthenes cenſuit,dicendum ſit: At poſtquam hæc ita eſſe,& conſtare inuentum eſſet,exiſtebat etiam quæſtio quædam ſubdifficilis,corpora'ne eſſent,an corpore carerent: huius nanq; diuiſionis utraq; pars fautores habuit,qui eam ſtudioſe defenſitarunt. Verùm cùm eſſet compertum,ea eſſe ſine corpore,poterat oriri dubitatio,utrum à materia diſtraherentur,an in multis eſſent,& à materia diuini non poſſent. Verùm ut hoc clarius,atq; illuſtrius fiat,exemplum quoddam adiungam:neq; enim fortuitò,& nullis innixi rationibus alii corpora,alii corporis expertia eſſe dixerunt:ſed ratione quadam utriq; ducti, neq; inter ſe contrarii iure procedunt. Intelligatur annulus,qui alicuius,utpote Achillis,imaginē inſculptam habeat: multæ inſuper ceræ ſint, & ab annulo imprimantur: ueniat deinde quiſpiam, uideatq́; ceras omnes unius annuli impreſsione formatas, annuliq́; impreſsionem in mente contineat: ſigillum annulo inſculptum, ante multa dicetur:in cerulis impreſſum, in multis: quod uerò in illius, qui illò uenerat, intelligentia remanſerit, poſt multa, & poſterius genitum dicetur. Idem in generibus, & formis intelligendum cenſeo: etenim ille optimus, & præſtantiſsimus procreator mundi Deus, omnium rerum formas, atque exempla habet apud ſe: ut ſi hominem efficere uelit,in hominis formam,quam habet,reſpiciat, & ad illius exemplum cæteros faciat omnes. At ſi quis reſtiterit, dicetq́; rerum formas apud creatorem non eſſe: quæſo ut diligenter attendat: Opifex, quæ facit, uel cognoſcit, uel ignorat: ſed is, qui neſciet, nunquam quicquam faciet: quis enim id facere aggreditur, quod facere ignorat? neque enim facultate quadam rationis experte aliquid aget, prout agit natura. Ex quo conficitur,ut natura etiam operetur, etſi quæ faciat, non aduertat: ſi uerò ratione quadam quicquam facit, quodcunque ab eo factum eſt omnino cognouit. Si igitur Deus non peiori ratione, quàm homo facit quid, quæ fecit, cognouit: ſi cognouit quæ fecit, in ipſo

rerum

rerum formas eſſe perſpicuum eſt. Formæ autem in opifice ſunt perinde ac in annulo ſigillum, hæcq; forma ante multa, & auulſa à materia dicitur. Atqui hominis ſpecies in unoquoque homine eſt, quemadmodum etiam ſigilla in ceris, & in multis, nec auulſa à materia dicetur. At cùm ſingulos homines animo conſpicimus, & eandem in unoquoque formam atque effigiem uidemus, illa effigies in mente noſtra inſidens poſt multa, & poſterius genita dicetur: ueluti in illo quoque dicebamus, qui multa ſigilla in cera uno & eodem annulo impreſſa conſpexerat. Poterit hæc à corpore ſeparari, cùm non in corpore, ſed in anima inhæreat: non ſeparari uerò, quoniam per ſeſe ſeparari non poteſt: non ſecus, quàm formas ante multa poſuit ille non linguæ ſolùm, uerùm etiam animi, ac uirtutis magiſter Plato: negat enim has abſolutè opificis intelligentias eſſe, ſed ſubſtantias quaſdam, quæ animo cernantur, & ratione intelligantur, in quas opificem intueri uult, ut ea, quæ hic ſunt, ad illarum primarum imaginum exemplum efficiat, ac condat. Porphyrius igitur ait ſe nolle quærere, num ea quæ corpore carent, à materia, ueluti ea, quæ in opifice ſunt, ſeparari, uel non ſeparari poſsint, ſicut ea, quæ in multis ſunt, uel poſt ea quæ ſenſibus percipiuntur, id eſt ea, quæ poſt multa ſunt. Scire quoque debemus de iis Ariſtotelem à Platone diſſentire: nam Ariſtoteles uult illas à materia non poſſe ſeparari: Plato uerò ſeparari cenſet poſſe. Verùm demonſtrare, quomodo hi principes philoſophorum inter ſe diſſideant, atque diſcordent, propterea quòd Ariſtoteles formas illas naturaliter intelligere uidetur, ad hoc noſtrum inſtitutum nihil pertinet.

At quomodo de illis, atque iis. Promiſerat Porphyrius ſe librum hunc utilem ad Ariſtotelis ſumma genera conſecturum, quæ progreſſus, & uiæ quædam ſunt ad uniuerſam philoſophiæ ſpeculationem, quæ in diſſerendi ſubtilitate uerſatur. Orationis uerò multæ partes ſunt, Enuncians, Optans, Vocans, Imperans, atque Interrogans, ac præterea multæ, quas nunc colligere propoſitum non eſt. In iis enim, quæ Logica appellantur, quia diſſeruntur ſubtilius, non de omnibus, ſed de enunciante ſolum oratione agitur: ea enim nuncius animæ eſt, quæ intelligentia prædita eſt, & cognitione: Cæteræ uerò ei animæ attribuuntur, quæ libidinum æſtu fluctuat: nam qui rogat, aliqua cupiditate ductus rogat. Siquis item quempiam uocat, aliquo deſiderio impulſus uocat: idem agit, qui aliquem alloquitur. Sola Enuncians oratio uera eſt, aut falſa: reliquæ nec ueræ, nec falſæ ſunt. Ita quoque fit, ſiquis deprecetur. Enuncians oratio uel uera, uel falſa eſt: ueluti ſi animam mortalem, uel immortalem eſſe quis demonſtret, ſemper uel uerum, uel falſum dicet: eſt enim Enuncians oratio, quæ rem eſſe, uel non eſſe demonſtrat: atque duas habet uoces, quæ Termini dicuntur, quarum altera ſubiicitur, altera de ſubiecta re quippiam enunciat. Sed ut planius, atque apertius id fiat, exemplum apponam: Homo animal eſt. homo, quia de eo ſermo habetur, ſubiicitur, animal de homine dicitur. Simili quoque modo in hac propoſitione, Anima immortalis eſt, & cæteris eiuſdem generis: nam anima ſubiicitur, & immortalis de illa dicitur: ita fit, ut huiuſmodi oratio non immeritò illos duos terminos habere dicta ſit. Porphyrius poterat quoque de generibus, & formis diſſerere, quatenus ad primam philoſophiam pertinet, cùm præſertim de formis generum, ac formarum, ſint'ne apud Deum, an non, oriatur plerunque magna diſſenſio. Vera igitur Platonis opinio eſt, qui ideas animo cerni, & ratione intelligi, ac per ſe conſtare uult, quas & uerè, & primò ſubſtantias appellat: ſiue etiam non uera, ut Ariſtoteli uidetur. Naturaliter quærimus, quando conſideramus, natura'ne in ſeipſa formarum, generumq; rationes habeat: natura enim non facit perinde, ac nix, quæ nulla ratione frigidum reddit quippiam, uel ut ignis, qui adurit: ſed omnino ratione quadam efficit, etſi quæ faciat, non cognoſcit. Poteſt item alio modo naturaliter quæri, utrum uidelicet hæc in multis ſint, utrum inquam uniuerſum animal, & uniuerſus homo in multis eſſe dicatur. & quæ'nam natura iis ſingulis communis ſpectetur, ſed id, quod ita conſideratur, diuidi nullo modo poteſt. Poſſumus demum de iis quærere ea ratione, qua ſolent ii, qui diſſerunt inter ſe ita, ut prima illa argumentandi principia non tranſgrediantur: cùm ſcilicet inueſtigant, num quædam ſint, quæ aliquibus ſubiiciantur, & num quæ dicantur de quibuſdam. Genera de formis, ac differentiis, non tamen contrà, dicuntur. Dictum enim eſt Genus, Differentiam, Speciem ordinem quendam ſeruare: ſiquidem Genus in uocibus primas tenet, ſecundum locum Species ſortitur, iis intermedia Differentia eſt. Superiora de inferioribus dici debent, non tamen reciprocatur: nam ſi dixerimus, Omnis homo animal eſt, uerum dicemus: at ſi reciprocabitur oratio, ut dicatur, Omne animal homo eſt, falſum dicetur. Omnis item equus rationis expers eſt, uerum eſt: ſed omne rationis expers equus eſt, falſum eſt: nam rationis expers non debet equo ſubiici, ut nec etiam animal homini, ut recens dicebam. Eſt igitur explicandum, qui termini ſubiiciendi, & qui dicendi ſint, id quod philoſophus deinceps facit, ac propterea addidit, probabiliter, id eſt, ut ad eam philoſophiæ partem ſpectat, quæ eſt quærendi, ac diſſerendi.

At quomodo de illis, atque iis, quæ commemorauimus, ueteres, ac præſertim Peripatetici probabiliter diſſeruerint. Ratione diſſerendi utetur is, qui rerum accidentia inueſtigabit: Naturaliter diſputant illi, qui ſubſtantiam inquirunt: Diuinè uerò, qui rerum omnium ortum, & quare unaquæq; conſtet, indagant. Cùm itaq; Naturaliter agere de generibus, & formis, ut iam dictum eſt, ſit ea, quæ ſenſibus percipiuntur, exquirere, ut Ariſtotelem feciſſe uidemus; Diuinè, cùm ea, quę in opifice ſunt, perſcrutamur, ut in Parmenide Plato: hoc loco logico potius more de iis agendum eſt, quoniam in logica facultate enun-

ciantibus orationibus utimur, in quibus nonnulla ſubiiciuntur, nonnulla de ſubiectis dicuntur. Subiectus autem terminus, & qui de ſubiecto dicitur, aut Genus, aut Species, aut Differentia, aut Proprium, aut Accidens eſt.

Quomodo de illis, hoc eſt, generibus, & formis: nam ſubito de illis uerba facit. Addens præterea, **Atq; iis**: reliqua tria Differentiam, Proprium, & Accidens ſignificauit. Niſi fortè ita intelligendum ſit, ut cùm dicat, **De illis**, Genus, Differentiã, & Speciem: cùm addat, **Atq; iis**, Propriũ, & Accidẽs ſignificet.

Ac præſertim Peripatetici. Porphyrius horum inuentionem, ac doctrinam non ſibi aſciſcit, ſed Peripateticis, qui omnibus, qui ea probabiliter tractauerunt, longè diligentiores fuerunt. Peripateticis id nomen hac de cauſa impoſitum eſt. Diuinum Platonem in academia deambulare ſolitum, & cum familiaribus congredi, ut corpus exerceret, atq; eo pacto ad animi ſplendorem ſuſcipiendum aptum redderet, literarum monimenta tradiderunt. inſtrumenta enim ſigno ſunt, quale artificium opificis ſit: ita fit, ut etiam Platonis commilitones, propterea quòd diſputabant inambulantes in Lyeio, Peripatetici cognominati ſint. Ac primò ab ipſo Platone Ariſtoteles, & Xenocrates, quorum alter Peripateticorũ, alter Academiæ nomen obtinuit profecti ſunt. Ariſtotelici enim Peripatetici ex Lyceo, Xenocratici Peripatetici ex academia dicebantur. Paulò pòſt tempore Ariſtotelis ſtudioſi actionis cognomen retinuerunt, & loci abiecerunt: at qui ſe ad Xenocratem applicauerant, actionis nomen exuerunt, & loci cognomen induerunt, & Academici uocati ſunt. Porphyrius itaq;, qui Platonis etiam ſectam ſecutus eſt, inſtitutionem quandam ad Platonis dicta, & ad ſumma genera Ariſtotelis utilem ſcripturus, Tibi, inquit, explicabo, quomodo de iis antiquiores, & præſertim Ariſtotelici (nam ob hanc cauſam dixit, & prẹſertim Peripatetici) locuti ſint.

Summa genera decem ſunt, Subſtantia, Quantum, & reliqua, ex quibus ſola ſubſtantia ſe ſuſtentat, cætera ad ſubſtantiam annituntur. Hæc generis deſcriptio, quæ danda eſt, omnibus decem conueniet. Verùm non dicendum eſt, æquè cæteris, ac ſubſtantiæ conuenire: differunt enim in eo ipſo, quia ſint, quoniam quicquid acciderit ſubſtantiæ, ut uidelicet tanquam genus in ſpecies, quæ ſub ipſa ſunt, diuidatur, in cæteris itidem accidentibus efficietur: diſtribuuntur enim ipſa quoq; in ſpecies, quæ ſub ipſis exiſtunt, ueluti genera. Verùm aliud eſt, ſi quatenus ſubſtantiæ, & accidentia ſunt, atque aliud, ſi prout ſumma genera, id quod omnibus commune eſt, conſiderabuntur.

DE GENERE.

GENVS, & Speciem non ſimpliciter dici, uidetur.

CVM NOBIS indicauerit, quid libro propoſitum ſit, quamq́; afferat utilitatem, & quiſnam modus, ac ratio habenda ſit, ut eos inſtituamus, qui recèns ſapientiẹ ſtudiis operam nauant, dixeritq́; uelle quæſtiones difficiles ſilentio tranſire, & faciliores in medium adducere, oſtenderit etiam quæ abſtruſæ, & quæ faciles ſint, ſingularum nunc quinque uocum doctrinam explanare aggreditur. De Genere primùm dicit, quoniam cùm uoces numerarentur, primæ ei delatæ ſunt. Genus etiam ob hanc cauſam ſpeciei præponitur, quia multas ſub ſe ſpecies comprehendit: & quanquam Genus, & Species mutuo ſeſe referant, ſunt tamen quædam ex iis, quæ ſub eandem rationem cadunt, quibus nonnulla reperiuntur cæteris antiquiora, & eorum cauſẹ dicuntur: quemadmodum Patrem Filii cauſam dicimus, & quatenus homines utriq; ſunt, priorem: atqui ſimul cognoſcuntur, & ſeſe mutuò conſtituunt, eo, quòd ſub eandem cadunt rationem. Quæ cum aliquo conferuntur, quædam ſubſtantiẹ prius ſint neceſſe eſt: cùm igitur cauſam eorum quæ cum aliquo comparantur, cauſam inquam priorem inueſtigabimus, eam uel tempore, uel ordine naturæ priorem eſſe comperiemus, & illam per cauſam antiquiorum dicemus: in patre igitur ac filio temporis ratione pater ſenior eſt, ipſe enim ſubſtantia quædam eſt, quæ filii naturam efficit: igitur hoc modo patrẽ dicemus filio antiquiorem. Dominus quoq; ac Seruus, Præceptor, ac Diſcipulus, etſi ex iis ſunt, quæ cum aliquo conferuntur, ſola tamen cauſa, non tempore priores ſunt: ac tempore quidẽ itidem eſſent, ſi dominus ſeruo, & magiſter diſcipulo ſenior eſſet. Idẽ in Genere, & Specie intelligi par eſt: Genus enim & Species ſub eandem rationem cadunt: quæ ſub eandem cadunt rationem, ſubſtantias prius eſſe neceſſe eſt. Genus ratione ſubſtantiæ, ordine naturæ, quia ſpeciei ſubſtantiam conſtituit, prius conſtat, at non tempore: genus enim in ſpecies diducitur. Omne, quodcunq; diuiditur, prius ſuis partibus eſt, utpote quod illas cõſtituat: genus igitur ratione ſubſtantiæ ſpecie prius eſt. Priora per ſubſtantiam in iis, quæ ſub eandem cadunt rationẽ, per cauſam priora ſunt: genus itaq; ſpecie antiquius eſt, ac merito primum locum obtinuit. Quinetiam in hominis ortu naturã eiuſmodi ordinem ſeruare exploratum eſt, atq; teſtatum: nam ſemen humanum accipiens primò uitale facit atque animatum, paulum procedens, ſenſum impertitur, & ita animal efficit: tum libidinem, & iram adiungens, rationis expers animal conſtituit: poſtremò rationem perfectam addens hominem efficit. Genera igitur propter ſubſtantiam ſunt formis priora. ſed prout genera & ſpecies mutua quadam relatione ſimul in aliis ſunt, & una dimouẽtur, nomina tantum ſunt. Quærendum hoc loco dignum putamus, quam ob cauſam, cùm generis doctrinam nobis tradat, ſpeciei, & non differentiæ, ac reliquarum uocũ meminerit. Dicẽdum igitur ad hoc eſt quàm breuiſsime. Genus & ſpecies ſub eandem cadũt rationem, ut iam dictũ eſt nobis, ſpecies enim generis ſpecies eſt, genusq́; ſpeciei eſt genus: ea re fit, ut non ſine ratione in genere declarando ſpeciei mentionem fecerit. Quicunq; enim ea, quæ ſub eandem cadunt rationem docere uult, ſi unius meminerit, alterum quoq;

ſilentio

ſilentio non tranſeat neceſſe eſt. Ariſtotelis porrò regula, ac norma quędā eſt, qua Porphyrius utitur: eam, quia ſeruāda eſt, uobis ignotam eſſe nō uelim. Eum, inquit, qui de aliquo ambiguo nomine ſit uerba facturus, illius nominis ſignificationes prius explicare neceſſe eſt, tum dicere de qua ſignificatiōe loquatur: nominis enim ambiguitas plerunq; etiā errorem creat, cùm aliam doctor, aliam auditor eiuſdem nominis ſignificationem capit. Siquis, exempli gratia, de cœleſti cane ſermonē habiturus ſit, dicat, canis æſtus facit, fructuſq; perficit: niſi prius dixerit, de quo cane loquatur, auditor in errorem inducetur. Omnes igitur canis ſignificationes numerandæ ſunt, ut diſtinguatur hoc modo, Canis, alius cœleſtis, aliis terrenus, alius marinus eſt. Dicatur poſtea, de cœleſti uerbum fit. Ita Porphyrius philoſophorum præcepta diligenter tenens omnes generis ſignificationes enumerat, deinde de quo genere loquatur, declarat. Quod autem ait, Videtur, non ita intelligendum eſt, ac ſiquis ſomniallet, diceretq; ſibi quippiam uiſum fuiſſe: ſed tanquam apparet, exploratū eſt, & cōſtat inter omnes. Simpliciter quatuor modis dicitur: ſignificat enim ad ſummam, & uniuerſe, quæ ſignificatio apud oratores in uſu frequēti eſt. Propriè, ut cùm inquit Ariſtoteles ſimpliciter ortus, proprium ortum intelligit. Temere, & nulla de cauſa, ut cùm dicimus, herus ſimpliciter ſeruum uerberat, intelligendum eſt perinde, ac ſi diceremus, perperam, hoc eſt, cùm nulla cauſa ſubſit, qua ſic affici ſeruus debeat. Poſtremo ſignificat, uno modo, qua ſignificatione dictum eſt, Veritatis ſimplex oratio eſt; & ita nunc acceptum eſt; Videtur, inquit, nec genus, nec ſpeciem uno modo dici debere.

Nam & multitudo aliquorum, qui ad unum quiddam affecti ſunt, atq; inter ſe cognatione quadam iungūtur, Genus appellatur: qua ſignificatione uocatum eſt Heraclidarum genus ab unius Herculis relatione, ac nonnullorum multitudini, qui ea ſocietate ſunt inter ſe coniuncti, quam ab illo traxerunt, qua eadem ſignificatione à cæteris generibus ſecluduntur. Alio item modo Genus dicitur id, à quo aliquis ortus initium ducit, ſiue ab eo, qui genuit, ſiue à loco, in quo quiſpiam natus eſt: ita enim Oreſtem à Tantalo, & Hylum ab Hercule genus duxiſſe, ac Pindarum genere Thebanum, ac Platonem Athenienſem affirmamus: patria enim perinde ac pater cuique ortus principium præbet. Atque hæc ſignificatio ſe nobis offerre primùm uidetur: nam Heraclidæ dicuntur ii, quibus Hercules initium dedit. Cecropidæ itidem, atque iis agnatione coniuncti appellati ſunt, qui à Cecrope ſunt profecti. Prius enim Genus appellatum eſt, cuiuſque ortus initium, deinde eorum multitudo, qui ab uno principio, ut ab Hercule, quaſi quodam fonte manarunt: quam ſanè multitudinem diſtinximus, & à cæteris diſiunximus, cùm uniuerſam multitudinem, quæ ab Hercule initium ſumpſiſſet, Heraclidarum genus uocaremus.

PRIMAM Generis ſignificationem exponit, quam ait duas habere relationes: alteram multitudinis ad multitudinem, alteram multitudinis ad unum: ut Heraclidæ ad Herculem affecti ſunt, quatenus ab illo genus ducere dicuntur: & eorundem inter ſe, quatenus ſibi ipſis patrui, & nepotes ſunt, aut quauis alia generis agnatione coniuncti: nam illud uerbum, Quadam, rectè additum eſt, quippe cùm alia alteri ex iis, qui ſub eodem genere continentur, relatio ſit: ut uel alii aliorum patres, liberi, patrui, uel fratres, aut conſanguinei ſint ita, ut huiuſcemodi genus perficiant.

Qua ſignificatione uocatum eſt Heraclidarum genus. Cùm dixit, Heraclidarum, ipſum ab aliis generibus ſeparauit, ueluti à genere Tantalidarum, & omnium reliquorum.

Ab unius Herculis relatione, ac nonnullorum multitudinis. Duæ item relationes accipiuntur, unius ad unum, cauſæ, & effecti, ut Herculis ad aliquem Heraclidarum, utpote qui cauſa ſit: effectus uerò is, qui ab illo profectus eſt. id quod uel à patria, uel à loco in quo natus quiſpiam fuerit, deriuari poteſt, prout Platonem Athenienſem genere, & Pindarum Thebanum dicimus. Relatio quatuor modis dicitur: ex arte, ut doctoris ad diſcipulum: uel ex fortuna, ut domini ad ſeruum: uel electione, ut amici ad amicum: uel propter naturam, ut patris ad filium: ſed ſuperiorum relatio eſt ordine naturæ.

Qua eadem ſignificatione à cæteris generibus ſecluduntur. Sciendum eſt, res diſtingui alteram ab altera uocibus, & nominibus, quæ quicquam ſignificant: natura enim nobis eſt comparatum, ut hunc hominem uocari, hunc canem, & reliqua permulta diſcerenius: & hoc pacto unamquanque rem à cæteris ſeparareınus. Etenim ſingulæ artes cùm nouum quiddam, atque etiam admirandum præter alias artes docere uolunt, propriis inſtrumentis nomina imponunt ita, ut res ipſæ declarentur: uerbi gratia, Geometræ cùm multas triangulorum differentias traderent, aliud ſcilicet tria latera æqualia habere, aliud duo tantum, aliud tria non æqualia, propriis nominibus uſi ſunt: quodq; tria æqualia latera haberet, ἰσόπλευρον, quod duo tantum, ἰσοσκελὲς, quod uerò tria non æqualia, σκαληνὸν, appellauerunt, cùm

 præter

præſertim ex iis uocibus uellent unumquodque horum triangulorum ſignificare. Hac itaque ratione ex nominibus res ſignificantur.

Atque hæc ſignificatio ſe nobis offerre primùm uidetur. Adhibuit latebram obſcuritatis, cùm nullo interiecto medio ad primam generis ſignificationem explanandam aggreſſus eſt:fuerat enim indicandum de quo genere haberetur ſermo: Ipſa tamen exempla nobis argumento ſunt, non de poſteriori, ſed priori uerba fieri.primam enim hanc generis ſignificationẽ uideri nobis in promptu,& magis ex conſuetudine cognitam dicit:multorum inquam ab uno uel in multos relationem: quæ prima generis ſignificatio eſt,ſe nobis primum offerre,atq; in promptu propter conſuetudinem inquit eſſe. Sed eſt hoc loco non immerito dubitandum,quare primùm genus traditum,& non unius ad unum relationem, hoc eſt ſecundum genus in promptu eſſe dixerit,cùm illud ordine naturæ notius ſit: primum enim ex uno unũ, multos deinceps ex multis facit. Nos hanc dubitationem hoc pacto tollemus: Secunda generis ſignificatio, quæ nobis poſterior eſt, eſt ordine naturæ certè prior: nam ab Hercule unus primùm, multi deinde oriuntur.Ac prima generis ſignificatio,quæ natura prior eſt,quantum ad nos ſpectat,ſecunda eſt: & quæ natura poſterior eſt,nobis prior exiſtit: atque,ut ſummatim dicam,quæ ordine naturæ priora ſunt, nobis ſunt poſteriora:quæq; naturæ poſteriora,nobis ſunt priora.Naturæ ordine,ut res exemplo declaretur,prima ſunt materia,& forma, deinde quatuor elementa,tum caro, & oſſa, cæteræq; partes generis eiuſdem, poſtremò homo:natura enim ſic à ſuperioribus ad inferiora defertur.At nos,qui proniores ad inferiora,ac procliuiores ſumus, à propinquioribus ad longinquiora reſpicimus, & ab iis,in quibus eſt maior materiæ pars,ad ea,quæ materiæ expertia ſunt,aſcendere uolumus.Primùm enim hominem cognoſcimus,deinde ex oſſibus,& carne componi illum percipimus, tum hæc ex quatuor elementis conſtare, hæc poſtremò à materia, & forma deriuari intelligimus: ex quo conficitur, ut quæ natura priora ſunt, nobis cognitione fiant poſteriora,quæ'que natura poſteriora ſunt,cognitione uobis priora efficiantur. Prima igitur generis ſignificatio potentior eſt,atque expeditior:implicita,& abſcondita ſecunda: id quod fuit in cauſa,ut Porphyrius illius ſignificationem ſe nobis primùm offerri, & in promptu eſſe dixerit: cùm præſertim à facilioribus doctrinam exordiri debeamus.

Alio quoq; modo Genus illud appellatur,cui ſpecies ſubiicitur,eorũ forſitan ſimilitudine, quæ prædiximus. Etenim id genus formarũ, quæ ei ſubiectæ ſunt, initium eſt,multitudinem'q; uniuerſam,quæ ipſi ſubiecta eſt,continere uidetur.

EXISTIT autem hoc loco quædam quæſtio,quid cauſæ ſit,cur cùm aliæ multæ generis ſignificationes ſint,ipſe has ſolùm annumerauerit.Nam alias generis ſignificationes eſſe Plato,qui Subſtantiã,Ideã, Alterũ,Motum,& Statũ eius,quod eſt,genera conſtituit,planum,atq; apertũ fecit. At Porphyrius de his non loquitur,quoniam,ſicut ante dictũ eſt,ſibi propoſitũ erat,de iis uerba facere,quæ ad Ariſtotelẽ pertinerent. Verũenimuero ipſe quoq; Ariſtoteles in Phyſicis materiam unicuiq; arti ſubiectam Genus appellare uidetur:ut in tignaria,ligna:in medicina,humana corpora:& in omnibus naturalibus, materiam primam.Sed Porphyrio propoſitũ non erat hæc proinde, ut Phyſici ſolent,conſiderare: ſed ut faciunt ii,qui diſſerendi,& ratiocinationes efficiendi uiam,ac rationẽ docent. Tertiam igitur ſignificationem connumerat eius generis,de quo philoſophis ſermo eſt,quod ſanè quãdam habet cum prædictis ſimilitudinẽ.Nam ut prima generis ſignificatio duas quaſdam relationes habet, multorum uidelicet ad unum, & eorum ad ſeſe:ita quoq; ſpecies ad genus,& ipſæ ſpecies inter ſe referuntur. Quemadmodum etiam ſecunda generis ſignificatio relationem unius ad unum,& cauſæ ad effectum habet: ſic & genus unius relationẽ ad unum, ut animalis ad hominem,& effecti ad cauſam habet.Illi fortaſſe,qui primi nomina rebus impoſuerũt,cùm diuerſas hominum proſapias diſcerni uellent,hoc Heraclidarum genus,Aeacidarum illud,& aliud Pelopidarum uocauerunt:philoſophi poſtea illos imitati,ſua genera nuncuparunt. Nam ut Heraclidarum genus ſub ſe omnes continet,qui ab Hercule initium duxerunt:ita & animal,quod genus eſt,efficit:ſingulorum enim animalium,hominis ſcilicet,equi, canis,& reliquorum, uniuerſale animal appellatur. Ac ſæpe etiam philoſophi ſua genera prius inuenerunt, illi poſtea, qui nomina rebus impoſuerunt, ad philoſophorum imitationem ui hominum familis genera nominauerunt. id enim in utranque partem intelligi poteſt. id quod in cauſa eſt, ut ambigatur, utrum philoſophi huius nominationis principes extiterint, an illi, qui uerba conſtruxerunt. Signo enim eſt illa dictio, Forſitan, quæ addita eſt, Porphyrium hac de re addubitauiſſe.

Tribus itaque Generis ſignificationibus explanatis, de tertia tantum philoſophis habenda ratio eſt: id'q; nobis hac deſcriptione patefaciunt. Genus eſt, quod de multis, iis'q; ſpecie differẽtibus dicitur, cùm quid quicq; ſit, rogatur, ut animal. Ea enim quæ dicuntur, cùm de uno ſolo enunciantur, uelut indiuidua, prout Socrates, hic, atque hoc: tum de multis, ut Genera, Species, Differentiæ, Propria, Accidentia'q;, non ea quidẽ, quę propriè in uno, ſed quę in multis communiter inſunt. Eſt'q; Genus, ut animal: Species, ut homo: Differẽtia, ut rationis

partic

particeps: Proprium, ut facultas ridendi: Accidens, ut quod album eſt, quodq́ue nigrum, ſedere.

GENERIS ſignificationibus enumeratis, ait philoſophos de tertio genere habere tantummodo rationem, id quod etiam deſcriptione apertum fecerunt. Nobis igitur quid Deſcriptio ſit, quidq́; Definitio, quæ'ue inter utranq; differentia, & quã ob cauſam ex deſcriptione, & non ex definitione genus docuerit, cùm definitiones ſubiectæ rei uim, & naturam declarent, propriaq́; concludant, & nihil inferant alienum, neceſſariò dicendum uidetur. In omnibus itaque rebus aut unum eſt, aut plura: & propterea unumquodque aut ex nomine, aut ex oratione ſignificatur. Per nomẽ, cùm unum aliquid: per orationem uerò, quando aliquid pluribus partibus conſtans intelligitur. Verbi gratia: ſi Hominẽ ſignificare uelimus, & ex hoc nomine, Homo, & ex oratione, quæ eſt, Animal rationis compos, mortale, ſignificabitur. Atque ea quidem oratio rerum ſubiecta ſignificãs, uel ex ſua ſumitur ui, atq; natura, uel aſſumitur foris. Si igitur ex rei ui ſumatur, Definitio dicetur, quemadmodum hæc, Animal rationis particeps, mortale, quæ hominis naturam perficit. Si uerò ex iis, quæ aduentitia ſunt, eliciatur, Deſcriptio nominabitur: ut, Homo animal eſt, rectè gradiens, latos ungues habens, & manibus utens: hæc enim hominis naturæ adueniunt, eam tamen non perficiunt, ſed tantummodò ſimul eueniunt. Hoc igitur inter Definitionem, & Deſcriptionẽ intereſt, quòd Definitio ex ui, atque natura rem apertam facit: Deſcriptio uerò ex iis, quæ aduentitia ſunt. Dicitur Deſcriptio quaſi adumbratio quædam, & primæ picturæ lineamentũ rude: nam uelut apud pictores adumbratio imaginis figuram oſtendit, non tamen purè, & perfectè: ſic deſcriptiones rem, non tamen plenè manifeſtam reddunt. Definitio autem rem clarè nobis reſerat. Definitio igitur perfectæ picturæ, & Deſcriptio primæ pictorum adumbrationi comparari poteſt. quod etiam in cauſa eſt, ut ὑπογραφὴ dicatur, quod uocabulum & deſcriptionem, & rudem, craſſamq́; adumbrationẽ ſignificat. Cùm igitur definitiones ex genere, & formarum efficientibus differentiis aſſumãtur, ſummiq; generis genus non extet, ut ne ex ipſomet genere, differentiiſq́; generis definitio traderetur, (nam de ſummo genere nunc ſermo habetur) non poterat Porphyrius generi dare definitionem: coactus igitur eſt, illud nobis ex deſcriptione declarare. Damus enim operam, ut eas res deſcriptione explicemus, quas definire nullo modo poſſumus.

Itaque Generis definitionem dare nequimus, tum, ut dictum eſt, quoniam de ſummo genere, quod reliquis omnibus conuenit, uerba fiunt. ſummi nanq; generis non inuenitur genus, deſineret enim ſummum eſſe: atq; ubi genus nõ eſt, definitio tradi nullo modo poteſt. Etenim Definitio omnis ex genere, differentiiſq́; definitã rem complentibus conſtat. At ſi genus non ſit, non erunt quoq; differentiæ formarum procreatrices. Efficientes enim formarũ differentiæ ſunt, quarum in generum diuiſionibus uſus eſt maximus, de quibus pòſt nobis dicendum erit. Cuius igitur genus non eſt, differentiæ quoq; efficiẽtes non ſunt: cùm itaq; genus non ſit, nec efficientes ſummi generis differentiæ, diffinitionem quoq; non eſſe ſequetur. Atq; id in cauſa primum fuit, ut generis definitio non traderetur: Deinde cùm genus ambiguum ſit, non definitur: decem enim modis dicitur, ut in Categoriis uideri poteſt. Ambigua enim definiri nihil eſt cur putẽ poſſe: ſunt enim ſimplices uoces, differuntq́; tantummodo à rebus, quæ ex ipſis ſignificãtur: & definitio rei uim, & naturam ſignificat. Quorum autẽ cunq; definitiones eædem ſunt, res quoq; eædem ſint, eſt neceſſe. Vnam igitur communem ambiguorum definitionem tradere non poſſumus: quo fit, ut ea per deſcriptionem explanentur. In iis enim, quæ in ui, ac natura differunt, eſſe eadẽ accidentia poſſunt, ueluti hoc in loco luculenter uidetur. Sunt enim inibi multa genera, quæ propter uim, atq; naturam inter ſe differũt: una tamen, atq; eadem omnibus ineſt ad comprehenſas ſub ſe ipſis ſpecies relatio. Summi igitur generis Porphyrius ideo non definitionem, ſed deſcriptionem tradidit, ut ea poſſet omnibus decem conuenire. Dubitabit fortaſſe de his quiſpiã, & inquiet. Si ambigua non definiuntur ex eo, quòd tenues, ſimpliceſq́; uoces ſint, definitioq́; rei naturam ſignificet, qua'nam ratione deſcribi poſſunt: ſiquidem deſcriptio accidentium concurſione ſubiectam ipſis uim declarat: in eius enim naturæ, cui hæc accidunt, cognitionem nos inducit: cùm itaq; unam ambiguorum deſcriptionem tradamus, & per eandem in ſubiectæ naturæ cognitionem deueniamus, non modò nomina, ſed res etiam eaſdem eſſe comperietur: quod nihil eſt, cur fieri poſſe putem, propterea quòd decem genera Subſtantiam, Quantum, Quale, & reliqua in quibus genus ambiguum eſt, eſſe eadem inueniremus. Hæc ſanè dubitatio reiecta, & cõfutata eſſe poterat à nobis, cùm nuper diceremus, in iis, quæ ex ui, atque natura differunt, poſſe eadem ineſſe accidentia, ex quibus aſſumeretur deſcriptio: fieri igitur poteſt, ut decem ſumma genera eandem relationem ſuſcipiant: nam Subſtãtia cùm in ſe corporeum, & corporis expers contineat, eſt eorum genus. Quale item, cùm plures ſpecies comprehendat, ipſarummet genus eſt: idq́; in reliquis eodem modo. Ita fit, ut in omnibus decem generibus una, atq; eadem relatio accidat. Proinde mirum nõ ſit, ſi una eorum deſcriptio tradatur, quæ per uim, ac naturam differũt, & ea, quæ deſcribantur, eadẽ non ſint. quippe cùm decem genera id cõmune habeant, ut unũ eorum quodq; de multis, non tamen de eiſdem, aut totidem dicatur. ac ſi fortè unum de quatuor formis diceretur, & de totidem aliud, hæc quidem inter ſe conuenirẽt, in eo quod de multis dicerentur, ſed quia non de eiſdẽ, ac talibus diſcreparẽt. Deſcriptio igitur uel ex ui nominis, ac notatione, aut ex fortuita proprietatũ concurſione ſumitur: eaq; propriè deſcriptio dicenda eſt. Ex notatione hoc modo: homo dicitur ἄνθρωπος, ἀπὸ τοῦ ἄνω ἀθρεῖν, quod ſupra aſpiciat. uel ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, id eſt contemplãs quę uidit,

uel

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

uel quòd oculos altiſsimum locum obtinentes habeat, ex quo plurima circunſpiciant. Ex fortuita cõcurſione ſic: Homo animal eſt, rectè gradiens, latos ungues habens, ut ſupra diximus. Definitio omnis uel ex materia aſſumitur, uel ex forma. Ex materia, ut cùm iram ſanguinis feruorem in corde definimus: ex forma, cùm iram eſſe dicimus ulciſcendi libidinem: uel ex utriſque, uelut cùm iram ſanguinis in corde feruorem, & ulciſcendi libidinem definimus. At cùm ex ſola materia, ſoláue forma ſumitur definitio, imperfecta eſt: cùm uerò ex utriſque, perfecta eſt: quandoquidem utrunque ſignificat: genus enim materiæ ſimile eſt, formæ differentia. Hæc igitur definitio ad nullas alias res, quàm ad eas, quæ intermediæ ſunt, transferri poteſt: ſiquidem nec prima, nec ultima genera, neque differentias, quæ generis uim naturamq; complent, ſed ſpecies, uelut indiuidua, ſolùm habeat. Ex quo conficitur, ut eorum deſcriptiones, & non definitiones tradantur, ut Socrates eſt Sophroniſci filius, Athenienſis, philoſophus, uentre opimo, & adipato, caluus, naſo adunco, & ſiquid præterea in eo inſit. Quicunque dicunt genera, quæ appellantur generaliſsima, differentias, quæ uim generis abſoluunt, habere, non rectè dicunt: quoniam eas tantum differentias habent, quibus genera in partes diuiduntur, non quæ generis uim, naturamq; complent. Omne enim efficiens effecto prius eſt: nam, ut paulò antè dicebam, efficientes aliquorum differentiæ longè prius diuidentes erunt, quàm ſumma genera. Ratione igitur utens, & mortale, quæ hominem efficiunt, & mortale, ac rationis expers, ex quibus equus efficitur, genus, animal ſcilicet, diuidunt, quòd in ratione utens, & rationis expers, mortaleq;, & immortale diſtinguitur. Rectè igitur effectrices aliquorum differentias effectus antiquiores eſſe dictum eſt, ac nihil ſummo ſuperius eſt. His ita diſtinctis cùm ſummi generis dare definitionem non poſſet, meritò ex deſcriptione illud patefecit. Verùm ut percipiamus quænam, & unde hęc deſcriptio ſumpta ſit, erit hoc pacto dicendum: ut etiam intelligamus, non fortuitò, & temere harum quinq; uocum doctrinam à Porphyrio traditam fuiſſe: quinetiam omnem uocem ſub harum aliquam neceſſariò reduci oportere, & Porphyrium hanc rationem prouidentiſsimè conſtituiſſe. Ex uocibus aliæ nihil quicquam ſignificant, cuiuſcemodi ſunt Cnax, Blityri: aliæ ſignificant illæ quidem, ſed uel de uno dicuntur, prout ſunt Socrates, Plato, & cæteri ſingulatim: uel de multis. Quæ de multis dicuntur, uel ex ui, atque natura: uel per id, quod aduentitium eſt, dicuntur. Quæ præterea ex ui, atque natura, uel in quæſtione, qua quid quicque ſit, quæritur, uel in qua qualitas inueſtigatur, efferuntur. Si in quæſtione, qua rei natura indagatur, aliqua uox enuncietur, uel de iis dicetur, quæ ſpecie differunt, ut Genus, uel de iis, quæ differunt numero, ut Species. Si in quæſtione, qua rei qualitas, & modus inueſtigatur, erit Differentia. Quæ uerò ex eo dicuntur, quod ad rei naturam annititur, uel de una ſpecie, ut Proprium, uel de multis, ut Accidens, dicuntur. Hæc ſanè diuiſio quaſcunque uoces neceſſitate quadam ſub illis quinque, nec pluribus, aut paucioribus contineri demonſtrat. Voces tum ſignificare, tum non ſignificare diximus. Quæ ſignificant, uel de uno dicuntur, uel de multis. De multis dicuntur Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Septem igitur uoces cùm ſint, nihil ſignificanter, de uno dictæ, & quæ de multis dicuntur, Genus inquàm, Species, Differentia, Proprium, & Accidens, duabus primis ſublatis, quinque ſuperant. Voces non ſignificantes ideo abiiciuntur, quia nec grammaticis, nec oratoribus, & multò minus philoſophis ulli uſui ſunt. Illæ præterea, quæ de uno dicuntur, remouentur, quia ſingularum rerum ſunt: & ſingula infinita cùm ſint, comprehendi ſcientia non poſſunt. At philoſophi certa ſcientia tradere omnia profitentur. Scientia enim, ut in Cratylo inquit Plato, dicta eſt, quòd in quendam definitum quæſtionum ſtatum, ac metam perducat. Singulæ igitur res cùm multę ſint, atq; interminatæ, ſcientiam non faciunt. Quæ uerò de uno dicuntur, de ſingulis dicũtur: id quod in cauſa eſſe potiſsimum uidetur, cur prætermittantur, & quinq; tantum reſtent: uidelicet Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens: ſub quibus omnia, quæcunq; finita ſunt, atq; adeo uocem unamquãq; inuenies, licet motionẽ, aut infinitatem quiſpiam nobis obiiciat. Sed de iis ſit in diuiſione ſatis iam dictũ: deinceps autẽ copioſius agendum eſt, proinde ordiar. Vocum aliæ non ſignificant, ut cnax, blityri: aliæ ſignificant. De iis quæ nullam ſignificationẽ habent, nulla habetur ratio: appellãturq; hæ ἀκατηγόρητα, ex eo, quòd de nullo dicãtur. Significantes uel de uno dicuntur, ut Socrates, Plato: uel de multis, ut Genera, Species, Differentiæ, Propria, atq; Accidẽtia. De ſingulis non loqui philoſophos diximus. Quæ de multis dicuntur, uel ex ui, atq; natura, ut Genera, Differẽtiæ, Speciesq;, quæ rei naturã abſoluunt, dicuntur: uel non ex ui, atq; natura, ut Propria, & Accidentia, quæ rei ſubiectæ naturam non complent. Earum rurſus, quæ ex ui, atq; natura dicũtur, aliæ de ſpecie differentibus, ut Genera, & Differentiæ: aliæ de numero differentibus dicuntur, uelut Indiuidua, quæ inter ſe differunt non ſpecie illa quidem, ſed materia, & numero, ut fuſcus equus, & fuluus: non enim ſpecie quicquam diſcriminis habent inter ſe, ſed numero, & materia. Denarius præterea numerus ex decem non compactis, ac penè conflatis, ſed diſtinctis cõponitur: ex decem enim coniunctis nunquam denarius numerus componeretur, Ex his igitur Generis, Speciei, & Differentiæ diſcrimen habemus. Hoc uerò modo diſcordant inter ſe. Species de numero differentibus dicitur, Genus uerò, ac Differentia de multis, iisq; ſpecie differentibus dicantur. Quædam etiam in quæſtione, qua quid quicque ſit, indagatur, enunciantur. In quæſtione qua quid aliquid ſit, inueſtigari dicitur, quoniã ſiquis nos rogauerit, quid homo ſit, animal, quod genus eſt, reſpondebimus: id quod in cauſa eſt, ut Genus in quæſtione, qua quid quicq; ſit, quæritur, dicatur. In quęſtione uerò, qua rei qualitas quæritur, dici quippiam affirmamus, quia ipſa qualitas aut modus inueſtigatur. Si, uerbi cauſa, rogauerit

nos quiſpiam,quale animal homo ſit:rationis compos, differentiam uidelicet,reſpondebimus:ex quo efficitur, ut Differentia in quæſtione, qua rei qualitas indagatur, enunciari dicatur. Liquidò ex iis apparet, quid inter Genus, & Differentiam interſit:nam hoc in utriſq; diſcrimen eſt, ut Genus in quæſtione, qua quid quicq; ſit:Differētia in quæſtione,qua qualitas inueſtigatur,enuncietur. Præterea ex illis,quæ nō dicuntur ex ui, atque natura,aliæ in una quadam ſpecie inſunt, ut Propria:aliæ in multis,ut Accidentia. Quæ ſanè diuiſio Proprii,& Accidentis nobis diſcrimen declarat.Proprium enim in una ſpecie,& Accidens in multis ineſt.Cùm igitur hæc diuiſio ſe habeat ad hunc modum,omnem uocem ſub harum quinq; unà conſtitui neceſſe eſt.Perſpicuum quoque eſt,nos ex propoſita diuiſione uniuſcuiuſque,uel definitionem, uel deſcriptionem tradere poſſe : modò eligamus quæ ad cuiuſque rei explanationem utilia eſſe uideantur:quemadmodum ipſe Porphyrius fecit,cùm ait:

Genus eſt,quod de multis,iiſq; ſpecie differentibus,dicitur,cùm quid quicque ſit,rogatur, ut animal. Illa autem uerba,**De multis**:genus ab indiuiduis diſtinguunt, quæ de uno tantum dicuntur:cùm adderet, **Iiſq; ſpecie differentibus** : genus à ſpecie , & proprio ſeparauit. Subiungens poſtea, **Cùm quid quicq; ſit,rogatur** : genus à differentia diſtraxit,atq; ab accidente. Igitur cogitanti mihi uocum differentiam uelle indicare, & demonſtrare Ariſtotelem his tantum quinq; neceſſario uſum eſſe, diuiſionem amplificare,& diffundere quodammodo, ac quaſi dilatare uiſum eſt. Cùm ſeptem uoces ſint, duabus reiectis,quinq; tantum ſuperſunt. Philoſophus nolens nunc cauſam afferre,ob quam his ſolis uſus ſit Ariſtoteles,ſed duntaxat ſignificantium quinq; uocum differentiam declarare, arctius hoc pacto diuiſionem compreſsit. Ea,inquit,quæ dicuntur,cùm de uno ſolo ēnunciantur,tum de multis:& ſuperiorē diuiſionis partem reliquit: Ac de uno quidem dicuntur,ut indiuidua, ueluti Socrates,Plato,Alcibiades : de multis uerò,uel de ſpecie differentibus,uel numero. De ſpecie differentibus Genus, Differentia,& Accidens dicuntur.Genus enim,uelut animal,de multis formis,homine ſcilicet,equo,& cane dicitur. Differentia,ut rationis compos de angelis, & hominibus dicitur:& mortale de iis etiā , quæ ſunt rationis expertia, ut de equo,& reliquis belluis. Accidens de multis formis, ut de candore, nigrore, ſtatione , motioneq; dicitur.Species,& Proprium ea ſunt,quæ de numero differentibus dicuntur.Quæ de multis,& ſpecie differentibus dicuntur,uel in quæſtione qua quid quicq; ſit:uel in ea,qua modus,aut qualitas inueſtigatur, dicuntur. In quæſtione qua quid quicq; ſit,quæritur,dicitur genus,in qua qualitas,dicitur accidens,quod ſeparari non poteſt,in qua uerò modus,dicitur accidens,quod ſeparari poteſt.Nam interrogati,quomodo ſe habeat Plato:bene illum ualere, aut ægrotare,aut ſedere,aut aliquid eius generis reſpōdebimus. Dubitare nunc par eſt,ſi quinque uoces memoratæ ſub uoce, tanquam earum genere conſtituantur,& genus ſub ipſis conſtituatur, num ſit genus ſummi generis : hoc enim ita abhorreret, ut nihil poſſet eſſe peruerſius.Dicimus igitur,Genera non ueluti res,ſed tanquam uoces ſub hanc diuiſionē adduci:nam ut ſummæ res,non amplius ſub quid communius adducentur.

Ea,quæ dicuntur. Iis uerbis quomodo expoſita generis deſcriptio ipſum genus ab aliis diſtinguat, declaratur.

Hic,atque hoc. Hæc enim ſingula ſunt,quæ de uno dicũtur.Ac rectè mea quidē ſententia philoſophi hunc loquendi modũ à ſingulis traxeruut:nam cùm demonſtramus,hoc,illud,& aliud dicimus : ſiquidem hæc & ſub demonſtrationem,& ſub ſenſum cadunt. homò enim, atque animal,ſi uniuersè ſumantur,pari quoq; modo cæteræ uniuerſæ res,quæ in opifice ſunt,neq; ſub demonſtrationem,neq; ſub ſenſum cadunt. Rectè igitur ſingulas res, non autem uniuerſas in demonſtrationē redegerunt. Indiuidua ideo dicũtur, quia nec in ſpecie ſimilia,nec diſsimilia diuiduntur,id quod genera, & ſpecies faciunt:nam Indiuidua unà cum diuiſione corrumpuntur,ac tolluntur : animal enim,quod in me eſt, commune non eſt, ſed mihi ſoli adſcribitur.Simili quoq; modo rationis compos,atq; omne compoſitum,ex quo homo definiatur.

Accidentiaq; , non ea quidem , quæ propriè in uno, ſed quæ in multis communiter inſunt. Singula de multis non dicũtur,ut candor in corpore,uel in Vlyſſe cicatrix, ex qua à nutrice agnitus eſt:in ſolo enim Vlyſſe cicatrix inerat,ſecus quonā pacto nutrix illum ex cicatrice agnouiſſet? propterea igitur dixit accidentia, quæ in multis communiter,& non quæ in uno inſunt:id eſt uniuerſa,& non ſingula.

Eſtq; genus , ut animal. apertiſsimam doctrinam reddit , cùm exemplum uniuſcuiuſque quinque uocum ſupponit.

Genera igitur ab iis , quæ de uno tantùm efferuntur , interſunt , quòd ea de multis enuncietur : ab iis autem , quæ in multis dicuntur , à ſpecie , quoniam ſpecies etſi de multis , non tamen ſpecie , ſed numero differentibus enunciatur. Homo enim ſpecies cùm ſit , de Socrate , deq; Platone dicitur , qui inter ſe non ſpecie , uerùm numero ſolùm diſcrepant : at Animal , quod genus eſt , de homine , boueq; , atque equo dicitur , qui non ſolùm numero , ſed etiam ſpecie ſunt inter ſe diuerſi. Præterea Genus,& Proprium hanc habent diſsimilitudinē, quòd Proprium de una tantum ſpecie,cuius proprium eſt,deq; indiuiduis, quæ

ab eo

ab eo continentur, enunciatur: uelut facultas ridendi de ſolò homine, ac ſingulis hominibus effertur: at Genus nõ de una ſpecie ſolùm, ſed de multis etiam, iiſq́ꝫ differentibus enunciatur.

QVOMODO Genus ex deſcriptione à reliquis ſeparetur, hæc nobis clarum, ac perſpicuum faciũt. Etenim Genus de multis, iiſq; non numero ſolùm, uerùm etiam ſpecie differentibus, Species autem de numero differentibus tantùm dicitur: una igitur quoq; uox hoc modo definienda eſt, aut deſcribenda: Genus uox eſt ſignificans, quæ de multis, ſpecie autem differentibus, dicitur, cùm quid quicque ſit, quæritur. Differentia eſt uox ſignificans, quæ de multis, ſpecie autem differentibus, in quæſtione, qua quale quid ſit, indagatur, dicitur. Species eſt ſignificans uox, quæ de multis, iiſq́; numero differentibus dicitur, cùm rei natura quærendo inueſtigatur. Proprium uox eſt, quæ ſignificans quippiam rei naturæ aduentitium de una tantum ſpecie dicitur. Accidens uox eſt, quæ aliquid foris aduenièns ſignificat, deq́; multis, iiſq́; ſpecie differentibus, cùm quale quid ſit, aut quomodo ſe habeat, inueſtigatur, dicitur.

At animal, quod genus eſt. Scite debemus, quæcunq; differunt ſpecie inter ſe, numero quoque differre: at quæ numero differunt, non itidem ſpecie differunt, neq; enim reciprocatur oratio. Nec quenquã fugiat, Idem triplici modo dici: Idem genere, Idem ſpecie, Idẽ numero. Genere, ut homo, equus, bos: ſiquidem hæc omnia & animalia, & eadem ratione generis exiſtũt. Specie, ut Theo, Socrates, Plato: nam hi ſpecie ſunt iidem. Numero, ut homo, uir, & enſis, ac gladius. Igitur ſi Idem tribus modis dicitur, Aliud quoq; totidem dicetur: quædam enim Genere differunt, & alia inter ſe uel ſpecie, uel numero erunt: quæ autem genere uiciſsim differunt, ſemper uiciſsim ſpecie differẽt, & numero, uelut homo, & candor: differũt enim inter ſe genere: nam homo animal eſt, & candor qualitas. Quin Specie itidem different, quoniam alia eſt hominis, & alia cãdoris ſpecies, uel ex eo, quòd Homo animalis ſpecies eſt, quod genus eſt: Candor autem eſt qualitatis, & coloris ſpecies. Sed Numero pariter different: homo enim qui percipi ſenſibus poteſt, ut Socrates, alius, ac diuerſus eſt à Platone. Rectè igitur ea, quæ Genere diſtant, ſpecie quoq;, numeroq́; diſsimilitudinem habere dictum eſt nobis. Quæ Specie diſpatia ſunt, numero quoq; ſunt differentia, non tamẽ etiam genere: ut homo, equus, inter quæ ſpeciei ratione uarium interuallum interiectum eſt, quandoquidem alia eſt hominis ſpecies, & equi alia. Quæ Numero, nihilominus ſunt alia: nam alia eſt hominis, & alia equi materia. Genere uerò cum utraque animalia ſint, repugnantia non ſunt. Quæ uerò ab aliis numero abſunt, nec genere, nec ſpecie inter ſe omnino intereſſe oportet: ac propterea dixit, **Qui non ſolum numero, ſed etiam ſpecie ſunt inter ſe diuerſi.** proinde ut ſi compertũ iam eſſet, ea, quæ inter ſe ſpecie diſcrepantia ſunt, numetro quoque ſemper habere uarietatem.

Hoc demum Genus, Differentiæ, communiaq́ꝫ Accidentia inter ſe differunt: quòd etſi Differentiæ, communiaq́ꝫ Accidentia de multis ſpecie diuerſis dicuntur, non tamẽ in ea quæſtione dicuntur, qua quid ſit, ſed qua quale quippiam ſit, quęritur. Cùm enim rogamur, quid'nam illud ſit, de quo hæc dicantur, non differentias, & accidentia, ſed genus reſpondemus: uel ex eo, quòd differentiæ, atque accidentia non in quæſtione, qua quid res ſit, ſed qualis ſit, quæritur, enunciantur. Nam ſi quiſpiã roget, qualis ſit homo: rationis particeps reſpõdebimus. Et cùm quærat, qualis coruus ſit: nigrum eſſe dicemus: illud enim differẽtia, & hoc accidẽs eſt. Siq́ꝫ roget, quid homo ſit: animal dicemus, quod hominis genus eſt.

DIFFERT, inquit, Genus à Differentiis, & Accidẽtibus uniuerſis, quòd illa in quæſtione, qua rei qualitas, aut modus quæritur, Genus uerò in ea, qua quid res ſit, dicitur. Ex iis, quæ in quæſtione, qua quid quicque ſit, quæritur, dicuntur, Genus à Specie diſcrepat, quoniã Species de multis, iiſq́; numero differentibus, Genus uerò de multis, & ſpecie differẽtibus dicitur. Eſt item inter Genus & Proprium diſcrimen, propterea quòd Proprium uni tantum ſpeciei, & Genus multis conuenit.

Ea re factũ eſt, ut cùm Genus in multis dicatur, ab iis omnibus diſsideat, quæ de uno ſolum dicuntur: quod autem de Specie differentibus enuncietur, ab iis diuerſum ſit, quæ tanquam Species, & Propria dicuntur. Quòd cùm quid res ſit indagatur, à Differentia, communibusq́ꝫ Accidentibus quæ non in quæſtione, qua rei natura, ſed qua qualitas, uel modus inueſtigatur, de iis, in quibus quippiam dicitur, enunciantur.

BREVIBVS demonſtrat, quomodo unumquodque eorum quæ in generis deſcriptione ſumpta ſunt, conuenienter, & neceſſariè ſit acceptum. Cæteræ enim uoces non dicuntur in quęſtione, qua quid res ſit, ſed qua modus, aut qualitas inueſtigatur: id quod intelligendum eſt in Differentia, communiq́; Accidente. Si enim quiſpiam nos roget, qualiter ſe habeat Socrates: ualere illum uel ægrotare reſpondebimus. Sunt enim aliæ quoque præter accidentia differentiæ, ut repandum, caluum, & aduncum eſſe. Illud autem,

rem,quod ait, **cùm quid res ſit indagatur** à Differentiis & cõmunibus Accidentibus, quæ non in quæſtione,qua quid res ſit,quæritur,dicuntur,ſed in ea,qua qualitas, aut modus inueſtigatur, Genus disiungit. Differentia enim in quæſtione, qua quale quippiam ſit, & communia Accidentia in quæſtione, quo quomodo ſe quippiam habeat,dicuntur. Aiunt nonnulli,cùm dicat, **uel modus inueſtigatur:**ea Accidentia ſignificare,& complecti,quæ propriè in aliquo inſunt.Nos autem etſi in quæſtione, qua quomodo quid ſe habeat,ea dici affirmauerimus,ex iis tamen eſſe aſſerimus,quæ de uno dicuntur,ab illis enim, quæ dicta ſunt ſuprà, Genus diſtinxit:cùm diceret(**de multis**)& ab iis,quæ de uno dicuntur,& ab indiuiduis Genus ſeparauit.

In hac igitur deſcriptione, quæ generis notioni conſtituta eſt,neq; abeſt quicquam,neq; redundat.

DEFINITIONES & uni tantum rei conuenire,& totam illam rem complecti debent. Definitiones enim ea potiſsimum de cauſa ὁρισμοὶ dicuntur,quòd rem definitam complexu ſuo coerceant, & contineant:eæq; à ſimilitudine terminorum,quibus poſſeſsiones à poſſeſsionibus diuiſæ ſunt,qui ὅροι dicuntur, nomen inuenere. Duo ſunt,quæ Definitiones uitioſas faciunt:uel cùm quippiam ſupereſt, uel cùm quippiam,quod ad eam rem,quæ explicatur,pertineat,prætermittitur. Nam ut omnibus conſtat, Philoſophos omnia modo & ratione feciſſe:ita rectè,atq; ordine factum uidetur,quòd omnem uirtutem eſſe Mediocritatem,& omnem mediocritatẽ duo uitia cõtraria, Defectionem uidelicet,ac Redundantiam habere dixerunt. Iuſtitiæ enim, ex qua una uirtute boni uiri appellantur,fraudatio, & effrænata cupiditas & auiditas habendi,atq; acquirendi adiacent : is enim fraudat,qui minus,quàm oporteat,facit : auidus,& cupidus ille eſt,qui plus uult,quàm deceat. Fortitudo item uirtus eſt,cui timor, & temeritas utrinq; apponuntur : ſed Temperãtia quoq; uirtus eſt,quæ in altera parte fatuitatem,in altera proteruitatem habet adiunctam. Fatuus eſt,& ſtolidus,qui parum cómouetur : Proteruus,& impotens,qui nimium,& inordinatè concitatur. Prudentia ab imprudentia,& inſolentia circundatur.Quemadmodum igitur in iis,ita quoq; in Definitionibus res ſe habet.illa propria Definitio eſt, quæ propriam rem definiens nihil extraneum complectitur, neq; quicquam,quod ad rem pertineat,prætermittit:ei enim proinde ut cæteris uirtutibus,redundantia,ac defectio (ut dictum eſt) adiunguntur. Definitiones enim,in quibus aliquid ſuperfluit, rem contrahunt,& coanguſtãt.Illæ uerò in quibus abeſt quippiam,rem dilatant. Sit enim hominis definitio,animal mortale, rationis particeps, quæ hominem à cæteris rebus omnibus disiungat, omnesq́; homines comprehendat:ita fit,ut definitio mutila,ac decurtata rem latius manare cogat,ſi (uerbi cauſa) hominem definiamus, & eſſe animal mortale dicamus,res amplificabitur:ſiquidem animal mortale non ſolùm homo eſt,ſed bos etiam, & canis,aliaq; permulta. At ſuperuacanea definitio rem coarctat:ſiquis(uerbi cauſa)hominẽ definiens dicat,animal rationis cõpos,mortale,grãmaticum:ea definitio non omnes homines,ſed grammaticos tãtum, idq́; iure optimo,continebit. Res quò compoſitiores ſunt, eò magis coanguſtantur,quò ſimpliciores,eò magis dilatantur,ad pluraq́; extenduntur,& propagantur.ex quo conficitur,ut ad primum, communeq́; rerum omnium principium quàm proximè accedant.Iccirco animal ipſum per ſe, multis:rationi uerò compoti adiunctum, paucis conueniet : at rationis compos animal mortali annexum,pauciora etiam comprehendet : ſi inſuper grammaticum addideris, longè pauciora continebit. Quo fit, ut diminutæ definitiones rem amplificent,& collatent : redundantes uerò in exiguum,anguſtumq́; concludant. Cùm itaq; hæc uellet innuere Porphyrius, hanc generis definitionem, aut deſcriptionem ait ab illis duobus alienam eſſe, quæ definitiones deprauare ſolent. Hæc enim neq; ſuperuacanea eſt, neq; imminuta, ut propterea ſe propaget latius. Triplex genus eſſe diximus,unum ante multa,alterum in multis,tertium poſt multa:quod etiam poſterius Genitum appellatur, & intelligentia comprehenſibile, tanquam ipſum in mente noſtra fit,& concipiatur.Igitur Porphyrio non de eo,quod ante multa,aut de eo,quod in multis eſſet,ſed de illo, quod eſt poſt multa, id eſt quod notitia comprehenditur, dicere propoſitum erat : ac propterea inquit, **In deſcriptione,quæ generis notioni conſtituta eſt;**hoc eſt, in deſcriptione generis, quod intelligentia, notitiaq́; comprehenditur:quod eſt,cùm rem ex eadem notione, qua à nobis animo intellecta fuerit, definimus : ut ſi propria noſtra nos opinione conceperimus hominem, ex eadem ratiocinantes dixerimus, homo animal eſt rationis compos mortale. Porphyrius in hac generis deſcriptione neq; abeſſe quicquam dicit,neq; redundare.

DE SPECIE.

SPECIES de uniuſcuiuſq; forma dicitur, qua ſignificatione dici ſolet, Eſt nata primum,& digna ſpecies imperio.

PERFECIT ſermonem de genere inſtitutum:erat igitur ſecunda de quinq; uocibus Differentia : ſed quoniam Genus,& Species ex iis ſunt, quæ ſub eandem rationem cadunt, & ſimul exiſtunt,ſimulq́; cognoſcuntur,Speciem ante Differentiam collocauit,non tamen naturalem ordinem ſecutus,ſed doctrinæ:ſiquidẽ in Generis tractatione Speciei fecerat mentionẽ, ac propterea auditorem multum hæſitantẽ tenere non oportebat. Ariſtotelis norma utitur, prius enim omnes Speciei ſignifi-

cationes annumerat, deinde qua de loquatur, referat: nam multæ ſunt Speciei ſignificationes, præter has, quas nũc in medium adducere nihil opus eſt, præſertim cùm ſatis ſit eas explicare, quæ ad diſſerendi ſubtilitatem attinere uidentur. Ait igitur, duas eſſe Speciei ſignificationes: dicitur enim Species de uniuſcuiuſque forma, & pulchritudine, qua quidem ſignificatione ſpecioſos, & deformes dicimus. Species item dicitur, quæ ſub genere collocatur, & de qua Genus, cùm quid res ſit quæritur, enunciatur. quanquam æquè ultimæ, ac non ultimæ Speciei hæc definitio eſt. Species etiam dicitur, quæ de multis numero differentibus effertur in quæſtione, qua rei natura exquiritur. Verùm quoniam horum nominum, ultimæ inquam, & non ultimæ ſignificationes communi uſui nondum cognitæ erant, ipſe progrediens eas declarat: accipitq; Subſtantiam, tanquam præſtantiſsimum omnium genus, quippe quod per ſe conſtet, ſummumq; genus exiſtat, & cætera omnia ad eam ita annitantur, ut eius beneficio ſint, & ſub intelligentiam cadant: & ſine illius auxilio conſtare nullo modo poſsint. Eſt igitur perſpicuum Subſtantiam cohærere per ſeſe, nouemq; reliqua ei accidere. Subſtantiam igitur aſſumit, ex qua catenam huiuſmodi connectit: Subſtantiæ aliud corpus eſt, aliud corporis expers: corpus aliud animatum, aliud inanimatum: animati aliud animal eſt, aliud planta, aliud uerò utriuſq; particeps, & ex utriſq; compoſitum, quod ζωόφυτον uocant: animalis aliud rationis compos, aliud expers: rationis compotis aliud angelus, aliud homo, aliud dæmon. In iis igitur Subſtantia ſummum genus eſt, ultima uerò ſpecies Homo: at quæ his intermedia interiecta ſunt, Genera, & Species dicuntur: Species uidelicet ſi ad ſuperiora, & Genera ſi ad inferiora referantur. Verùm omnes Species & ultimas, & medias prior deſcriptio continet: ſic enim inquit, Species eſt, quæ generi ſubiecta eſt, de qua, cùm quid ea ſit, inueſtigatur, dici genus poteſt. utraq; enim deſcriptio ſubiecto eadem eſt, ſolaq; relatione differens. Multa profectò, quæ ſubiectæ rei ratione eadem ſunt, relatione differre comperiuntur, uelut aſcenſus, & deſcenſus: idem enim ſubiectum, ſcalas habent, relatione tamẽ differunt. Deſcenſus enim eſt à ſuperioribus ad inferiora declinatio: Aſcenſus uerò ab inferioribus ad ſuperiora regreſsio. Simili quoque modo in ſemine, & fructu res ſe habet, eis enim idem ſubiectum eſt, at relatio, ac ratio indifferens. Vt igitur in his, ita etiam in duabus ſpeciei deſcriptionibus uidetur, quarum altera à genere initium ſumens in ſpeciẽ deſinit, altera cùm à ſpecie incipiat, in genus terminatur. Sola itaq; relatione inter ſe differunt, ratione ſubiectæ rei eædem ſunt. Sumit autem initiũ à notiori ſpeciei ſignificatione, quoniã cum Specie, de qua philoſophi loquuntur, quandã habet ſimilitudinẽ: ut enim Species, quæ pulchritudinẽ ſignificat, ſingulas hominis partes complectitur: ita & ſpecies, de qua philoſophi diſſerunt, omnia, quæ ſingillatim diſtincta ſunt, comprehendit.

Species de uniuſcuiuſq; forma dicitur. Superius cùm de genere loqueretur, prius quàm de quo uerba faceret, explanaueri, uarias generis ſignificationes edocuit: ita etiam hoc in loco cùm de Specie agat, illius ſignificationes exponit, & de qua loquantur philoſophi, palam nobis facit.

Illud quoq; Species appellatur, quod generi à nobis iam definito ſubiicitur, ex quo hominem animalis ſpeciem eſſe, cùm animal illius genus ſit, et candorem coloris, & triangulum figuræ ſpeciem dicere conſueuimus.

ENVMERATIS Speciei ſignificationibus, declarit de qua ſermo habeatur: nunc uerò ex hac ſignificatione, quaſi exemplo quodam, docet quomodo ſpecies ad genus referatur: triangulum enim & figuram ſumit, ac triangulum ut ſpeciem, figuramq; ut genus. Nonnulli uitio uertunt Porphyrio, quòd figuram trianguli genus, & triangulum figuræ ſpeciem eſſe poſuerit: aiunt enim, in quibus prius quicquam eſt, & poſterius, id, quod de iis communiter dicitur, genus eſſe non poteſt: ſed triangulum quadrato prius eſt, illud enim ex tribus lineis, hoc uerò ex quatuor conficitur: & tria priora ſunt quatuor. Alio item modo argumentantur ſic: Omne quadratum in duo rectorum angulorum triangula diuiditur: nam ſi in quadrato ex A, B, C, D, confecto mediam lineam ab A ad D duxeris, quadratum in bina triangula rectorum angulorum ſecueris. alterum ex A, B, D, alterum ex A, D, C, conſtat: quo fit, ut quadrato ſublato triangulum non deleatur: ſed ſi auferatur triangulum, fieri non poterit, ut quadratum remaneat: quare triangulum naturæ ordine prius eſt quadrato. Idem quoque in cæteris rectarum linearum figuris demonſtrabitur, in ea uidelicet, quæ quinque, eaq;, quæ ſex angulis conſtat, in reliquis quoque, quarum unaquæq; in triangula diuiditur: Triangulum igitur in omnibus prius eſt: Figura ergo, quæ de iis communiter dicitur, cùm illorum genus eſſe nullo modo poſsit, neq; illa eius ſpecies erũt. Sequitur igitur Porphyrium minus propriè triangulũ figuræ ſpeciem dixiſſe: qua quidẽ in re omnes, qui Porphyrium defendere nituntur, hallucinantur, & impropriè, ſed exempli gratia id dictum eſſe aiunt. Nos uerò ueritatis ſtudioſi omnem dubitationẽ his uerbis tollemus: Si triangula quadratorum elemẽta eſſent, ut quadrata nunquam niſi ex triãgulis componerentur, uelut in Timæo dicere uidetur Plato, cùm omnes rectarum linearũ figuras in triãgula, ueluti in ſimpliciſsima elemẽta diſſoluit: uerum eſſet, quod dictũ eſt, & primæ in figuris ſine ulla dubitatione triangulo deferendæ eſſent: neq; figura eſſet ipſorum genus, modò illud quoq; uerum foret, non eſſe genus, quod communiter de iis, in quibus prius, aut poſterius ineſt, dicitur: nos enim nulla nũc neceſsitas cogit, ut ex ea cauſa fieri quadratũ dicamus, quod triangulũ prius ſubiciatur: nam Euclides Megaricus philoſophus, acutus ſanè homo, & probatus, in ſexto, & quadrageſimo præcepto, abſq; triangulo ex rectis lineis effici poſſe quadratũ docet: nihil enim obſtat, quin ſine triangulo ex quatuor lineis rectis fieri



quadra

quadratum poſsit. Quare falſum illud eſt,quod dicebatur,ſublato triangulo fieri non poſſe, ut quadratum ſupereſſet. Quid?ſi mediam lineam adiicientes quadratum in duo triangula diuidimus, iccirco prius,& ut elementum,uel partem eſſe triangulum dicent?Cùm præterea poſsimus ipſum quadratum in duo quadrata, quorum altera pars longior ſit, diuidere , & oppoſita latera coniungendo , & ſeparando , ut ab A ad B, efficere duo quadrata , in quibus altera eorum pars longior ſit , quæ ſeparabunt C , & D , quadrara ita effecta ipſo quadrato priora eſſe dicentur? nam hac ratione contrarium quadratum eo quadrato, cuius altera pars longior eſt,prius exiſteret,ſi quadratum,cuius altera pars eſt longior,quod unum latus habet alterius duplum,biſariam in duo quadrata diuideremus. Atqui ſi in circulo media linea ducatur,circulum in duos ſemicirculos ſecabit : hic erit A , hic uerò B. & perſpicuum erit unumquenque ſemicirculum figuram eſſe ex extremitate lineæ ſemicirculi,& recta linea media conflatam:ita fiet , ut ſimplex circulorum figura ex miſtis ſemicirculis conficiatur , ſimpliciq́; circulo miſtus prior ſit ordine naturæ. Quemadmodum igitur in iis cogitatione noſtra hanc diuiſionem facimus , nec tamen neceſſe eſt quadratum , cuius una pars longior eſt , prius eſſe quadrato per naturam , præſertim cùm quadrata longiora in duo quadrata diuidi poſſint, ſi alterū è lateribus duplis alterius ſit,ac inſuper ſi miſtæ circuli figuræ ex rectis lineis, & extremitatibus confectæ priores ſunt,ita etiam quadratum à media linea in duo triangula,diuiditur, nec ob eam cauſam quadratum ex triangulis componi , & triangula quadrato priora eſſe natura neceſſe eſt. Rectè igitur Porphyrius figuram eſſe quadrati genus ſcripſit.

Quòd ſi in genere definiendo,ſpeciei fecimus mentionem,cùm Genus eſſe diceremus, quod in multis dicitur,iiſq́; ſpecie differentibus,cùm rei natura quæritur:& ſpeciem nunc eſſe dicimus,quæ definito generi ſubiicitur. Illud percipiendum eſt, quoniã Genus alicuius genus, & ſpecies alicuius ſpecies eſt : neceſſe eſſe ut in utrorunq; definitionibus explicandis utriſq; utamur.

CVM hæc uerè,& ſedulo Porphyrius dixiſſet , reciprocata demonſtratione ſe uti oportere exiſtimauit:quæ à philoſophis uel ex eo damnatur,quòd eadem priora, & poſteriora faciat:propoſitioniq́; ac concluſionum ordinem ita inuertat,ut illud,quod primum eſt ſecundum,quodq́; ſecundum,primum efficiat, eademq́; ſibi ipſis notiora,& obſcuriora reddat. Quemadmodum ſiquis à me quæreret, Anima'ne immortalis ſit:dicerem,etiam. Quid ita?Quoniam,inquã,anima à ſe mouetur:quod ſeſe mouet,nunquam ne moueri quidem deſinit:quod finem non habet motus, æternum eſt:anima igitur æterna eſt. Si rogauerit præterea,Quomodo pateat,animam à ſe moueri?demonſtrarē hoc pacto, Anima æterna eſt,quod æternū eſt, nunquam moueri deſinit:quod finem non habet motus,ſeſe mouet:anima igitur à ſe ipſa mouetur:Huiuſmodi demõſtratio Reciproca dicitur:cùm enim animam æternam eſſe uellem demonſtrare,quod à ſeipſo mouetur,primæ propoſitionis loco, æternum autem pro cõcluſione ſuſcepi;cumq́; mihi demonſtrandum eſſet,animam à ſe moueri,æternum,quod primū concluſio fuerat,prius accepi,& à ſe moueri, cui ſuperius princeps dabatur locus,concluſionem ſeci,atq; ita id,quod prius erat,poſterius effeci. Ita fit,ut demonſtratio reciprocata,quæ propoſitiones in concluſionem , & concluſionem in propoſitiones mutat,explodenda ſit. Siquidem omnis demonſtratio porpoſitiones apertas, & manifeſtas aſſumit,concluſionemq́; obſcuram ex propoſitionibus claram, & perſpicuam reddit. Illa igitur criminanda eſt , quæ hunc ordinem peruertit, utpote quæ obſcuram concluſionem in propoſitionis ordine accipiens claram faciat,propoſitionemq́; iam pro conceſſa acceptam, concluſionem faciens incognitam reddat. Mulierem præterea lac habere cùm demonſtrare uoluerimus, dicemus, Mulier hæc peperit, quæ peperit habet lac, mulier igitur hæc habet lac. Si præterea demonſtrare uelimus illam peperiſſe,dicemus hoc modo:Mulier habet lac,habens lac peperit, mulier igitur peperit. Hic etiam eadem eiſdem & priora,& poſteriora,notioraq́;,& minus cognita præſumuntur:nam peperiſſe, quod magis liquet, ac prius eſt, accipimus : obſcurum autem , & poſterius, lac habere , deinde apertum, & prius, lac habere, de quo poſtea minus conſtat, poſteriusq́; eſt , peperiſſe. In hac igitur mutua demonſtratione eadem iiſdem priora,& poſteriora apertioraq́;, & inuoluta accipiuntur. Omnis enim demonſtratio uel ex re cognita rem cognitam declarat , uel rem obſcuram ex clara reſerat. at illa eſt una omnium optima demonſtratio,quæ re aperta rem opertam aperit:reliquæ uerò demonſtrationes uel falſæ ſunt, uel omnino demonſtrationes dicendæ non ſunt. quoniam nec rem cognitam ex inuoluta,nec abſtruſam ex latente poſſunt ullo modo declarare : neq; res notæ demonſtrationis egent, ut uidelicet ab aliis cognitis explicentur. Multò itaq; abſurdius eſſet confiteri,manifeſta explanari ab occultis poſſe. Vna igitur ſola uera demonſtratio eſt , quæ ex cognita re, incognitam claram reddit. Meritò ergo demonſtratio,qua de agimus,in qua uidelicet propoſitiones & concluſio uiciſsim retro cõmeant , damnatur: cùm efficiat,ut ea,quæ clara,& priora ſunt,obſcura,& poſteriora ſint,idq́; uiciſsitudine quadam. Sed quoniam philoſophus hac ſe uſurum cognouit , in genere explicando ſpeciem , & in ſpecie declaranda genus accepit : quod cùm quiſpiam ei uitio dare poſſet,ita ſe defendit : Genus,inquit, ſpeciei eſt genus, & ſpecies generis ſpecies eſt:is igitur , qui genus docet, ſpeciei, & qui ſpeciem , generis mentionem faciat eſt neceſſe. Illa enim,quæ ſub eandem cadunt rationem, ſimul exiſtunt,& unà cognoſcuntur : ſed genus alicuius,ſpeciei ſcilicet, genus eſt:& ſpecies alicuius, uidelicet generis eſt ſpecies : horum igitur alterum abſque altero

cognoſci nequit. Ergo qui unum docere uult, alterius quoq; meminiſſe oportet: nam ſi quis alterum eorum, quæ cum aliquo conferuntur, ignorarit, alterum quoq; nunquam ſciet.

Hoc etiam modo Speciem definiunt: Species eſt, quæ generi ſubiecta eſt, de qua cùm quid ea ſit, inueſtigatur, dici genus poteſt.

DVPLICES ſpeciei deſcriptiones ſubiectæ rei ratione eaſdem tradit: nam utræq; de multis dicuntur, ſed relatione differunt: ut Aſcenſus, & Deſcenſus, qui ſubiectæ rei ratione ſunt iidem, & relatione differunt: à ſuperioribus enim uenientes Deſcenſum, ab inferioribus ad ſuperiora nominamus Aſcenſum. Sic hic duæ relationes ſunt ſpeciei ad genus, quatenus ſub illo collocatur, & generis ad ſpeciẽ, quantum ipſam comprehendit. Generis autem ad ſpeciem relatio deſcenſui ſimilis eſt, & Speciei ad genus aſcenſui, & hæ quidem maximè opportunæ deſcriptiones ſunt. Perfectam deinceps deſcriptionem ex uocum diuiſione acceptam ita tradit.

Tum ita: Species eſt, quæ de multis numero differentibus dicitur, cum rei uis, ac natura exquiritur.

INTERPRETES hoc loco quæſtionem attulerunt, Quid'nam cauſæ eſſet, cur Porphyrius ſpeciem deſcripſerit. Qua quidem in quæſtione ratio, quæ de genere allata eſt, non habet locum: propterea quòd ſpecies ipſa genus habet: exploratiſſimam igitur, & communem cauſam afferemus. Definitiones inquam rerum ſunt, quarum naturam declarant: genera, & reliqua, neq; res ſunt, neque definitam naturam habent, ac propterea ſub nullum genus ſummum reducuntur, ſed in omnibus conſiderantur. Nam in Subſtantia, Quali, & Quãto, ac reliquis, Genera, Differẽtiæq;, & Species inſunt. & ob eam cauſam res non ſunt, ſed relationes, quibus res ſignificantur. Cùm igitur, ut diximus, definitiones rerum ſint, & uoces res non exiſtant, iure definiri uoces nequeunt. Alteram itaq; Speciei deſcriptionem in medium affert, perſimilem ei, quæ à Genere tradebatur.

Verùm hæc eſt ultimæ ſpeciei definitio, quæ tantummodo ſpecies eſt, non etiam genus: aliæ uerò earum omnium, quæ ultimæ non ſunt. Sed quo planius, atq; expeditius accipias, diſtinctius, atq; enodatius explicabo: In unoquoque ex ſummis generibus quiddam primum eſt, ac quiddam ultimum, inter hæc quæ iacent, genera, & ſpecies ſunt. Primum Genus eſt, quo ſuperius eſt nullum: ultima Species, qua nulla inferior eſt. Quæ inter hæc intercedunt, eadem & genera ſunt, & ſpecies: ſi tamen cum alio, & alio ſint collata.

HAEC, inquit, poſterior deſcriptio non omni ſpeciei, ſed ultimæ tantum congruit: ut autem quaſdam ſpecies ultimas eſſe cognoſceremus, hac diuiſione deinceps uſus eſt: Subſtantia partim corpus eſt, partim corporis expers: corpus partim animatum, partim inanimatum: animatum partim animal, partim planta, partim & animalis & plantæ particeps: planta tres uires habet, nutriendi, augendi, gignendiq;: animal præter has ſenſus capax eſt, atque ſe aliò transferendi facultatem habet. Illud uerò quod planta eſt, & animal, inter hæc medium ſortitur locum. nam præter tres illas uires, tactu etiam præditum eſt: locum tamen non mutat, quod in oſtreis, & ſpongiis in ſaxis naſcentibus uideri poteſt: illa enim ſiquid contrarium aduenerit ſeſe contrahunt, atque illud propulſant: ſi uerò quid iucundum, ſe dilatant, illudq; appetunt. Præterea animal partim rationis compos eſt, partim expers rationis: compos partim homo, partim deus: homo partim Socrates, partim Plato, & ſinguli, de quibus philoſophi, ut ſæpe dictum eſt, non loquuntur. In hac igitur diuiſione Subſtantia prior eſt, poſterior Homo: cætera horum intermedia dicuntur, quæ ſi cum alio collata ſint, Genera erunt: ſi cum alio, Species. Dicitur ergo Subſtantia primum genus, Homo uerò ſpecies ultima: alia enim & genera ſunt & ſpecies, prout cum alio conferuntur. Corpus enim ſubſtantiæ ſpecies eſt, animati genus: animatum corporis ſpecies, genus animalis: animal animati ſpecies, hominum genus: homo animalis ſpecies, genus nequaquam eſt: quoniam non de ſpecie, ſed numero differentibus, ut de Socrate, Alcibiade, & Platone dicitur. genus igitur non eſt, neq; indiuiduum, propterea quòd ſingula indiuidua continet. Erit itaq; homo ſpecies ultima. Ait poſteriorem ſpeciei ſignificationem omnibus non congruere: utpote quæ nec animali, nec animato, ſed ſolùm ultimæ ſpeciei, ut homini, cani, boui, leoni, qui tantum ſpecies ſunt, conueniat.

Idq; in uno è decem ſummis generibus explicabitur. Subſtantia genus eſt illa quidem, ſub qua corpus: ſub corpore, corpus animatum: ſub corpore animato, animal: ſub animali, animal rationis particeps: ſub animali rationis participe, homo: ſub homine, Socrates, Plato, & ſinguli homines conſtituuntur: ita tamen ut Subſtantia eorum omnium primum genus ſit, ac ſolum genus: homo uerò, & ſpecies ultima, & tantummodo ſpecies: corpus uerò & ſubſtantiæ ſpecies,

& cor

corporis animati genus ſit: atque animatum corpus, ſpecies quidem corporis, & animati genus: animal rurſus animati corporis ſpecies, & animalis ratione utentis genus: animal ratione utens, ſpecies animalis, & hominis genus exiſtat: ſed homo eſt animalis ratione utentis ſpecies, atque hominum ſingulorum itidem ſpecies, non etiam genus.

GENERA, & ſpecies in omnibus ſummis generibus inſunt: at ſubſtantia genus ſummum eſt, quæ corpus complectitur, & corpus, animatum (hāc ſolam diuiſionis partem accepit, & corporis expers ſilentio tranſiuit: quoniam quæ ſub ſenſum cadunt, nobis ſunt notiora) animatum, animal: animal, animal rationis particeps: animal rationis particeps, hominem. Sed Subſtantia ſummum genus eſt, & modò genus: nullum enim genus antiquius ſubſtantia eſt. Homo uerò ultimæ tantum ſpeciei nomen obtinet, nam in uniuerſalibus nulla ſpecies eſt, quæ ſit homine poſterior. Corpus genus eſt, & ſpecies, ſed ſpecies ſubſtantiæ, & animati genus: Animatum corporis ſpecies, animalis genus: Animal animatū dicitur, & ſenſus particeps: Animatum illud eſt, quod incrementum capit, ac nutrimentum, & ſui ſimile gignit. Plantæ igitur ſunt harum uirium participes: anima enim præditæ ſunt, animalia tamen non ſunt. Oſtrea præterea, & Spongiæ præterquàm quod animam habent, ſenſus uim habēt: nam ſiquid aduenerit nocuum, illud abiiciunt, & contrahuntur, ubi uerò illud abierit, gaudent: & ſiquid frugiferum ſenſerint, illud aſciſcunt: quæ tum plantis, quatenus radicibus continentur, tum animalibus quia nutriuntur, & ſentiunt, ſimilia ſunt. Animal etiam animati ſpecies cùm ſit, ratione utentis genus eſt: Ratione utens mortalis genus, animalis ſpecies: Mortale ratione utentis ſpecies, genus hominis: Homo ratione utentis ſpecies, non etiam Platonis, & Socrates genus.

Et omne, quodcunque ante indiuidua proximè dicitur, Species erit, atque ita, ut genus eſſe nequaquam poſsit. Quemadmodum igitur Subſtantia, quæ ſupremo loco ſita eſt, ob eam cauſam ſummum eſt genus, quòd genus ea prius eſt nullum: ſic Homo, quia ſpecies eſt, qua nulla poſterior ſit, neque quicquam, quod in ſpecies diuidi poſsit, ſed ſola indiuidua, qualia ſunt Socrates, Plato, & hoc, quod album eſt, ſpecies tantum erit, eaque ultima, atque ut dictum eſt nobis, infima. Quæ uerò interiecta intermedia ſunt, ſuperiorum ſpecies, & poſteriorum genera erunt. Ita fit, ut duas habere comparationes dicantur: alteram, qua ad ſuperiora affecta ſunt, ex qua eorum ſpecies appellantur: alteram, qua ad inferiora, ex qua eorum genera dicuntur. Extrema uerò uno tantum modo comparantur: nam Genus ſummum ad ea affectum eſt, quæ ſub ipſo ſunt conſtituta: cum prioribus autem, quoniam ſummum eſt, primumque principium, atque id, prout diximus, cuius nullum eſſe genus poteſt, nullam habet rationem. Ita quoque Species infima unam comparationem habet, eam ſcilicet, qua affecta eſt ad priora ſe, quorum ſpecies eſt: neque enim aliam habet, qua cum inferioribus comparetur, ſed eam ipſam, qua ſpecies indiuiduorum appellatur: ac propterea indiuiduorum ſpecies dicitur, quòd ea complectatur: at ſuperiorum ſpecies appellatur eo, quòd ab illis contineatur.

DIXIT, Proximè, quod ita accipiendum eſt, quaſi dicatur, nullo intermedio interiecto: propterea quòd ante indiuidua animal eſt, non tamen medio uacans, interiacet enim homo. Igitur homo, quia proxime de indiuiduis dicitur, ſpecies erit tantum.

Ita fit, ut duas habere comparationes dicantur. Subſtantia, quia nihil ea ſuperius eſt, uno tantum modo comparatur: affecta enim ad ea ſolum eſt, quæ inferiora ſunt. Ac Species itidem comparationem modò habet ad ea, quæ ſe ſunt ſuperiora, non etiam ad ea, quæ inferiora ſunt: quoniam ſpecie poſterius eſt nihil. Inter hæc quæ interiecta ſunt, duas comparatioues habent. Vnam ad ea, quæ antecedunt, ex qua illorum ſpecies ſunt: alteram ad ea, quæ ſubſequuntur, quorum genera dicuntur eſſe. Ex prima igitur comparatione Species, ex ſecunda, Genera nominantur.

Extrema uerò uno tantum modo comparantur. Summum uidelicet genus, & infima ſpecies.

Ac propterea indiuiduorum ſpecies dicitur. Infima ſpecies relationem quandem habet ad indiuidua: non tamen eandem, quam ad ea habet, quæ ante ipſam ſunt. Homo Socratis, & Platonis genus non dicitur, ſed ſpecies, à qua indiuidua continentur.

Definiunt uerò primum Genus ſic, cuius eſſe genus non poteſt. Speciem autem ultimam hoc modo, quæ ita ſpecies eſt, ut non etiam genus ſit. Atque ita: quæ

ſpecies eſt ita, ut in ſpecies diuidi nullo modo poſsit. Et hoc præterea modo: quę de multis, iiſq́ numero differentibus, dicitur, cùm rei notio indagatur. Quæ uerò inter extrema ſunt collocata, Genera, & Species uocāt: & unū eorum quodq́ eſſe Genus, & Speciem ponunt, ſi tamen cum alio, atq́ alio conferatur. Ea enim omnia, quę ſuperiora ſunt, ultima ſpecie aſcendendo uſq́ ad ſummum genus, Genera, & Species altera ſub altera conſtitutæ nominantur: ut Agamemnon Atrides, Pelopideſq́, ac Tantalides, & extremum Iouis.

VERBA fecit de Summo genere, Vltima ſpecie, & iis, quæ inter ſummum & ultimam interiecta ſunt: nunc, quod reliquum erat, ad ea deſcribenda aggreditur. Summum, inquit, genus eſt, quod etiam ſpecies eſſe nullo modo poteſt, & quo nullum antiquius. Infima ſpecies eſt, quæ nunquam eſt genus, & quæ non amplius in ſpecies diſtribuitur. Ea, quæ inter extrema ſtatuūtur, tum genera, tum ſpecies ſunt: de quibus cùm uellet diſſerere, adiunxit exemplum à genealogia, quo res clarior fieret, atq; apertior. Quemadmodum, inquit, in ortu, & familiarum deſcriptione Iupiter quoddam principium eſt, & quaſi caput, & ſupremus omnium parens, filius eſſe non poteſt, ita Oreſtes ſolum filius erit: at Agamemnon Oreſtis pater, Atrei filius: Atreus Agamemnonis pater, Pelopis filius: Pelops Tantali filius erit. In generibus, & formis, de quibus philoſophi loquuntur, uno, & eodem modo res ſe habet: nonnulla enim ſunt, quæ ſolum genera ſunt, ut Subſtantia: nonnulla, uelut Homo, eſſe tantum ſpecies poſſunt.

Verùm in genealogiis cætera ad unum ferè principiū, uerbi cauſa, ad Iouem, referuntur: in generibus uerò, ac formis eadem ratio non eſt: Quoniam id, quod eſt, non eſt commune genus omnium: neq́ omnia, quæ ſunt, ut inquit Ariſtoteles, ad unum primum genus referuntur.

HVIVSMODI exemplum in aliquam fortè dubitationem nos uidetur adducere, quam Porphyrius ſuis uerbis ex animo nobis euellit. Suſpicaretur enim quiſpiam, nunquid ut in proſapiis coniunctiones ad unum ferè omnium initium, exempli gratia ad Iouem referuntur, nam Iupiter à Poëtis pater diuumq́; hominumq́; dicitur: hoc quoq; loco ita ſe res habeat, ut uidelicet omnia genera ſumma ad unum aliquod principium, ad id ſcilicet, quod eſt, referantur: nam Subſtantia eſt id, quod eſt, & quantum, & quale, ac reliqua genera. Quod ſi ita eſt, decem ſumma genera non erunt, ſed id, quod eſt, erit commune genus omnium. Id quod innuens philoſophus ait id, quod eſt, generum ſummorum genus non eſſe. Nos rem ita habere demonſtrabimus hoc modo: Quæcunq; diuiduntur, uel tanquā genera in ſpecies diuiduntur, ut cùm animal in canem, equum, & bouem diducimus: uel ut totum in parteis. idq́; dupliciter: uel in ea, quorum particulæ ſunt ſimiles inter ſe, uel in ea, quorū partes ſunt diſsimiles. Quæ in ſimiles partes ſecantur, ſunt uenæ, arteriæ, caro, & óſſa: hæc enim diuiſa eaſdem habeot partes, & inter ſe, atq; uniuerſo ſimiles. In diſsimiles uerò, quando corpus in caput, manus, & pedes partimur: uel ut ambigua uox in diuerſas ſignificationes, ut canis partim terreſtris eſt, partim marinus, partim cœleſtis. Si igitur id, quod eſt, neq; ut genus in ſpecies, neq; ut totum in partes in ſumma genera partiri probabimus: oportebit, ut tanquā ambigua uox in uarias ſignificationes diſtribuitur. Non diuidi igitur tanquam genus in ſpecies, eſt ex hoc perſpicuū. Genus cùm in formas diſtribuitur, in omnibus formis æqualiter ineſt: neq; in formis, quatenus generis participes ſunt, prius, poſteriuſ́ue cernitur: homo enim nec magis, nec prius equo animal eſt. Item una ſpecie ſublata, reliquas auferri neceſſum non eſt: quoniam etſi homo dimouetur, animal tamē, & reliquæ ſpecies, ut equus, leo, canis, & arbores non abiiciētur. Si uerò id, quod eſt, in decem ſumma genera, ut genus in ſpecies diuiditur, in ipſis nec prius eſſe, nec poſterius, nec unum ipſorum magis, aut minus ex eo, quod eſt, auſſimat oportet, ſed prius, & poſterius in ſummis generibus omnino apparet: ſiquidem Subſtantia prior eſt, ac reliqua poſteriora: qua inquam Subſtantia ſublata, accidentia quoque auferuntur: ex quo conficitur, ut eius, quod eſt, magis particeps uideatur eſſe. Ea enim Subſtantiæ uis, ac facultas eſt, ut efficiat, quò accidētia ſint, utpote quæ in ipſa annitantur: uerùm ut ſubſtantia ipſa ſit, accidentium non eget auxilio. Accidentia ſanè non eſſent, niſi ſubſtantia foret, cui acciderent: cùm enim aliquid alicui accidit, prius intelligendum illud eſt, cui accidat. Id igitur, quod eſt, ut genus in ſpecies in ſumma genera non diſtribuitur: quoniam etſi ablata ſit una ſpecies, non auferetur genus, ut dictum eſt: nunc uerò ſubſtantia remota, reliqua genera ad nihilum recident: illius enim beneficio ſunt. Id ergo, quod eſt, non ut genus diuidetur. Fieri itaque nequit, ut id, quod eſt, in decem ſumma genera, ut genus in ſpecies, atque ut uniuerſum in partes, haſq; uel ſimiles, uel diſsimiles diuidatur. Similibus partibus conſtans eſt, cuius partes uniuerſo ſimiles ſunt ita, ut partes à toto nominentur, nec quicquam inter ſe differant: ueluti lignum, & ligni partes, ligna dicuntur, nec inter ſe differunt. Simili quoque modo nerui pars, carniſq́;, ac uenæ ex totius appellatione nominantur, & inter ſe nullum habent diſcrimen. Id igitur, quod eſt, ut ſimilibus partibus conſtans in decem ſumma genera diuidi nullo modo poteſt: quia ſi diuideretur, partes, hoc eſt ſumma genera ex toto appellarentur, & ea, quæ ſunt, dicerentur. Sed magnum & in nominibus, & in rebus inter ea diſcrimen uerſatur: aliud quippe Subſtantia, aliud Quale, aliud Quantum ſignificat. Rurſus id, quod eſt partium diuerſarum, cùm diuiditur,

partes

partes ex toto non appellantur, differunt enim inter ſe: ut in uultu facile uideri poteſt, cuius partes ſunt naſus, oculi, quæ nec à toto appellantur, nec inter ſe ſimiles ſunt. naſum enim nec uultum, nec oculum dicemus. Sequitur igitur, ut id, quod eſt, in decem ſumma genera non ut id, quod eſt diſsimilium partium, diuidatur. Etſi enim partes & nomine, & re differunt, non tamen id, quod eſt, diſsimilibus partibus conſtare dicetur: quoniam à totius nomine partes appellantur. Id enim, quod eſt, ſubſtantia eſt, & quantum, & quale, & ea, quæ diſsimilibus è partibus ſunt compacta, à totius nomine minime ſunt appellata. Si itaque neq; ut ſimilibus, neq; ut diuerſis partibus conſtans id, quod eſt, in decem ſumma genera diuiditur, nam tanquam genus in ſpecies diuidi non poſſe demonſtrauimus: reliquum erit, ut tanquam ambigua uox in diuerſas ſignificationes diuidatur.

Sed ponenda ſunt, ut in decem ſummis generibus, decem prima genera, quaſi decem capita rerum.

N V N C, inquit, rerum primordia ueluti decem genera ponamus. Decem principia tantum eſſe, quia ſubtiliore eget diſputatione, nunc non demonſtrabimus: in ſummis enim generibus decem eſſe probatur. In præſenti uerò pro conceſſo ac cognito accipiatur, ac ſtatuatur.

Quæ ſiquis omnia Eſſe dicat, ambiguè, inquit, non una ratione appellabit. Nam ſi id, quod eſt, eſſet commune rerum omnium genus, una ratione dicerentur: at cùm decem prima ſint, eſt nominis tantum, & non definitionis, quæ nomini conſtituta eſt, communio. Prima igitur decem ſunt: infimæ uerò ſpecies aliquo ſanè numero illæ quidem, ſed non infinito continebuntur.

A M B I G V A ſunt, quæ idem nomen habent commune, non tamen eiuſdem nominis rei, quæ ſignificatur, ſunt conſortia: ut Canis terreſtris, aquatilis, & cœleſtis: omnibus enim Canis nomen commune eſt, ſed differunt, quantum ad res à nomine ſignificatas attinet. Res cognomines ſunt, quæ & nomen, & definitionem habent communem: ut Homo & Equus: utriq; enim animalia ſunt, & cōmuniter animalis nomen poſsident, eandemq́; ex animali definitionem ſumunt, ea hæc eſt, Natura animata, ſenſus particeps. Ait igitur, Si omnia appellauerimus ea, quæ ſunt, ambiguè, nō una ratione dicemus. Ambigua ſunt, ut paulò antè dicebam, quæ tantummodo nomen habent commune: Συνώνυμα uerò, (id eſt uerbum è uerbo, Res cognomines) dicūtur, quarum & nomen commune eſt, & eadem nomini attributa naturæ definitio. Illud igitur, quod eſt, ſolius nominis ſocietatem eorum, quæ ſub ſe ſunt, continet. Ea enim quæ ſunt, prima genera dicuntur, definitio tamen naturæ nomini congruens, alia atq; alia eſt. nam unumquodq; ſummum genus eſt ab alio diuerſum, qua eſt, qua nominatur, quaq́; definitur. Quibus quidē fit rebus, ut id, quod eſt, in decem prima genera, in Subſtantiam, Quantum, Quale, Quæ ſub eandem rationem cadunt, Vbi, Quando, Facere, Pati, Situm eſſe, atq; Habere, tanquam uox ambigua diuidatur.

Indiuiduorum, quæ ſecundum formas infimas ſunt, infinitus. Quam ob rem iubebat Plato, eos, qui à ſummis generibus ad infimas ſpecies deſcendiſſent, inſiſtere: eos uerò, qui iis differentiis, quæ ſpeciem abſoluunt, diuiderent, per media deſcēdere, indiuiduaq́; omnino prætermittere, propterea quòd comprehendi ſcientia non poſſent.

I N D I V I D V A non ideo infinita dicuntur, quòd ſint, ſed quòd iterum, atq; iterum fiant.

Differentiis, quæ ſpeciem abſoluunt. Id eſt, quæ ſubſtantiæ participes ſunt: ut animal in rationis compos, & expers. Sunt enim quædam differentiæ, quæ ſubſtantiæ expertes ſunt.

Indiuiduaq́; omnino prætermittere. Quia ſcilicet ſub ſcientiam non cadunt. Id Plato in libro, qui eſt de Summo bono, ſcriptum reliquit, Scientia enim ſuis finibus continetur, quos egredi non licet. Illud igitur, quod comprehenſibile non eſt, percipi ſcientia non poteſt. Ad ſummam in libro de Demonſtratione ſingularum rerum definitionem, & ſcientiam non eſſe, ſed ſolum uniuerſarum demonſtratum eſt.

Neceſſe igitur eſt, ut ii, qui ad infimas ſpecies deſcendunt, multitudinem diuidendo percurrant.

D I X I T id, quod eſt, non eſſe genus primorum, quæ ſuapte natura definita ſunt, & ſub cognitionem noſtram cadunt. Nunc autem utrum infimæ ſpecies ita ſe habeant, ut prima genera, perſcrutari uult. Nonnulla, inquit, ſunt, quæ ſummum, & definitum numerum habent, nobiſq́; non ignotum. ſiquidem genera ſumma decem ſunt. Infimæ uerò ſpecies, ut homo, bos, equus, canis, uitis, olea, poſt quas indiuiduorum diuiſio ſtatim collocatur, ſuapte natura terminatæ ſunt illæ quidem, ſed incognitæ nobis, cum aliæ aliis in locis fiant. Multæ enim ſunt animalium, arborum, metallorumq́; ſpecies, quæ nos latent: eas tamen, quæcunq; ſint, definitas eſſe, ac terminatas ſumptione quadam efficaci, atq; euidenti demōſtrabimus. Eo, quod infinitū eſt, multitudo maior eſt nulla. Hoc aſſumpto ſtatuatur infimas ſpecies infinitas eſſe. cum itaq; in unaquaq; ſpecie multa indiuidua ſint, humana ſpecies una cum ſit, in mille fortaſsis indiuidua, homines

uidelicet ſingulos diuidetur: ſimili quoq; modo equina ſpecies, quæ una eſt, multa indiuidua continebit. idq́; in reliquis omnibus eodem modo. multò maiorem eſſe indiuiduorum, quàm formarum multitudinem omnibus cognitum eſt, ac perſpectum. Si uerò indiuidua multò plura ſunt formis, ſub quibus locãtur, formarumq́; infimarũm ſit numerus infinitus, indiuiduorum numerus maior erit, & latior, quàm numerus formarum, quem infinitum poſuimus. Sed ſi infinito infinitius eſt nihil, uel omnino maius, formarum numerus infinitus eſſe non poteſt: nam cùm numerum numero maiorem dicimus, minorem terminis concludimus, ac definimus. Quod enim aliquo maius eſt, exuperantia quadam maius ſit neceſſe eſt: exuperantia amota, reliquum finibus cõcludetur, & determinabitur. Hac itaq; ratione ultimas ſpecies infinitas non eſſe fuit affirmatum. Eodem modo indiuidua, quæ ſub infimis ſunt, etſi formis plura ſint, infinita non eſſe demonſtrabimus. Siquis enim indiuidua infinita dixerit, ea, quæ ſub unaquaq; ſpecie ſunt, infinita dicere cogetur. Verbi gratia, Indiuidua, quæ ſub humana ſpecie ſunt, equinaq́;, & reliqua, quæ ſub aliis omnibus formis ſunt, per ſeſe infinita eſſe dicet, uel indiuidua, quæ ſub unaquaq; ſpecie ſunt, natura definita eſſe, omniumq́; indiuiduorum, quæ ſub formis ſunt, congregatam multitudinem infinitam eſſe confitebitur. Quòd ſi ea indiuidua, quæ ſub unaquaq; ſpecie ſunt, infinita dicet: aliquid iterũ infinito maius, & amplius eſſe ſequetur. ſinguli enim homines, & ſinguli equi infiniti ſunt. Quod igitur ex utriſq; componetur, erit duplum eius, quod infinitum eſt. quodq́; ex omnibus, multò magis: quo quid dici poteſt obtuſius? Nullo igitur pacto indiuidua ſub qualibet ſpecie conſtituta infinita eſſe poterũt. quæ ſi definita ſunt, ipſæ quoq; infimæ ſpecies, atq; ex omnibus compoſita multitudo definita erit. Quod enim ex definitis componitur, ipſum quoq; definitum eſt. Definitus igitur, & terminatus eſt numerus indiuiduorũ. Quod enim ſemper ſit, ſi ſemper eſt æternum, infinitione præditũ eſt. Qua etiam ratione numerus infinitus dicitur, quoniam augeri ſemper poteſt, & non interit: re tamen ipſa acceptus, ſemper definitus eſt. Sic etiam arenam definitam eſſe probabimus. id quod Apollo Pythius oraculo edidit:

Noui ego menſuram pelagi, numerumq́; arenarum.

Etenim ſi numerus arenæ infinitus eſſet, adiecto hominum numero ex utriſq; maior redderetur, & ſic aliquid infinito infinitius eſſet, quod fieri nequaquam poteſt. Infimæ igitur natura determinatæ ſunt, tamen nihilominus nobis incognitæ. Indiuidua uerò natura definita non ſunt, propterea quòd iterum, atq; iterum generentur. nobis tamen dum ſpecies re ipſa effectæ ſunt, ſi principio fuerit origo, cognoſcentur: & ſi quot ſint ignoremus, ita tamen cognitæ erunt, ut illarum natura, prout infimæ ſpecies ſunt, ſe nobis intelligendam præſtabit. quandoquidem illarum numerum terminis præfiniri probauimus.

Qui uerò ad ſumma genera contendunt, multitudinem in unum concludant, neceſſe eſt: nam Species multa in unam naturam colligit, ac multò etiam magis Genus. Singulæ uerò res unum in multa diducunt. Siquidem ſpeciei ſocietate unus homo ex multis efficitur, & ſingulorum natura ex una, & communi re multæ fiunt. Ea enim eſt ſingulorum uis, ut diſtrahant, ac diſsipent: communium uerò, ut cogant, unamq́ꝫ naturam conſtituant.

HOC in loco dicere uult Porphyrius, quid eueniat iis, qui ab infimis ad ſumma genera nituntur, & qui à ſummis ad infimas deſcendunt.

Ac multò etiam magis genus. Species ſingula tantùm indiuidua, Genus uerò & ipſas ſpecies, & indiuidua comprehendit. Inferius enim ab indiuiduis ad ſumma conſcendendo res multitudine coanguſtantur, & poteſtate augentur. Species, quantum ad multitudinem ſpectat, ſunt indiuiduis pauciores, poteſtate tamen & accretione plures. Eodem pacto ſpecies à generibus ſuperantur, donec ad unum ſummum peruentum ſit. Id quod iure factum cẽſetur: quoniam rerum omnium una ſola cauſa eſt, & origo: & propterea, quæ ad eam propius accedunt, multitudine coarctantur, facultate uerò augentur. At quæ longius abſunt, numero augentur, poteſtate diminuuntur.

Sed cùm explicatum nobis ſit, quid Genus ſit, quid Species, cumq́ꝫ genus unum ſit, ſpecies multæ (genus enim ſemper in multas ſpecies diuiditur) reſtat, ut dicamus, Genus ſemper de ſpecie, & de inferioribus dici ſuperiora omnia: Species uerò neque de genere ultimo, neque de ſuperioribus ullis dicitur, propterea quòd non reciprocatur. Oportet enim, ut uel paria de paribus dicantur, quemadmodum id quod ad hinnitum natum eſt, de equo: uel de minoribus maiora, ut de homine animal. At minora de maioribus dici non par eſt: necꝫ enim ut hominem eſſe animal, ita animal eſſe hominem commodè dices.

PORPHYRIVS harum quinq; uocum doctrinam probabiliter, id eſt, quãtum ad differendi ſubtilitatem ſpectaret, ſeſe tractaturum pollicitus fuerat: explicata itaq; Generis, Specieiq́; natura, quomodo horum cognitio ad ſermocinandum nobis afferat adiumentum, uult demõſtrare. Quoniam omnis differendi facultas in Demõſtratione uerſatur, & Demonſtratio quædã ratiocinatio eſt, in ratiocinationibus

uerò propoſitionibus opus eſt: propoſitio duobus è terminis conſtat: quorum alter ſubiicitur, alter enunciatur. Subiectus eſt, de quo loquimur, alter autem eſt, qui de eo, de quo ſermo habetur, dicitur: ut Socrates ambulat: ſubiicitur enim Socrates, de quo eſt oratio: enuntiatur, ambulat, utpote quòd de Socrate dicatur. Si dicatur præterea, Anima à ſe mouetur: ſubiicietur anima: &, à ſe mouetur, enunciabitur. Si item dixero, Homo animal eſt: homo ſubiectus terminus erit, animal uerò de homine dicetur. & in quacunque propoſitione eodem modo. Vult ſimili ratione demonſtrare de genere, aliqua ſcilicet de aliquibus dici, & quædam ſubiici. atq; ut cognoſcamus quomodo complicitas propoſitiones faciant, ex quibus fit ratiocinatio, in qua ratio diſſerendi uerſatur, ait, Genus ſemper de ſpecie dicitur, ut animal de homine, & de animali ſubſtantia. Verùm ſpecies non etiam de genere dicitur, quoniam minimè uerum eſt, ſiquis ſubſtantiam eſſe animal, & animal eſſe hominem dixerit. Hinc igitur genera ſemper de formis dici perſpicuum eſt: at ſpecies de generibus nunquam. Et ut ſummatim dicam, oportet terminos, qui de aliis dicuntur, latius patere ſubiectis, ut animal homine: uel pares eſſe, ut ridendi facultas homini. Pares ii dicuntur, quòd uiciſſim retro commeent: nam ut omnem hominem ridere, ita & omne, quod ridet, eſſe hominem dicemus.

De inferioribus dici ſuperiora omnia. Subſtantia de corpore, corpus de corpore animato, corpus animatum de animali, animal de homine dicetur.

De quibus autem ſpecies dicitur, de iis itidem ſpeciei genus, & generis genus uſque ad caput generis neceſſariò dicetur. Nam ſi uerè dicitur, Socrates eſt homo, homo animal, & animal ſubſtantia, Socratem quoque eſſe animal & ſubſtantiam uerè dicimus. Cùm enim ſuperiora de inferioribus dicantur, ſpecies de indiuiduo, & genus de ſpecie, deq; indiuiduo dicetur. Primum uerò genus & de genere, ſeu de generibus, ſi multa media interiecta ſint, & de ſpecie, & de indiuiduo dicetur.

A L I V D præceptum utile ad diſſerendi facultatem tradit: Si, inquit, ſpecies de aliquo dicatur, de eodem ſpeciei genus ad ſummum uſq; dicetur. Verbi cauſa, de Socrate homo, de homine animal, igitur animal de Socrate. Animatum quoq; de animali, ergo de homine, deq; Socrate pari modo. Præterea corpus de animato, igitur de homine, animaliq;, ac Socrate. Poſtremò ſubſtantia de corpore, & ob eam cauſam ſubſtantia de corpore, corpus de animato, animaliq;, atq; homine, & Socrate dicetur.

Etenim primum illud Genus de omnibus generibus, formis, atq; indiuiduis inferioribus dicitur: Genus uerò, quod infima ſpecie prius eſt, de omnibus formis infimis, & indiuiduis: ea uerò, quæ tãtum ſpecies eſt, de omnibus indiuiduis, indiuiduum de uno ſingulorum tantum.

N A M ſi ſuperiora ſemper de inferioribus dicuntur, ſummum de omnibus generibus, quæ ei ſubiiciuntur, deq; formis, & indiuiduis, & ſpeciem de ipſis ſolis indiuiduis dici conſtat.

Indiuiduum Socrates dicitur, & hoc, quod album eſt, & hic accidens Sophroniſci filius, modò ei ſolus filius Socrates ſit: hęcq; uel ex eo Indiuidua appellãtur, quòd unũquodq; ex proprietatibus cõſtet, quę omnes in alio reperiri nõ poſsũt.

A D D E N S, Hoc, illi dictioni, Album, quod uniuerſale erat, ſingulare fecit. Quòd autẽ, Quæ omnes: & non, Quarum unaquæq;, dixerit, hoc fuit in cauſa: nam unaquæq; illarum proprietatum in aliis ineſſe poteſt, omnes uerò eædem ſimul in nullo reperiuntur.

Quæ enim in Socrate ſunt, in alio eædem eſſe nullo modo poſſunt. Verùm proprietates hominis communis, ac uniuerſi eædẽ in multis, atq; adeo in omnibus ſingulis hominibus, quoniam homines ſunt, eſſe poſſunt.

H O M I N I S proprierates in ſingulis quoq; hominibus eſſe poterũt. Genera, Species, atq; Indiuidua quaſdã proprietates habere ſciendum eſt: Generis tamẽ, & Speciei proprietates in multis inſunt, at Indiuidui, ſi collectæ ſint, illi ſoli indiuiduo ſunt accõmodatæ. Generis proprietates, animalis inquam, erunt, Subſtantia, Animãs, Sẽſus particeps: & hæ multis, homini uidelicet, equo, cani, & reliquis ſingillatim animalibus ſunt attributæ. Homo cùm ſpecies ſit, has proprietates habet. Animal, Rationis particeps, Mortale, Ad ſcientiam, & cognitionem natum eſſe, quæ multis hominibus inſunt. Sed ad indiuiduum, uerbi gratia, ad Socratem accedendum eſt, cuius proprietates ſunt, Philoſophus, Caluus, Simus, Obeſus, Sophroniſci filius, Athenienſis, & eiuſmodi, quarum unaquæq; per ſeſe ineſſe aliis poterit, propterea quòd alii ſunt & calui, & ſimi, & præpingues, philoſophiq;, ac Athenienſes, & fortè Sophroniſci filii: ſed omniũ collectio, philoſophum dico eſſe, caluum, ſimum, adipatum, & in eodem tempore fieri, ſoli Socrati, neq; alii cuiquam inerit.

Ita fit, ut Indiuiduum à Specie, & Species à Genere contineatur: ſiquidem Ge-

nus quiddam totum eſt, pars indiuiduum, Species uerò, & totum, & pars ita, ut alterius pars ſit, totum non alterius, ſed in aliis exiſtat, quòd totum ex partibus conſtet.

SPECIES, ſi ad indiuidua referatur, totum eſt: ſi ad genus, pars: ſed quoniam totum, & pars ſub eandem cadunt rationem, ex iis, quæ ſub eandem rationem cadunt, nonnulla in recto caſu, & nonnula in obliquo efferuntur, ut Pater filii pater, id in ſecundo caſu dicetur: in tertio uerò ſic, Amicus amico amicus: in quarto hoc modo, Verberans uerberatum uerberat. Quod cùm ita ſit, partem alterius, & totum in aliis dixit. Dicimus enim rectè Partem totius, & relatio in ſecundo caſu fit: ſed Totum partis totum, dicimus nequaquam: quoniam totum ex una parte conflatum non eſt, ſed multis. Dicimus tamen, Totum partibus totum, ac relatio per tertiũ caſum efficitur: totum enim in partibus eſt. Rectè igitur Totum non alterius, ſed, In aliis, à Porphyrio dictum eſt. Scire quoq; debemus, in ſecundo caſu numeri multitudinis dici poſſe, Totum partium totum: ſed Porphyrius communem loquendi morem ſecutus, In aliis, dicere maluit.

Ac Genus quidem, & Speciem, quidq́; Summum genus, quid Infima ſpecies ſit, quæ Eadem genera, & ſpecies ſint, quæ Indiuidua, ac quot modis Genus, & Species dicantur, aperuimus.

CVM ait, Quæ eadem genera, & ſpecies ſint, intermedia intelligit, quæ generis pariter, ac ſpeciei ſubeunt rationem.

Ac quot modis genus, & ſpecies dicantur. Genus tribus modis, & ſpeciem duobus dici nobis indicauit.

DE DIFFERENTIA.

DIFFERENTIA autem Cõmuniter, Propriéq́;, ac Maximè propriè dicatur. Aliud enim ab alio differre Cõmuniter dicitur, quoniã uel à ſe, uel ab alio uarietate quadã differt. Etenim Socrates à Platone differebat diſtinctione, & à ſe ipſe cùm eſſet puer, & in media ætate, cùm quid ageret, & cùm ocioſus eſſet: ac ſemper in iis cõmutationibus ſpectatur, in quibus rei modus cõſiſtit. Propriè inter aliqua intereſſe dicitur, quãdo accidens, quod ſeparari non poteſt, uarietatem facit. Accidens fixum, & immotum eſt, ueluti cæſius oculorum color, naſi aduncitas, & cicatrix ex uulnere obducta. Maximè propriè differre dicuntur ea, quæ differentia ſpeciei procreatrice differunt: ut homo, quia rationis particeps eſt, ab equo diſtat.

QVID cauſæ fuerit, cur cùm Differentia Specie prior ſit, de Specie prius fuerit diſputatum, iam reddita eſt ratio: nunc de Differentia uerba facturus, utitur Ariſtotelis regula, de qua feci ſuprà mentionem, Differentiæq́; ſignificationes enumerat. Sed quò facilius intelligamus ea, quæ ſunt nobis dicenda, ita ſermonem ordiar: Differentia eſt aliquarum rerum inter ſe uarietas, ac commutatio, quæ uel ſeparari poteſt, & ex aliquo accidenti eſt, atq; ei natura eſt comparatum, ut ab illis, in quibus ineſt, auelli poſsit, uel non poſsit. Verbi gratia: Differunt aliqui inter ſe, ſi unum ſedere, ſtare alterum contingat: poteſt enim qui ſedet, ſtare, quiq; ſtat, ſedere, atque ita differunt inter ſe: eaq́; differentia Separabilis eſſe dicitur, quam Porphyrius Communem uocat: id quod fit, quoniam non alicui præcipuè, ſed omnibus communiter ineſt, ſeparabiliſq;, ac fortuita differentia eſt. Verùm ſi differentia ſeparari non poterit, uel per ſe inerit, hoc eſt, rei naturam abſoluet, uel fortuitò, id eſt, nihil quicquam ad rei naturam conferet. Differentia, quæ auelli à re, in qua ſita eſt, non poteſt, eſt ueluti aduncas, uel preſſas nares, uel oculos coeruleos habere: intereſt enim inter aliquos eo, quòd alter ſimus, alter repandus ſit. Fortuitæ differentiæ ſunt, quæ rerum ſubiecta non complent: poteſt quidem Socrates ſimus non eſſe, & tamen eſſe Socrates. quæ ſeparari à ſubiecta re non queunt, à Porphyrio Propriæ appellantur: nam alicui determinatum eſt, ut ſimus ſit. Differentia autem, quæ nec ſeparari poteſt, nec fortuita eſt, ſubſtantiam complet: ciuſmodi eſt Rationis particeps, & Mortale. Ratio enim nos à beluis diſtinguit, quia illæ rationis ſunt expertes: quam differentiam Maximè propriam uocauit. Differentiarum igitur alia Communiter, alia Propriè, alia Maximè propriè dicitur. Quæ Communiter dicitur, fortuita eſt, ac ſeparari ab re, in qua ſita eſt, poteſt: quæ Propriè, fortuita eſt, nec abſtrahitur à re, cui inhæret: quæ Maximè propriè, non ſeiungitur, & rei ſubiectæ naturam complet, ac per ſe inhæret. Quoniam omnis philoſophus in iis uerſatur, quæ ad perdiſcendæ philoſophię uiam, & rationẽ ſpectant, quæ & diuidẽdi, & definiendi ars eſt: cumq́; diuiſio, ac definitio nunquam foris, ſed ex iis, quæ ex ui, & natura ſunt aſſumatur, meritò de differentia Maximè propria, cùm illa ſubſtantiæ particeps ſit, uerba facit. Prima itaq; differentiarũ diuiſio hæc eſt. Eaſdẽ rurſus diuidit hoc modo: Ex Differẽtiis aliæ Diuerſum ſubiectũ faciunt, aliæ uerò Aliud. Communis enim, Propriaq́; differen-

tia Diuerſam rem facit, atq; tantummodo immutat. Sedere enim, ſtare, ſimum eſſe, & aduncum, immutant:at Maximè propria Aliud efficit: aliud ſanè eſt Rationis particeps, & aliud Rationis expers. Porrò Diuerſum in eorum, quæ ex re ſunt, immutatione uerſatur: Aliud uerò rem omnino alterã facit. Rationis enim compos, animal aliud facit ab eo, quod ratione careat. Sedens autem à ſtante, non aliud, ſed diuerſum. Simili quoq; modo repandus, atq; aduncus. Cùm igitur differentiæ tribus modis dicantur, Communiter, Propriè, & Maximè propriè: de iis, quæ Maximè propriæ ſunt, philoſophi loquuntur. Communes autem, & Propriæ ad generum diuiſionem nihil faciũt: quis enim ita abhorrebit, & erit abſurdus, ut aiat, Animal aliud ſedet, aliud ſtat? neq; enim omnia aſſumimus, neq; alia ſima, alia adũca eſſe ob ipſammet cauſam affirmamus. Sed ſi ad genera diuidenda nullum afferunt adiumentum, multò minus ad definiendũ afferent. illæ igitur ſolæ, quæ Maximè propriæ dicuntur, nobis ſunt adiumento.

Maxime proprie dicatur. Addens, Dicatur, ſignificauit ſe id nomen cõſtruxiſſe: antiqui enim cùm aliquo trito uocabulo uterentur, dicere conſueuerant, Dicitur: cùm uerò ipſi impoſuiſſent, Dicatur, uel Vocetur, addebant.

Socrates à Platone. Quantum homines non differunt, ſed quatenus ille ambulat, hic ſedet.

Ac ſemper in iis commutationibus ſpectatur. Hoc loco differentiæ fortuitæ intelligendæ ſunt.

In quibus rei modus conſiſtit. Id eſt, quę ex accidenti ſunt: ſiquidem Accidens in quæſtione dicitur, qua rei modus, & qualitas indagatur.

Speciei procreatrice. Id eſt, qualitate, quę ſpeciẽ perficit: animal enim ſi rationis cõpos, & mortale, ſuſcipiat, hominẽ: ſi mortale, & rationis expers, equũ, & reliqua animalia ratione carentia efficiet. Ipſæ igitur differẽtiæ ſi ad genera addãtur, ſpecies efficiẽt: id qđ in cauſa eſt, ut differẽtiæ formarũ efficiẽtes appellẽtur.

Omnino igitur omnis Differentia alicui adiuncta diſsimilem alii facit: ſed Communes, & Propriæ diuerſum faciunt: Maximè uerò propria eum, in quo ſit, alium efficit. Quæ igitur alium efficiunt eum, in quo inſint, Efficientes formarum appellantur: quæ uerò diuerſum, Abſolute differẽtiæ. Si rationis particeps ad animal adiungatur, aliud efficiet: at motus id ſolum diuerſum ab eo facit, qui non mouetur. Quare hæc aliud, illa diuerſum ſolũ animal facit. Iis itaq; differentiis, quæ aliud genus faciunt, & genera in partes diuiduntur, & definitiones ex genere, & huiuſcemodi differentiis traduntur: ex illis autem, quæ diuerſum tantummodo faciunt, uarietates ſolùm, & commutationes eius, quod aliquo modo ſe habeat, ortum trahunt.

ALTERAM Differentium diuiſionem tradit. Ex Differẽtiis, inquit, aliæ eum, in quo ſint, diſsimilem alii faciunt, aliæ omnino alium efficiunt. Quæ alium efficiunt, Per ſe: quæ commutãt, Fortuitæ, & Separabiles dicuntur. Separari poſſe dico Propriã, & Communem: ſiquidem Propria cogitatione ſeparari poteſt ab eo, in quo ſita ſit: nam Socratem abſq; aduncitate, comatum, gracilem, Socratẽ tamen intelligere poſſumus. Illa uerò, quæ Maximè propria eſt, ab eo, in quo inhæret, ne cogitatione quidem auellitur: nunquam enim hominem, ſi rationis particeps ab eo auferemus, intelligere poterimus, quòd non eſſet homo: omnes enim homines & rationis participes, & mortales ſunt. Quare ſimũ hominem poſſumus cogitare aduncum eſſe, ipſo etiam homine remanente: at homo, ſi rationem, & mortalitatẽ amiſerit, non cognoſcetur. Differẽtię igitur Propriæ, Cõmunesq; ſeparabiles ſunt: cùm enim aliquis ſtans ſederit, non factus eſt alius, ſed diuerſus: id quod Poeta de Vlyſſe à Pallade ex euẽtis commutato ſignificauit: apud quem ita dicitur:

Hoſpes diuerſus mihi nunc, atq; antè, uideris.

non enim alium Poeta dixit, ſed diuerſum. attamen ſi quiſpiam ſimus, aduncus eſſe intelligatur, non alius, ſed diſsimilis, ac diuerſus fiet: poterit namq; ille idem, & non aduncus eſſe.

Quæ igitur alium efficiunt eum, in quo inſint, efficientes formarum appellantur. Rationis particeps non diuerſum hominem ab equo, ſed alium facit: illa enim Alia dicuntur, quæ ex ui, & natura differunt, ut homo, & equus, de quibus antè dixi. Ratio enim eſt, qua una præſtamus beluis.

Iis itaq; differentiis, quæ aliud genus faciunt, & genera in parteis diuiduntur. Animal enim tum rationis compos, tum rationis expers eſſe dicimus, ac præterea mortale, uel immortale: atq; ita poſtea hominem definimus, Homo animal eſt rationis particeps, mortale, animum aptum habens ad ſcientiam percipiendam.

Vt igitur rem à capite arceſſam, perſpicuum eſſe uelim, Differentias alias ſeparari poſſe, alias non poſſe: nam moueri, ſtare, ægrotare, ualere, & cætera generis eiuſdem, ſeparantur: naſum uerò aduncum, uel ſimum habere, & particeps, atque expers rationis, reuelli à ſubiectis non poſſunt. Earum uerò quæ diſtrahi non queunt, aliæ rebus per ſe inſunt, aliæ fortuitò. Participes enim

rationis,

rationis, mortaliſq́;, & quod ad ſcientiam, & cognitionem natum eſt, homini ex ſe conuenit: aduncæ autem, & ſimæ nares, non ui ſua, ſed caſu.

PERFECTIOREM diuiſionem exorditur, & aliud quoddam initium ſumit, ut omnes differentiæ diſtinctæ inter ſe ſint. Differentium igitur alia ſeparantur à rebus, in quibus inſunt, alia non ſeparantur. Hac diuiſione Differentiæ communes à Propriis, & Maximè propriis diſtinguuntur. Aliæ rurſus Aliud, aliæ uerò Diuerſum faciunt: atq; ex hac diuiſione Maximè propriæ à Communibus, & Propriis diſcernuntur. Ex iis itaq; repugnantiis, quibus differentiæ uiciſsim ſeiugantur, coniugationes fiunt, quarum duæ ſine dubio non cohærent: non enim eſſe ſimul queunt, quod ſeparari poteſt, & quod non poteſt: uel diuerſum eſſe, & aliud. Ex reliquis quatuor, hæc ſeparabilis & aliud faciens non conſtat: cæteræ tres aptè cohærent, quandoquidem ſeparabiles, & diuerſam rem efficientes Communes ſunt: quæ autem non ſeparantur, & aliud faciunt, ſunt Maximè propriæ: quæ uerò non ſeparantur, ac diuerſum faciunt, Fortuitæ ſunt. Ac Communes quidem, ut ſedere: Propriæ, ut aduncitas: Maximè propriæ, ut rationis particeps. Videbitur etiam quædam eſſe diſtincta cõiugatio earũ, quæ ſeparari poſſunt, quæq́; aliud efficiunt, re tamen uera ipſa quoq; cõiugatio ratiocinatiua non eſt: rationis enim particeps per ſeſe homini attributum eſt, & quia homo ſit, rationis particeps eſt, ob eãq́; cauſam omnes homines rationis participes ſunt: ſed aduncũ, nigrumq́; eſſe, ſedereq́;, ac ſtare, non per ſe, quoniã homo, quia homo, aduncus nequaquam eſt, uel omnes homines adũcos, uel nigros eſſe oporteret: etſi enim aliquis nec aduncus, nec niger eſt, homo tamen eſt. Nulla igitur harum Differentiarũ aliam rem facit, ſed diuerſam. At Rationis compos cùm per ſe aderit homini, aliud faciet: hac igitur cauſa cum ea differentia, quæ diuerſam rem facit, conſtare non poteſt.

Ita fit, ut eæ, quæ per ſe adſunt, ad rerum naturas definitione explicandas aſſumantur, resq́; alia efficiatur: quæ autem fortuito, neq; ad rei definitionem adhibeantur, neq; aliam rem faciant, ſed immutent: quæ item per ſe adſunt, nec contentionem, nec remiſsionem capiunt.

DIFFERENTIAE, quæ per ſe inſunt, ad rei uim explicandam, ac definiendam adhibentur: ſiquidem definitiones ex generibus, & differentiis formarum efficientibus aſſumuntur.

Nec contentionem, nec remiſsionem capiunt. Neque enim quiſquam magis, aut minus rationis particeps dicetur. Pueruli enim etſi propter ætatem ad eas actiones, quæ in ratione uerſantur, apti non ſint, nihilo tamen minus ſunt rationis participes. Illa præterea magis, & minus ſuſcipere dicuntur, quæcunq; aduerſa ſunt, & in eodem ſubiecto conſiſtunt, quæq́; inter ſe commiſcentur: ut, album albo magis, minus'ue album dicitur: & nigrum magis, uel minus nigro: quippe cùm eadem res ſubiecta tum alba, tum nigra fiat, & alba cum nigris commiſceantur: atq; aliquando puriora, nonnunquam magis miſta & confuſa euadant. In ſubſtantiis autem nec intentio eſt, nec remiſsio, quoniam ſubſtantiæ nihil aduerſatur: nec rationis particeps, & rationis expers conſiſtere in eodem ſubiecto poſſunt. At ſi quis diceret, cur Ariſtoteles in ſummis generibus aiat, Subſtantia, quæ propriè, & primùm, & maximè appellatur, cùm illud maximè, uideatur ſignificare ſubſtantiam amplificari & imminui: Ei nos reſponderemus, hoc ab Ariſtotele dictum fuiſſe, utpote quod magis eſſet ad cognitionem noſtram accommodatum. primam enim, & maximè dixit indiuiduam. quoniam & magis à nobis cognoſcitur, & prior comprehenditur: ab illa enim tempore, & ſcientia educti ad ſecundam, quæ ex generibus, & differentiis eſt, deuenimus. Verùm ſi aliquis concederet, magis & minus in ſubſtantiis eſſe, non in latitudine, ſed altitudine concederet. Homo enim non magis homo, ac rationis particeps homine eſt: nec equus magis animal boue: nec homo magis boue, atq; equo. Sed in altitudine, ut dixi, poteſt hoc ſic cognoſci. Superiora inferioribus perfectiora ſunt, idq́; quatenus à melioribus longius abſunt. uerbi gratia, Rationis particeps magis in mente eſt, quàm in anima: & magis in angelis, minus autem in cœleſtibus corporibus: ſiquidem ipſa quoq; animata ſunt, habentq́; rationem: atq; id magis in iis, quàm in nobis ſitum eſt. Alio quoq; modo probatur: Subſtantia magis in animali eſt, quàm in homine, ac magis in utriſq;. Simili etiam ratione animal magis in homine, quàm in Socrate eſt: quoniam ſubſtantia non ineſt Socrati ſine ullo interiecto medio, animal enim intercedit: ea poſtea per hominem ad plantas progreditur. Perſpicuum igitur eſt, id, quod primum, proximeq́; alicuius rei particeps eſt, maiorem eius rei partem habere, quàm quod ſecundò, & aliquo interiecto medio eſt. Rectè igitur ſubſtantias nõ in latitudine, ſed altitudine magis, minuſq́; ſuſcipere dictũ nobis eſt: nam ſi in latitudine amplificarentur, aut minuerentur, eadem diſtantia eorum, quæ ſub genere ſunt, rationis inquam participis, & ratione carentis, mortaliſq́;, & immortalis non eſſet.

At quæ caſu, etſi ſeiungi non poſſunt, contentionem tamen, & remiſsionem capiunt. neq; enim genus magis, minus'ue de eo, cuius genus ſit, dicitur: neq; differentiæ generis, quibus genus ipſum in parteis diſtribuitur.

CONTENTIO. & Remiſsio magis, & minus ſignificant: hæc enim nomina à chordis per tranſlationem ſumuntur: illæ enim admodum intentæ uehementiorem ſonum, remiſſæ uerò minorem reddunt. Philoſophi igitur uehementem rei impreſsionem, Contentionem, leuiorem uerò Remiſsionẽ uocauerunt.

Quando

Quandoquidem hæ ſunt, quæ cuiuſque rationem abſoluunt: & nullius rei uis, quæ una eademque eſt, nec amplificari, nec minui poteſt: at aduncis & ſimis naribus eſſe, colorarique magis, & minus dicitur. Cùm igitur tria differentiarum genera habeamus, aliæ, quæ ſeparari à rebus poſſunt: aliæ, quæ non poſſunt: atque ex iis, quæ ſeparari non poſſunt, quædam, quæ per ſe inſunt, quædam, quæ fortuitò: ruſuſque earum differentiarum, quæ ui ſua adſunt, aliæ ſunt, quibus genera in formas diducimus, aliæ, quæ ſpeciem efficiunt, cuiuſcemodi ſunt Animatum, Senſus, rationiſque particeps, & Rationis expers, Mortale, & Immortale: ex quibus cùm omnes per ſe animali inhæreant, hæ duæ Animatum, & Senſus particeps animalis naturam abſoluunt: animal enim eſt natura animata, ſenſus particeps. Hæ uerò, Mortale, & Immortale, Rationis compos, & expers, genus in ſpecies partiuntur: iis enim genera in ſpecies diuidimus. Sed quæ genus in partes diſtrahunt, eæ ſpecies perficiunt. uel ex eo, quòd his differentiis Particeps, & Expers rationis, Mortale, & Immortale, animal in ſpecies diducatur. Id quod fit, ut Particeps rationis, & Mortale, hominis: Rationis compos & Immortale, Dei: Expers rationis, & Mortale beſtiarum genus cõſtituant. Simili quoque modo cùm hæ differentiæ Animatum, & Inanimatum, Senſus particeps, Senſus expers ſummę ſubſtantiæ ſint: duæ ex iis Animatum, & Senſus particeps ad ſubſtantiam adiunctæ, animal: Animatum uerò & Senſus expers, plantam complent. Cùm igitur eædem differentiæ alio, atque alio modo ſumptæ & efficientes formarum, & diuidentes ſint, omnes Formarum effectrices appellãtur.

QVAE rei naturã complent, eædem definitiones perficiũt: definitiones uerò eiuſdem ſemper eædem ſunt. Homo non eſt aliquando animal rationis particeps, mortale, & quandoq; non eſt: ſed ſemper eodem modo ſe habet. Nec amplificatur, nec minuitur: neq; enim tum magis particeps rationis, tum minus eſt.

Colorariq; magis, & minus dicitur. Hoc eſt, album, uel nigrum eſſe: intenditur enim, & remittitur: quippe cum aliquid magis album alio ſit, magiſq; nigrum, aut ſimum, atq; repandum. Cùm igitur tria differentiarum genera nobis cognita ſint, ex quibus aliæ ſeparari ab eo, in quo inſint, poſsint, aliæ autem non poſsint: atque ex iis, quæ non ſeparantur, aliæ ui ſua adſint, & aliæ caſu, ac temere: Porphyrius magna ratione adductus uoluit de eis diſſerere, cùm præſertim ea, quæ ad definitionem, & diuiſionẽ pertineant, in medium proferre uelit. Ait igitur ad hunc modum: Ex differẽtiis formarum efficientibus aliæ conſtituunt, aliæ diuidunt: eæq; non aliæ, atque aliæ, ſed eædem ſunt: partim enim diuidentes, & partim conſtituentes fiunt, ſi tamen alio, atque alio modo ſumantur. Rationis nanq; particeps, & expers, Mortale, & Immortale animalis differentiæ ſunt: eædemq; ipſæ ſunt, quæ diuidunt, & in quas animal diuiditur. Si uerò illæ, quę coniugari ſimul poſsint, accipiãtur, ueluti Mortale, & Rationis particeps, differẽtię fient, quæ hominis naturam abſoluent, quòd ex iis humana natura ſit conſtituta. Eſt igitur ex hoc perſpicuũ diuidentes differentias ad diuidendũ magno nobis eſſe adiumento: quoniam hac ratione generũ in partes diuiſiones fiunt. Illæ uerò, quæ cõſtituunt, ad definitiones utiles ſunt: ſiquidem ex genere, & huiuſmodi differẽtiis definitiones traduntur. Scire autẽ debemus, ex iis ſimul cõiunctis quatuor fieri cõiugationes: quarũ tres ratiocinatiuæ ſint, una uerò nequaquã conſtat: ut exẽplo ponatur, Rationis cõpos, & Rationis expers, Mortale, & Immortale: ecce Rationis cõpos, & Mortale ſimul ſtant, eſt enim homo: Rationis uerò particeps, & Immortale, Deus: Rationis expers, & Mortale, equus. Fieri enim non poteſt, ut quid ratione careat, ac immortale ſit. Qua de cõiugatione, Rationis, expers dico, & Immortale, diſputatur, cõſtet necne; & num aliquid rationis expers immortale ſit: quod fieri poſſe Poëta de Scylla dicere uidetur, cùm ait,

Monſtrum immortale, malumq;.

Nonnulli eſſe genus quoddam dæmonũ immortalium, ac ratione carentium ſunt opinati, quod inferiorem ordinem ſortitũ eſt. quos nuquam dæmonas deuitamus, & auerſamur: alii hoc genus eſſe mortale dixerunt, quoniã id, quod æternũ ſit, idem rationis eſſe particeps contẽdant. Sed ut eò, unde egreſſa eſt, referat ſe oratio, ad ſubſtantiã reuertamur, & eadem inueniemus. Atqui cùm illæ duæ repugnantiæ ſint, Animati inquam, & Inanimati, Senſum habentis, & non habẽtis, tres tantum coniugationes quæ cohæreant, oriuntur, reliquæ tres non conſtant. Animatũ, & Senſu præditum animal eſt: Animatũ, & ſenſus expers, planta: Inanimatũ, & Senſu uacans, lapis: Inanimatũ uerò, & ſenſus particeps, nihil: quod enim ſenſum habet, multo etiã magis naturalem animã habet. Id tamen non reciprocatur, quoniã ubi naturalis anima eſt, illic non erit omnino ſenſus: at ubi ſenſus erit, illic naturalem eſſe animam neceſsitas omnino cogit.

Iis enim genera in ſpecies diuidimus. Nam quemadmodũ quædã ſolùm ſpecies ſunt, quædã & ge-

d neris,

neris,& ſpeciei ſubeunt rationē:ita etiā in differentiis euenit. ex differentiis formarū procreatricibus aliæ tantummodo diuidētes ſunt,hæq; ſummorum generū ſunt:aliæ ſolum cōſtituentes, hæq; infimis ſunt attributæ:quæ uerò utrūq; faciunt,ad intermedia,quæ genera,& ſpecies ſunt,illæ pertinēt.Etenim ſubſtantiæ differētiæ corpus,& corporis expers ſubſtantiā ſolum diuidunt,nunquā enim efficiunt. Hominis uerò differentiæ rationis particeps, & mortale, ſunt hominis tantum effectrices: at mediorum uelut animalis mortale,& immortale,rationis compos,& expers diuidūt,& efficiunt:quoniam aliquid ipſis ſuperius habent. Differentiæ uerò aduerſæ animal partiuntur,quòd ipſæ quoq; in alias partes diuidantur:ueluti ſunt Mortale,& Immortale,in quæ animal diuiditur:ac Rationis particeps,& expers eodem modo.Quæ uerò ſunt alia ſub alia conſtitutæ,ſpecies conſtituunt:nam Rationis particeps, & Mortale hominē faciunt:Ratione utens,& Immortale,angelum: Ratione uacans, & Mortale,bouem: ac differentiæ Rationis expers dico,& Mortale ſunt omnium reliquorum brutorum. Rationis expers,& Immortale,tanquā dubia ſubſtantię ſint nec'ne,Porphyrius omiſit.Sunt enim quidam dæmones:de quibus antè dixi,qui cùm rationis expertes ſint, inferiores orbis terræ partes incolunt, ineitasq; illic animarum pœnas ſumunt: hiq; à quibuſdam immortales,& à quibuſdam mortales eſſe exiſtimantur.

Quarum maximus uſus eſt in genere diuidendo, & rebus definiendis. earum autem, quæ fortuitò ſeparari nequeunt, non ita, ac multò etiam minor earum, quæ auelli poſſunt.

HOC loco cùm dicat,**In rebus definiendis**:quonam pacto illæ differentiæ ſumantur,conſiderat: ac ſignificat uoces in accidentiū definitionibus ſubſtantiæ participes eſſe debere:ſiquidē definitiones ex uocibus,quæ ſubſtātiæ participes ſint,cōponuntur:ut,candor color eſt,quo uiſus noſter diſſipatur, ac diſpergitur. Præterea addidit, Maximus:quoniam ſæpenumero propter humanam imbecillitatem huiuſmodi differentiis caremus,& definitiones ex accidentibus aſſumimus:ut in coruo manifeſtò apparet,in quo explicando nigrorem pro differētiis accipimus,& in olore candorem: ac cùm equum definimus,animal eſſe dicimus rationis expers ad hinniendum natum, proprium, quod ſubſtantiæ aduentitium eſt, differentiæ loco, quæ ſubſtantiæ eſt particeps, ſuſcipimus. Id quod fit,quoniam differentiam ſubſtantiæ participem equi,& aſini repetire nullo modo poſſumus.

Eas autem definiunt hoc modo: Differentia eſt, qua genus à ſpecie ſuperatur: nam animal ratione,& mortalitate ab homine ſuperatur, quoniam animal nihil horū eſt: unde enim formæ differentias habeant? nec uerò omnes contrarias habent, propterea quòd in eadem rē formæ concurrerent cōtrarię: ſed ut arbitrantur,omnes differentias,quæ in eis ſubiectæ ſunt, facultate complectantur, re uera nullam. Quocirca neque de nihilo quippiam fit, necꝫ formæ contrariæ in eadem re ſimul inſunt. Eam hoc quoque modo definiunt. Differētia eſt,quæ de multis,iiſq; ſpecie differentibus dicitur, cùm qualia ſint, quæritur. Nam rationis particeps, & mortale de homine dicuntur: & qualis homo ſit, non autem quid ſit, explicant. Cùm enim rogamur, quid ſit homo, rectè animal reſpondemus: cùm uerò quale animal ſit, interrogamur: rationis particeps, & mortale congruenter reſpondemus.

CVM Differentiæ ſignificationes numerauerit,& de qua philoſophi loquantur, dixerit:hanc præcipuam deſcriptionem tradit: Differenria,inquit,eſt,qua genus à ſpecie ſuperatur. Ex hac definitione Porphyrius dubitationem mouet,& eam poſtea diſſoluit. Duo quædā perſpicua dubitationis effata ſuſcipit: quæ ſic à Peripateticis appellantur,quòd per ſe credenda ſint: ex quibus hoc primum eſt. Nihil ex nihilo oritur:ut abacus ex ligno confectus partim fuit, quia lignum erat,partim uerò non,quia non erat abacus: nam ſi fuiſſet,artifice,ut fieret,non indiguiſſet. Lapides præterea ſunt, tum uerò non ſunt, quia nondum domus eſt: quo'nam igitur modo ex penitus nihilo quippiam fiet? Alterū effatum eſt, Aduerſa in eadem ſubiecta re in eodem tempore ſimul eſſe non poſſunt. Aduerſa enim ſibi ipſa mutuum interitū afferunt. His præpoſitis ita oritur dubitatio: Differentię uel ex genere,in quo prius erant,formis inſint,uel ex nihilo fiant,neceſſe eſt. Horum utrunq; abſurdum eſt: nam ſi in generibus,tanquam in corporibus differentiæ ſint,aduerſa ſimul erunt in eadem ſubiecta re, mortale uidelicet,ac immortale, rationis compos,& expers.quod ita abhorret,ut nihil ſupra: ac niſi in generibus ſint differētiæ,quo'nam pacto in formis? eſſet enim aliquid, quod ex iis, quæ nulla ſunt, factum eſſet, quod item à ratione alienum eſt: ex nullo enim alio fieri poterunt, cùm inter genera, & formas, nihil medium interiectum ſit. Patet igitur hunc ſermonem eſſe maxima dubitatione inuolutum. Porphyrius itaque dubitans Peripatetico more cōtrouerſiam ſoluit: Aduerſa, inquit, in unam et re, & eodem tempore actu ineſſe non poſſunt, at poteſtate queunt.

Atque ut ea, quæ diximus,clara fiant,non eſt ignorandum, aliud eſſe Poteſtate quippiam exiſtere, & aliud

aliud Actione. Id nanque Poteſtate eſſe dicitur, quod imperfectum eſt, neque deductum ad rem ipſam, commodè tamen traducitur ad actum: ut puerulus facultate grammaticus eſt, quãdoquidem fieri grammaticus poteſt: & aqua gelida, poteſtate calida eſt, cùm poſsit calida reddi. Hoc igitur eſt, quod Poteſtate eſſe dicimus. Re ipſa grammaticus dicitur, qui grammaticam ſcientiam ſit planè conſecutus, ipſamq; reliquos doceat: & frigida aqua poteſtate calida dicitur, quæ cùm calefacta ſit, actu calida dicetur. Ait igitur, aduerſa, calidum inquam, & frigidum, actu ſimul alicui non adeſſe, poteſtate tamen poſſe. Tepida quidem aqua, neque actu calida eſt, neque gelida, poteſtate tamen utrunq;: atque infans poteſtate uirtutem habet, & uitioſitatem: materia item poteſtate omnia aduerſa poſsidet. Si igitur genus materiæ rationem habet, ut pòſt dicetur: clarum eſt, ipſum poteſtate omnes differentias aduerſas habiturum: id quod aliter etiam probatur hoc modo. Aduerſa in uno eſſe poſſunt: ſi uerò alterum aduerſorum actu habeat, alterum poteſtate habebit: quod re ipſa frigidum eſt, facultate calidum eſt, quoniam ſuapte natura ei eſt comparatum, ut calidum fiat. Hoc enim dictum eſt, propterea quòd quædam ſunt, quæ alterum aduerſorum tantum ſuſcipiunt: ut cryſtallus, quæ frigida cùm ſit, calefiet nunquam, atque ignis nunquam frigidus reddetur: aër, & aqua utrunque admittunt: aduerſa enim facultate in eodem eſſe poſſunt. Nam ſi duo aduerſa poteſtate quippiam non habuerit, nunquam actu in horum utrunque commutabitur. Sed quoniam duo aduerſa poteſtate continet, propterea in utraque transfertur. Hoc itaq; modo genera aduerſas differentias habere ait: non enim ex nihilo penitus fiunt, neque aduerſa in eodem eſſe re ipſa poſſunt. Peripatetici hac ſolutione utuntur, qua Porphyrius, quoniam librum ad ſumma Ariſtotelis genera utilem ſe ſcripturum promiſit, uſus eſt. Nec clam me eſt, Platonis ſtudioſos huic ſolutioni repugnare: uolunt enim differentias generibus actu ineſſe. Nec dubitandum, quin rationis compos, & rationis expers, mortale, & immortale generibus ſubiiciantur: ad cuius rei demonſtrationem hiſce rationibus utuntur: aiunt enim mortale, & immortale, particeps, expersq; rationis aduerſa non eſſe, quòd aduerſa ſeſe inuicem interimant: hæc autem tantum abeſt, ut ſibi mutuum interitum parent, ut etiam ſeſe conſeruent: rationis enim particeps & immortale ſeruant mortale, & rationis expers. Nam Deus cùm rationem habeat, immortalisq; ſit, mortalia omnia ſeruat, & cuſtodit. Præterea homo ratione carentium curator eſt, & conſeruator. Angeli uerò immortales, homines mortales curant, & cuſtodiunt. Quare rationis particeps, & ratione carens aduerſa non ſunt, nec item mortale, & immortale: quòd ſi aduerſa non ſunt, quid obſtat, cur generibus non inſint: quandoquidem uires, quæ rationis expertes ſunt, iram dico, cupiditatemq;, & ſenſum, atq; animam, quæ rationis particeps eſt, ſimul in uno hominis corpore ineſſe conſpiciantur. Dicunt rurſus: ſint licet inter ſe contraria, nihil tamen abſonum eſt, eadem in eodem genere actu ineſſe, quoniam non in corporeo ſubiecto, ſed in eo, quod corporis expers eſt, exiſtunt: genus enim corpore uacat, nam in ſubiecto corporis experte aduerſa ineſſe poſſunt. Quòd uerò duo aduerſa in ſubiecto corporeo ſimul ineſſe non poſsint, cauſa eſt, quòd utrunque uult eſſe ſubiecti particeps. Singulare corpus per ſeſe ea, quæ ſe inuicem perimunt, non admittit. At in iis, quæ non corpora ſunt, id non ualet, propterea quòd natura aduerſorum omnium in iis habeat rationem ita, ut oculus, qui candoris, & nigroris rationes admittit: anima quoque ſimul, & eodem tempore aduerſorum, boni ſcilicet, & mali, frigidi, ac calidi rationem habet. Vna igitur eſt aduerſorum ſcientia. Quare à ratione non alienum uidetur, ſiquis dicat aduerſas differentias generibus ineſſe. Similiter etiam in abaco, atque in eadem eius parte triangulum, quadratum, turbinem, & globoſam figuram fingere ſimul non poſſumus, quoniam inter ſe confundentur figuræ omnes, cùm in re corporata eſſent collocatæ. At in anima hæc omnia habemus, & ea non confuſa. Ex quo fit, ut ea etiam diſtinctè proponamus: & primam, ſecundamq;, ac tertiam ſpeculationem demonſtremus. Secus uerò de turbine, triangulo, & quadrato, ut diximus. Ita fit, ut in iis, quæ concreta, & corporata non ſunt, aduerſa re ipſa inſint. Alia præterea ratione probatur: Si differentię generibus poteſtate inſunt, quid eſt, quod illas cum formis actu componit, & inſerit? Omne, quod poteſtate eſt, à quodam, quod tum actu eſt, ad actum traducitur. Aqua frigida cùm poteſtate calida ſit, actu fit calida ab igne, qui tum calidus eſt: & puerulus poteſtate grammaticus, redditur grammaticus ab eo, qui tum eſt grammatices peritus. Si igitur poteſtate eſſe poſſunt in generibus differentiæ, ſi ad actum traducantur, aliquo quodam, quod actu differentias habeat, indigebunt, ſed nihil aliud in iis eſt: poteſtatę igitur in generibus non erunt differentiæ. Rurſus ſic probant: Omne, quod eſſe poteſt, imperfectum eſt: quod uerò actu eſt, perfectum eſt. Si itaque ſpecies actu differentias habent, & genera poteſtate, ultimæ ſpecies erunt omnibus perfectiores, & digniores, prima autem genera omnibus imperfectiora, atque indigniora: id quod à uero ſenſu maxime abhorret: ſequeretur enim effectas res ſuis cauſis eſſe & perfectiores, & præſtabiliores. Oportet igitur differentias in generibus actione ineſſe. Eſt'ne igitur ob eam cauſam Peripateticorum ratio, atque omnino explodenda ſententia? Id equidem ne unquam quidem cenſuerim: propterea quòd cum triplex genus ſit, de eo genere, quod ante multa eſſe diximus, Platonici loquebantur, in quo differentiæ actu ſunt, omniumq; rationes re ipſa ineſſe poſſunt: Peripatetici uerò de eo, quod in multis eſt, uerba faciunt. Naturam ab uniuerſis ad ſingulas res proficiſci, ſingulasq; in uniuerſis poteſtate cohærere ſciendum eſt. Semen ſi in concipientem, comprehendentemq; naturam inciderit, primùm carunculam quandam in matrice finget, & efficiet, ut medici inquiunt, quæ ſanè caro corpus erit, ac corpus uniuersè ſumptum. Hoc tamen ut corpus, re ipſa eſt: ut animatum, poteſtate: quia necdum animatũ actu eſt. Vbi uerò aletur,

augebiturq́; , animabitur , ac tunc animatum uerè dicetur,& poteſtate animal : non enim adhuc ſentit, & mouetur : quæ cùm nactum ſit , actu animal erit , poteſtate particeps rationis : cùm uerò additionis , ac rationis particeps fuerit , actione animal rationis particeps erit , poteſtate grammaticum. Differentias igitur ineſſe poteſtate in generibus , quæ in multis ſunt , uidemus. Simul etiam patet phyſicos hoc modo rectè dicere. Ex quo conficitur , ut cùm Porphyrius librum hunc non ad Platonicam , ſed Ariſtotelicam doctrinam utilem ſcribere uellet , peripatetica ſolutione uſus ſit. Sed cùm ſuprà diceremus, quinque uoces corpore uacare , neque id probatum adhuc ſit , teſtat ut id rationibus affirmemus. Corpus (ut hinc initium ſumam) nunquam in maiori æquè , ac in minori conſideratur , uelut in elephante , & formica : at quinque uoces pari ratione & in magnis , & in paruis conſiderantur. Deinde omne corpus corpori adiunctum acceſsionem affert ei , quod additamentum capit : ſed genus & ſpecies , ac reliquæ uoces ad Socratem additæ nihil amplificant , nec ullam ei acceſsionem faciunt. Præterea nunquam idem corpus in eodem tempore in multis uidebitur : licet ſimile uideatur , idem tamen non erit : ut in Platonis crure os elephantis eſſe uidebitur : non tamen idem erit cum illo , quod Oreſtes habebat : at genus, & ſpecies eodem tempore in multis conſiderantur. Tum corpora diuiſa nunquam ſpeciem , & eandem quantitatem ſeruant : ſtater enim nummus in multas partes diuiſus unam formam , unamq́; ſtateris quantitatem non ſeruabit : genera uerò & formæ eandem formam & quantitatem ſeruant , ſi in Socratem , & cæteros diſtribuantur. Aliter etiam demonſtrari poteſt. Omne corpus ex materia,formaq́; componitur , genus & ſpecies eo modo non fiunt , nunquam enim ſpecies ex ſpecie componetur , igitur quinque uoces corporis expertes ſunt. Omnia iam percepimus , id quod ſequitur , per ſe apertum eſt, tamen nihilominus legendum eſſe exiſtimamus , ut ſi in obſcuri quippiam inciderimus , à nobis declaratum ſit.

Animal nihil horum eſt. Id eſt expers,quippiam enim tale ſubaudiendum eſt. Si enim animal particeps non eſſet eius,quod rationis particeps eſt,& mortale,unde has differentias ſpecies habeat?

Nec uerò omnes contrarias habet, quoniā res concurrerent contrariæ,ut arbitrantur. Quoniam Porphyrius Platonicus, ea dicebat, quæ ſibi recta non uidebantur, ſic inquit , ut Peripatetici putarunt:illi enim naturaliter loquuntur;atq; ita rectè ſunt opinati, Vniuerſas ſcilicet res ſingulis priores eſſe, & eo pacto ad actum traduci.

Eam hoc quoque modo definiunt. Perfectam differentiæ deſcriptionem ex earum uocum diuiſione ſumptam tradit:ita enim erat, Vocum aliæ ſignificant,aliæ non.

Etenim res omnes è materia,& forma,uel ex iis,quæ materiæ, & formæ proportione dicuntur,ſunt conflatæ. Nam ut ſtatua ex æris materia,& ex figura tanquam ex forma efficitur : ſic homo communis,quicq; ſpecies eſt,ex genere,quod materiæ rationem habet, & ex differentia , quæ formæ ratione quadam reſpondet,conficitur : ex quibus totum quiddam,quod efficitur,animal rationis particeps,mortale,homo perinde eſt,atque illic ſtatua.

REDDIT nunc rationem , quanam de cauſa genus in quæſtione , qua quid res ſit , indagatur : & differentia in ea , qua qualis ſit , dicatur. Res omnes , inquit , uel propriè ex materia , ſpecieq́; conſtant: uel ex iis , quæ materiæ , & ſpeciei ratione dicuntur. Omnibus igitur naturalibus rebus res quædam ſubiecta eſt , quam propriè Materiem uocant turpem & informem : Forma uerò propriè eſt , quæ ſuo ornatu materiam , quodq́; ex ea ſit , ornat. Atque ita propria materia , & propria forma in rebus naturalibus ſpectatur : in artificioſis autem , quædam proportio eſt materiæ , & formæ. ut cùm ex ære fiat ſtatua , æs materia dicatur , non propriè illud quidem , ſed promiſcuè , & proportione quadam : æs enim non eſt forma uacans : ſed propterea quòd artifici ſubſtratum eſt , ſtatuæq́; formam accepit , tanquam propriè materia , ea de cauſa materia dicitur. Figura item formæ proportionem habet , quandóquidem æs imprimit : nam cùm naturalibus rebus una quædam materia tributa ſit , ob id omnes reciprocantur: neque enim omnia uiciſsim retro commearent , ſi non una quædam , omnibusq́; communis materia ſubiecta eſſet. Aenea quidem uaſa mutari ita poſſunt,ut ex lebete ſtatua efficiatur : at quibus eadem materia non eſt , inter ſe commutari non queunt. ex lebete enim nunquam abacus fiet. Atqui ex terra aqua, ex aqua oritur aër , ex aere æther : deinde retrorſum uiciſsim ex æthere aër, & ex aëre aqua, ex aqua terra infima : id quod fit , quoniam materiem habent eandem : quod enim frigus,humoremq́; ſuſcipit, aqua ſit : quod ſiccitatem , & calorem , æther : ita quoque reliquæ duæ naturæ , ex quibus omnia conſtant. Omnes igitur naturales res , uelut homo , equus , & cætera generis eiuſdem ex materia propriè , & forma conſtant : ea uerò , quæ arte conſtructa ſunt , ex iis conſtantur , quæ eandem habent cum materia portionem. Atque ex iis , quæ figuram habent , formæ reſpondent : genus igitur materiæ, & differentiæ formæ ratione quadam reſpondent. Nam ut in ſubſtantia nihil inter ſe differt, ueluti materia, ſicut ænea uaſa , differentia tamen in figura fit : ſic quoque in genere , quia homo , equus , canis animantes ſunt, nihil differunt illi quidem , ſed propter differentias magnopere diſtant. Si rationis particeps , mortaleq́; ad animal additum ſit , fiet homo : ſi rationis expers , & mortale, equus. Quare genus materiæ , & differen-

tia for

tia formæ comparatur. Cùm igitur materia unicuique naturam, forma uerò qualitatem tribuat, meritiſſimo genus in quæſtione, qua quid quicq; ſit exquiritur, ut materiæ comparatum dicitur: differentia autem, utpote quæ formæ ſimilis eſſe comperiatur, in qua rei qualitas indagatur.

Communis. Id eſt, uniuerſi homines.

Quique ſpecies eſt. Id eſt homines ſinguli.

Eam hoc quoque modo definiunt: Differentia eſt, quæ ſuapte quadam natura ſeparat ea, quæ ſunt ſub eodem genere conſtituta: nam Rationis particeps, & Rationis expers hominem, & equum, qui ſub idem genus ſubiecti ſunt, inter ſe diſtinguit. Demum ita deſcribunt: Differentia eſt, qua unumquodq; differt, ac diſcernitur: homo enim, & equus genere inter ſe non differũt, quoniam & nos, & equi animalia ſumus: ſed cùm rationis particeps adiunctum fuit, nos ab illis diſtinxit. Sumus item nos, & angeli rationis participes, ſed Mortale interiectũ nos ab illis diſiunxit.

RATIONIS particeps, & Mortale cùm accedunt, hominem ab equo ſeiungunt.

Qui uerò differentiæ rationes exquiſitius colligunt, eamq; ad uiuum reſecãt, non quoduis eorum, quæ ſeparant ea, quæ eodem genere continentur, differentiam eſſe dixerunt: ſed quod ad rem, eiusq; notionem, quid ſit, explicandam ualeat, quodq; rei pars exiſtat.

NON, inquit, quiduis eorum, quæ ſeparant omnia, quæ ſubiecta ſunt ſub idem genus, in differentiarũ numero habetur ab iis, qui differentiæ rationẽ ſubtilius perſpiciunt, & accuratius perſequuntur: quandoquidem nec Communis, nec Propria, ut ſtare, ſedere, ac repandum eſſe, ſed Maximè propria differentia ſeparat, ut rationis, atq; intelligentię particeps, quæ hominẽ efficit. Soli enim homini attributũ eſt: in Deũ autem, utpote qui omni intelligentia præſtet, non cadit: multò etiam minus in bruta, quibus id natura inſitum non eſt. Homo præterea non alicuius ſcientiæ, ueluti grammaticæ tantum capax eſt, ſed omnium.

Quid ſit. Hoc eſt, quod ad eius uim, & naturam definiendam pertineat. nam hoc uerbum Quid, apud Ariſtotelem definitionem ſignificat, non ſecus, quàm apud grammaticos ira iracundiam: propterea quòd definitio, quid quæq; res ſit, explicat. Quod igitur definitionis pars eſt, illud eſt quod rem diſtinguit: rationis enim, & intelligentiæ participem eſſe, definitionis pars eſt, quæ differentia hominem à cæteris animantibus diſiungit.

Non enim, aptum eſſe ad nauigandum, hominis differentia eſt, licet ſit hominis proprium: nam ſi dixerimus animãtium alios ad nauigãdum aptos eſſe, alios non eſſe: hominem quidem ab aliis diſtinguemus. Aptum tamen ad nauigandũ eſſe neque hominis naturam abſoluet, neque eius pars erit, ſed habilitas quædã: cùm earum differenriarum numero non habeatur, quę ſpeciem procreant. Quapropter formarũ effectrices differentiæ ſunt, quæ aliam ſpeciem efficiunt, quæq; ad rei naturam aperiendam aſſumuntur. Quare de his ſatis.

AD nauigandum, inquit, non notandum, aut ut ſuper aquis feratur, ſiquidem hac ratione bruta, inanimaq; ad nauigandum apta eſſent: ſed Nauigare intelligẽdum eſt hoc loco, nauem gubernare, quod eſt hominis proprium: homo tamen non efficitur, aut formatur ob nauis gubernandæ facultatem, quoniam eo pacto ii, qui naues non gubernarent, homines non eſſent.

DE PROPRIO.

PROPRIVM diuidunt in partes quatuor. Primùm dicunt eſſe propriũ, quod uni ſoli, neq; toti ſpeciei conuenit, ut homini mederi, uel terrã metiri: deinde quod toti, ſed nõ ſoli, ut homini bipedẽ eſſe: tum quod ſoli ſpeciei, totiq;, & interdũ ineſt, ut homini cuicũq; caneſcere in ſenectute: poſtremò in quod hæc concurrunt omnia, quod in ſola, totaq; ſpecie, & ſemper ineſt, ut in homine ridẽdi facultas, qui etſi non ſemper ridet, ad riſum tamen aptus dicitur: idq; non quòd ſemper rideat, ſed quòd ſemper ſit ad riſum natus, id quod ei proinde innatũ eſt, uti equo habilitas ad hinnitum. hæcq; quoniã uiciſsim retro commeant, uerè propria appellantur. ſi enim equus ſit, ad hinnitum quoq; aptus exiſtet: & ſiquid ad hinnitũ aptum ſit, equus itidem erit.

CVM de Differentia finem habuerit oratio mea, reſtat ut de Proprio diſſeratur, atque ita, non modò ordinem inuertemus, ſed etiam ſeruabimus diligenter: propterea quòd cùm de iis, quæ ſubſtantiæ ſunt, diſputatum ſit, ſequitur neceſſariò, ut de illis loquamur, quæ rerum naturæ adueniunt. Atque à Proprio initium ſumemus, quia intermedium quiddam ſit: nam quia maximè Proprium ſoli, totiq́;, ac ſemper ſpeciei conuenit, ſubſtantiæ particeps eſt: ſiquidem ea, quæ ſubſtantiæ ſunt conſortia, in omnibus, quibus conueniunt, ſemper intelliguntur. Accidentibus porrò comparatur, quòd non ſecus, ac illa, à ſubiecta re cogitatione diuellitur. In eadem præterea docendi forma perſeuerat, quam uſq; ante hac ſeruauit: nam prius quàm dicat, de quo Proprio philoſophi loquantur, eius ſignificationes enumerat. Proprium igitur diuidit quadripartitò, atque ait, Proprium uel uni ſoli ſpeciei, uel non ſoli ineſt: ſi ſoli, uel in tota, uel non tota intelligitur: ſi item non ſoli, uel toti, uel non toti ſpeciei, uel ſemper, uel non ſemper conuenit. hæcq́; diuiſio eſt. Primò autem Proprium eſt, quod in una ſola ſpecie, & non tota reperitur: ut in homine medicinam facere, uel philoſophi, aut aſtronomi, geometræ'ue, aut alterius cuiuſquam fungi munere. Deinde quod toti ſpeciei, etſi non ſoli conuenit: ut homini bipedem eſſe, omni enim homini conuenit, ut bipes ſit, non tamen ſoli, quoniam id etiam eſt uolucribus attributum. Tum quod toti, ſoliq́;, at non ſemper, ſed aliquando: ut homini in ſenectute caneſcere: ſoli enim, omniq́; conuenit, ſed homo canos in ſenectute tantùm, non ſemper emittit. Poſtremò in quod hæc omnia concurrũt, & conueniunt, quod in ſola, totaq́; ſpecie ſemper intelligitur, ut in homine ridendi facultas, & equo aptum eſſe ad hinniendum, caniq́; ad latrandum. Horum autem unumquodq; re ipſa non eſt, ſed poteſtate: non enim quia homo riſui aptus eſt, & equus hinnitui, ridens eſt, uel hinniens: ſed quia huic ad ridendum, illi ad hinniendum ſuapte eſt natura comparatum. Verè autem, & maximè Proprium eſt, quod ſoli, & toti ſpeciei, ac ſemper conuenit, quare Porphyrius reliquas ſignificationes omittens, omninoq́; communius Proprium accipiens in quatuor diuiſit. Cùm itaq; tres repugnantiæ ſint, ex quibus Propriorum ſignificationes accipiuntur, iis inter ſe coniugatis multæ relationes fiunt, ex quibus nonnullæ cõſtant, nonnullæ nõ conſtant, ut picturæ exemplo clarum fecimus. Cùm diceret, Innatum: poteſtatem, & facultatem hominibus inſitam ſignificauit, non actionem. Nam etſi ſemper non ridemus, apti tamen ad ridendum ſumus: quippe qui ridendi facultatẽ ſic habeamus, ut ridere ſemper poſsimus, cùm præſertim ſemper aptum animum habeamus ad riſum, non tamen ſemper rideamus. Aliud quippe eſt ridere, aliud ad ridẽdum aptum eſſe: atque aliud eſt hinnire, & aliud habere hinniendi facultatem.

DE ACCIDENTE.

ACCIDENS eſt, quod adeſt, & abeſt ſine interitu rei, ad quam annititur. Quod bipartitò diſtribuitur: alterum, quod ſeparari poteſt: alterum, quod non poteſt. Ac dormire quidem ſeparari poteſt, nigror uerò à coruo, & Aethiope auelli non poteſt: tamen & coruus albus, & Aethiops intelligi poteſt, ſi colorem mutet, resq́ſ ſubiecta incolumis remanebit.

IN iis, quæ ad doctrinam pertinent. Accidens extremum locum nactum eſt, ac propterea reſtat, ut de illo diſſeramus. In quo primùm non ignorandum puto, Porphyrium ſolitam regulam non ſeruaſſe: nam in reliquis uocibus explanandis cùm prius illarum ſignificationes enumeraſſet, de qua poſtea philoſophis habenda ratio eſſet, indicabat: qua ſanè regula nunc uſus non eſt, ſed multis accidentis ſignificationibus ſibi propoſitis, cœpit de prima primùm diſputare: id quod iure optimo factum puto: habebat enim exploratum, nullam Accidentis ſignificationem eſſe, de qua philoſophi non diſſererent. Accidens autem adeſſe, & abeſſe ſine interitu eius rei, in qua ſitum eſt, rationibus firmabo. Accidentia corpora non ſunt, nam ſi corpora eſſent, corporibus adiuncta augerent, & ablata minuerent: ſed neque addita amplificant, neque remota diminuunt: corpora igitur non ſunt. Præterea ſi corpora eſſent, unus locus multorum corporum eſſet capax, quod fieri nequit: nam in pomo eſt dulcedo, ac color, odoriſq́; ſuauitas, quæ ſi corpora eſſent, unum non haberent locum, fieri id quidem nullo modo poſſet, cùm corpus aliud corpus non penetret. Ea inſuper accidentia, quæ à ſubiecta re ſegregari poſſunt, ſeu adueniant, ſeu recedant, ſubiecta illa res incolumis manet: ſiquidem ſedere, ſtare refrigerari, calefieri adſunt, abſuntq́;, neque rem, in qua inhærent, interimunt. Quid? eam'ne ob cauſam ea, quæ auelli à ſubiecta re non queunt, ut naſi aduncitas, & nigror, qui in coruo eſt, abſunt ſine rei, in qua ſita ſunt interitu? Hæc nos ſeparari cogitatione dicimus poſſe, actione autem, & re ipſa non poſſe: nam ſi uel repandus, uel directus, aut retortus naſus intelligatur, naſus nihilominus erit. Ex accidentis præterea definitione dubitationes quædam oriuntur: aiunt enim nonnulli (ut paulò antè nos quoque dicebamus) traditam definitionem, adeſſe inquam, & abeſſe, omnibus accidentibus non conuenire, ſed iis tantùm, quæ ſeparantur: nigrorem enim in Aethiope, & coruo ſine ſubiectæ rei interitu & adeſſe, & abeſſe non poſſe. Quibus reſpondemus, etſi reipſa non poſsit abeſſe, cogitatione tamen Aethiops, & coruus erunt albi. At animal ab homine ne cogitatiõe quidẽ ſeparari poterit: quoniam niſi unà hominẽ, animalq́; intelligemus,

hominem ipſum perdemus. Coruum uerò Aethiopemq́; nigros non eſſe cogitantes, nihil ab eorum natura detrahemus: auferat quiſpiam, auellatq́; à coruo plumas, nihilo tamen minus coruus erit: Aethiopem etiam ſiquis cogitarit album eſſe, hominem tamen remanſurum nemo ignorat. Ea igitur, quæ nequeunt ſeparari, etſi actu non abſint, cogitatione tamen abeſſe poſſunt. In hac etiam defitutione quærunt, quòmodo adeſſe, & abeſſe quippiam præter ſubiectę rei interitum dicatur, cùm febris animal, quod in febrim incidit, corrumpat. Iis ita reſpondemus, non modo de febri dubitandum eſſe, ſed etiam de frigore immoderato, ſiccitateq́; uehementi, & humore: quoniam hæc omnia cùm adueniunt, animali interitum afferunt. Dicimus igitur in iis ſic fieri, quemadmodum in fidibus contentis, & incontentis concentus ſeruari poteſt, neq; ſubiecta res corrumpitur: nam ſi calor, aut frigus immoderatum, aut aliud quicquam ſuperuacaneum aduenerit, corporis conuenientiam, concinnitatemq́; in animali peruertet, ſubiecta tamen res, corpus uidelicet ſeruabitur: quòd uerò calefiat, & refrigeretur, non omnino animal, ſed corpus eſt: ex contrariis enim calore, frigore, ſiccitate, atque humore eſt concretum. Etenim (ut in prima pagina libri, qui eſt de humana natura, ſcriptum his ipſis uerbis reliquit Hippocrates, uir & arte, & facundia inſignis) ſi homo una re conſtaret, nullo unquam morbi genere afficeretur: nam ſi unum exiſteret, nihil quicquam eſſet, quod ei dolorem inureret: ſiq; affligtaretur, una quoq; neceſſariò eſſet adhibenda curatio. Nunc uerò cùm altera qualitatum alteri dominetur, & inter ſe magno amicitiæ uinculo teneantur, non modò ex prædictis qualitatibus inter ſe contrariis animalis corpus componetur, ſed ex ſubiecto etiam quodam triplici modo dimenſo ex propria ratione corporis, quod qualitate careat, in quo qualitas omnis conſiſtat. At nulla qualitas proprio ſubiecto repugnat, neq; id in quo eſt, corrumpit: nam ſi ſubiectum corrumperet, ſeipſam unà perimeret. Interempto autem eo, in quo uitam habet, ipſa quoque interimatur eſt omnino neceſſe, cùm per ſeſe cohærere non poſsit. Verùm nihil eſt, quod ſibimet interitum parare ſtudeat, qualitas enim qualitati, & non corpori ſubiecto repugnat: quare fieri non poteſt, ut febris, aut alia quæuis qualitas rem, cui inhæret, corrumpat: ſiquidem omnia in rerum natura eſſe deſideraut. Cùm igitur ex iis contrariis, ex quibus corpus componitur, aliquod paulò nimium redundarit, totius corporis concinnitudinem peruertet. Nam cùm materiam quandam qualitas expetat, ut incolumis in ea ſeruetur, repugnãtem, ſibiq; aduerſam perdit, ut ea expulſa, & eiecta illius occupet locum. Nam uelut de iis, qui de communi agro certant inter ſe, cùm feſtinat unuſquiſq; aduerſarium reiicere, ipſeq́; in agri poſſeſsionem ponere: ſic de calore, frigoreq́; de eadem ſubiecta re inter ſe pugnantibus dicere poſſumus: nam materia in qua neutrum horum ſuperarit, in moderatione erit: at ſi alterũ excedat, contrarium à potentiori corruptũ propulſabitur: ſubiecta tamen res nihil patietur, quin etiam à ſuperante qualitate non perdetur. Concinnitas igitur, uel earum qualitatum, quæ in corpore ſunt, temperatio à febri peruertetur, ipſumq́; corpus, ueluti qualitatibus ipſis ſubiectum eſſet, non perimetur. Poſſet quiſpiam nobis ex dictis obiicere, corpus abſolutè febri non eſſe ſubiectum, ſed animantis corpus, quod eſt ex illis qualitatibus compactum, quod cùm febris; nimiumúe frigus, aut aliud huiuſmodi acceſſerit, corrumpetur. Nũ enim quiuis immoderatus calor febris eſt, ut manifeſtò apparet in ferro calefacto, & igni: ſed calor, qui animantibus inhæret: quorum corpus ſi perdatur, febris quoq; utpote quæ in illo ſita ſit, interimetur. Hunc nodum nullo negotio nos diſſoluemus. Mutatio quadripartitò diſtribuitur: unum enim genus ad ſubſtantiam pertinet, alterum quantitatis eſt, tertium in qualitate uerſatur, quartum omnia locorum ſpatia comprehendit. Et primum quidem genus conſtituit generatio ſimplex, & interitus: eſt enim Generatio ex eo, quod non eſt, in id, quod eſt, mutatio: Interitus autem ex eo, quod eſt, ad id, quod non eſt. Secũdum accretio, & diminutio: Tertium alteratio, candor item, & tepor, & quæcunq; mutationes ex aliis qualitatibus fiunt. Quartum ea, quam Græci φορὰν uocant, nos lationem, loci inquam mutationem appellamus. Si igitur ortus à ſubſtantia procedens id, quod non eſt, efficit, ut ſit: interitus uerò contrà, id quod eſt, nullum facit, & mutatio in ſubſtantia fit, ſi febris ſubiectum corpus interimet, non erit accidens, ſed ſubſtantiæ mutatio, quam interitum uocãt: quoniam Ortus, & Interitus immutationes non ſunt, etſi abſq; immutatione fieri nõ queant. Cùm igitur calor, & frigus ex tam temperata immutatione fiant, ut concinnitatem animalis non corrumpant, ea qualitas accidens erit, quæ ſine interitu eius rei, cui inhæret, abeſſe poterit: cùm uerò ex uehementiori ita, ut conformationis, ac moderationis temperationem imminuent, mutatio non dicenda erit alteratio, nec temeraria, & fortuita, ſed ſubſtantiæ ipſius commutatio. Omnis igitur febris non corrumpit, ſed intemperata, quæ accidens non eſt illa quidem, ſed mutatio eius, quod nihil eſt, in id, quod ſit. Eſt præterea quiddam, quod dubium, controuerſumq́; eſt, ac plenum diſſenſionis inter multos: aiunt enim, caluitium id, quod ei ſubiectum eſt, crines dico, corrumpere. Qua in re explicanda ſciendum tantummodo eſt, caluitio non capillos ſubiici, ſed caput, cui ab eo interitus non affertur.

A` coruo, & Aethiope. Hæc non niſi magna de cauſa dicta ſunt, quoniam multa nigra poſſunt dealbari. Sed quod ipſe dixit auelli non poſſe, cogitatione ſeparari poterit. Verùm maximè propriè differentiæ ne cogitatione quidem amouentur, cùm hominem remoto rationis participe intelligere nõ poſsimus: homo enim non eſſet: ac neq; etiã angelus eſſet, ſi immortale ab eo auferretur: angelus enim eſſe deſineret.

Hac quoq; definitione illud explicant: Accidẽs eſt, quod in eadem re & eſſe, & nõ eſſe poteſt: tum, quod nec genus eſt, nec differẽtia, nec ſpecies, nec proprium,

& ſemper in re ſubiecta annititur. Explicatis his, de quibus diſſerere mihi propoſitum erat, quid uidelicet Genus eſſet, quid Differentia, quid Species, Propriumq́ꝫ, & Accidens: quid commune, quidq́ꝫ proprium habeant inter ſe, deinceps perſequar.

TRADIT Accidentis deſcriptionem longè diligentius, quàm prius: multò enim melius hæc uerba, in eadem re & eſſe, & non eſſe, accidentibus, quæ ſeparari non poſſunt, conueniunt, quàm adeſſe, & abeſſe.

Tum, quod nec genus eſt. Hæc Accidentis deſcriptio unicuiq; reliquarũ quatuor uocum per aliarũ amotionem attribui etiam poterat. Eſt enim Accidens, inquit, quod neq; genus eſt, neq; ſpecies, neq; differentia, neq; proprium, ſemperq́; in ſubiecta re inhæret. Idem porrò de cæteris diceret quiſpiam, ac primùm de genere, Genus eſt, quod nec differentia eſt, nec proprium, nec accidens, ac ſemper in ſubiecta re cõſiſtit: & de omnibus eodem modo, quas ita non definiuit, quoniam uoces, quæ deinceps ſequebantur, nondum cognitæ nobis erant. Nunc uerò omnibus declaratis, hanc meritò Accidenti tribuit definitionem. Præterea cùm aliarum uocum ademptio non ſolùm Accidens uſerat, ſed etiam hippocentaurum, & chimæram res, quæ nunquam eſſe potuerunt, addidit, Et ſemper in ſubiecta re inhæret: quibus uerbis accidens ab iis, quæ nunquam omnino fuerunt, quæ non conſtant, ſed ſola uix cogitatione comprehenduntur, ſeparauit. Sed quoniam quid accidens eſſet nondum explanauerat, deſcriptionem à negatione ſumpſit hoc modo, Accidens eſt, quod nec genus eſt, nec differentia, nec ſpecies, nec proprium: explicat poſtea quid ſit, & ait, Et ſemper in re ſubiecta inhæret.

DE COMMVNITATIBVS ET DIFFERENTIIS QVINQVE VOCVM.

COMMVNE quidem omnium eſt, quemadmodum iam dixi, ut de multis dicantur: ſed ita, ut Genus ac Differentia de formis, & indiuiduis, quæ eis ſubiecta ſunt, enuncientur: Species uerò de ſuis indiuiduis: Proprium de ſpecie, cuius propriũ ſit, cùm etiam de indiuiduis, quæ ſpeciei ſint tributa: Accidens & de formis, & de indiuiduis: Animal enim de equo, & boue, quæ ſpecies ſunt, & de hoc equo, & de hoc boue, quæ ſunt indiuidua, dicitur. Expers uerò rationis & de equo, & boue, & de ſingulis dicitur: ſed Species, ut homo, de ſingulis tantum hominibus: Proprium autem de Specie, cuius eſt proprium, necnon de indiuiduis ſub eadem ſpecie conſtitutis, uelut habilitas ridendi & de homine, & de ſingulis hominibus enunciatur: nigror uerò de ſpecie coruorum, & de coruis ſingulis dicitur, propterea quòd accidens eſt, quod auelli non poteſt: Moueri quoq́ꝫ, quod ſeparabile accidens eſt, de homine, deq́ꝫ equo dicitur, ac de indiuiduis quidem primo, tum etiam de his, à quibus indiuidua continentur.

IN omnibus rebus tria conſiderantur, Subſtantia, Conuenientia, & Diſcrimen. Subſtantiam nunc uoco, non illam quidem, quę accidentibus contraria eſt, ſed uniuſcuiuſq; rei naturam, ex quo conficitur, ut res omnes eſſe dicantur. Habent præterea Cõuenientiam, quoniam cùm unum omnium ſit principium, cuncta communitatem quandam inter ſe habeant neceſſe eſt: inſuper quoniam ea, quæ ſunt, multa reperiuntur eſſe, Diſcrimen quoddam habere coguntur, ut multa ſint: nam ubi multitudo, ibi & diſcrimen eſt. In propoſitis igitur quinq; uocibus uim, & naturam, communitatemq́;, ac differentiam quæramus oportet. Verùm de Subſtantia ſuprà dixit: uocum enim uim & naturam nobis aperuit: nunc de Communitatibus & Differentiis diſſerit ita, ut in quibus differant, & conueniant, perquiſitius conſcribat. Adoleſcentes uerò, qui maiore ad uirtutem indole, quàm cæteri ſunt, quiq́; excellenti ingenio doctrinæ ſeſe dediderunt, poſſunt hæc omnia ex prędictis edoceri. Sed quoniam liber hic ad imitationem alicuius ex ueteribus ſcriptus eſt, aut certè exceptus, ut ex plurimis, iiſq́; antiquis præceptis, quæ in eo traduntur, cognoſci poteſt: ipſemet philoſophus ea, quæ ſequuntur, ex iis quæ antè dicta ſunt, elegit. Prius autem quæ omnium communia ſunt, teferat, ut unamquanque uocem cæteris quatuor comparet. Tum in quibus communicent, in quibusq́; diſcordent, oſtendit. Sciendum autem eſt, ſi ex differentiis quoquo modo ſubiectis diſcere uoluerimus, quot complexionum inter ſe diſcrimina conficiantur, hac ratione, & uia utendum nobis eſſe. Numerus uno minor ſumendus eſt, deinde cum eo multiplicandus, qui principio fuerat conſtitutus: tum numerus ille, qui factus ſit, bifariam diuidendus erit, dicendumq́;, tot oriri complexiones, ut hac exempli appoſitione clarum fit. Voces, quæ in præſentia inter ſe comparantur, quinq; ſunt: accipito numerum uno minorem, quatuor ſcilicet, componitoq́; quater quinq;, & uiginti fient: dimidia horum pars eſt decem

eſt decem,totidemq́; inter ſe è quinq; uocibus coniugationes fieri dices. Accipimus autem numerum uno minorem,quoniam aliud alii,non idem eidem comparatur:multiplicamus poſtea numeros inter ſe, quandoquidem mutuam uocum comparationem,deinde differentiam inueſtigamus, confecti demum numeri dimidium capimus,quoniam ex multiplicato bis eadem mutuo comparari ſequeretur:unaquęque earum quinq; ceteris quatuor comparata multiplicatur:exempli cauſa, Genus reliquis quatuor,Species generi & reliquis tribus,& bis cuiuſq; uocis eueniet comparatio, & Differentia, quo numero confecto dimidium ſumimus.



Ac de indiuiduis quidem primò,tum etiam de his,à quibus indiuidua continentur. Præceptum maxima refertum utilitate in iis Porphyrius tradit:dicit enim genera,& differentias de formis,deq́; indiuiduis dici:Animal quidem & homo dicitur,& Socrates:ſed ita,ut primùm de formis, ſecundò autem loco propter formas de indiuiduis:propterea quòd ſi homo animal eſt,Socrates itidem animal: cumq́; homo rationis particeps ſit,Socrates quoq; rationem habebit. Propria, & Accidentia de formis & indiuiduis dicuntur:dicitur enim riſui aptus homo,& Socrates:albus homo, & Socrates. Sed primum de indiuiduis, ſecundò de formis:nō enim propterea quòd uniuerſalis homo ad ridendum aptus dicitur,uel albus,omnes ſingillatim riſui aptos,albos'ue dicemus:uniuerſus enim homo corporis expers eſt, ueq; facultatis ridendi particeps eſt:uerum ex eo,quòd ſinguli homines ad riſum apti,uel albi ſint. Vniuerſa autem de iis, quæ in multis,aut poſt multa ſunt,dicuntur.

DE GENERIS ET DIFFERENTIAE COMMVNITATE.

GENERI cum Differentia communis eſt formarum comprehenſio. Differentia enim etſi non omnes,quas Genus, formas tamen cõtinet. nam rationis particeps quanquã non complectitur ea,quę ratione uacant,ut animal:hominem tamẽ & angelum,qui ſpecies ſunt,continet.

COMPARATIS inter ſe quinq; uocibus, communitatibusq́;, ac differentiis illarum explicatis, unamquanq; ſeparatim aſſumere uult, & cum reliquis quatuor conferre,atq; indicare, qua'nam ratione una uox cum multis conueniat,uel differat.

Formarum comprehenſio. Huic collationem exorditur, ac primum confert Genus cum Differentia,& quid hæc commune habeant,quidq́; differens diligenter declarat.

Quęcunq; de Genere,quia genus ſit,dicuntur,ea quoque de iis formis,quæ illi ſubiiciuntur,dicentur: quæq; de Differentia, quia differentia ſit, omnia etiam de illa ſpecie,quam efficit differentia,dicuntur. Quoniã enim animal genus eſt,ſubſtantia,quodq; animatũ eſt,& ſenſus particeps de eo,quaſi genere dicentur: quæ etiam de formis,quæ animali ſubiectę ſunt,ad indiuidua uſq; enunciabuntur. Ac quia particeps rationis differentia eſt,de eo,ut differẽtia,ratione utens efferetur: idq; quod ratione utitur non ſolùm de eo,quod particeps rationis eſt,ſed de formis etiam,quæ à rationis participe continentur.

QVAE dicuntur de animali,ea etiam de formis animalis, atq; indiuiduis enunciantur:eodem quoq; modo fit in differentia. An propterea quòd genus de animali dicitur(dicimus enim animal genus eſſe) de formis etiam, & indiuiduis dicetur?Id ſi ita eſt,neceſsitas cogit,hominem, & Socratem genus dicere, quod falſum eſt:cumq́; genus duarum ſyllabarũ uox ſit,ita & hominem dicere neceſſe erit. Dicemus igitur Porphyrium ea de cauſa generatim, Quia genus ſit, adiecisse:hoc eſt:quia res ſit,non autem quia relationem habeat:genus enim,duabusq́; è ſyllabis cõſtans, & huius generis permulta animalis relationem declarant. Quæcũq; igitur de animali,quia animal ſit, (hoc enim ipſum ut genus dici patet) eadẽ ſemper de formis, indiuiduisq; dicuntur. Genus quidem de animali,non quia animal ſit,ſed quia relationem declaret,enunciatur. Animal non modò hominis,equi,& reliquorum genus appellatur, uerùm & color genus candoris eſt,& nigroris,necnon omnium reliquorum:quod in aliis quoq; ſummis generibus haud ſecus inuenietur. Quò ſit,ut genus de animali,non ut animali,ſed quod affectionem quandam eorum,quę ſub ipſo ſunt, accipiat,dicatur,quod in cauſa eſt,ut de formis,deq́; indiuiduis non dicatur. Habere quoq; eandem de Differentia rationem debemus.quæcunq; enim de differentia tanquam differentia, & non relationem indicantia,omnia etiam de formis omnibus quæ differentiæ ſubiectæ ſunt,deq́; indiuiduis dicuntur.

Illud pręterea cõmune illorũ eſt,quòd Genere,Differẽtiisq; ſublatis,ea,quę illis ſubiecta ſunt,nuſquã manẽt:ut enim ſi animal tolleretur,nec equus,nec homo ſupereſſet:ita ſi nihil rationis particeps ſit, animal ratiõe utẽs cõſtare nõ poterit.

DVAE regulæ eorum ſunt, quæ priora cenſentur, tollere, & non tolli:inferreq́;, & non inferri, quas nunc Generi,Differentiæq́; communes aſcribit.

DE GENERIS, ET DIFFERENTIAE DISCRIMINE.

PROPRIVM generis eſt, de pluribus dici, quàm differentia, ſpecies, proprium, & accidens dicantur: nam animal de homine, equo, aue, & angue dicitur: quadrupes uerò de iis tantùm, quæ quatuor habent pedes: homoq́ de ſolis indiuiduis: quod ad hinniendum aptum eſt, de ſolo equo, & ſingulis, eodemq́ modo accidens de paucioribus enunciatur.

CVM expoſuerit, quam ſimilitudinem inter ſe habeant Genus & Differentia, ad declarandum nunc corũ diſcrimen aggreditur. Hic dupliciter, & bipartito ſumere Differẽtias oportet, (nam bifariam capi, ac conſiderari Differentias diximus) uel ut efficiunt, & abſoluunt ſpeciem, uel ut genus in partes ſecant.

Eas ſumere differentias oportet, quibus genus diducitur in partes, non quæ generis naturam perficiunt, ſed quæ diſpertiunt.

SVMENDAE, inquit, ſunt differentiæ, quibus genera in partes diuiduntur, non quæ generis uim, naturamq́; complent: quandoquidem illę generum, non quia genera ſint, ſed quatenus ſpecies, erunt differentię. Oportet, inquam, differẽtias, quæ diuidunt accipere, quę generis ſunt: animal enim magis, quàm hæ patet: cùm tamen minus ſerpat, quàm differentiæ, quæ perficiunt. Nam quod ſuprà dixit, accidens de paucioribus dici, abſurdum uidetur, cùm præſertim accidens de pluribus, quàm genus dici uideatur: id enim, quod nigrum eſt, (ut hoc exemplo utar) non tantùm animantibus, uerùm etiam inanimatis cõuenit. Quánam igitur ratione de paucioribus? Hunc nodum ita diſſoluemus: Siquid ſit ſub eodem genere conſtitutum, ut accidens in animalibus, anguſtius ſerpet, quàm animal: id nanq́;, quod nigrum eſt, omnibus animalibus non eſt attributum, & quod in plantis eſt, planta minus eſt.

Genus item ui ſua Differentiam continet: quoniam animalium aliud rationis particeps, expers aliud. Differentiæ autem non continent Genera. Deinde genera priora ſunt differentiis, quæ ſunt eis ſubiectæ: quocirca ſi tollantur, differentias ſecum adiment. At illæ ſublatæ genera non tollunt: ſublato enim animali, rationis compos, & expers auferuntur: At genera à differentiis non tolluntur: nam etſi tollerentur omnes, natura tamen animata, ſentiens, quod animal eſt, intelligeretur. Genus præterea cùm rei natura quæritur, Differentia, cùm qualitas, reſpondetur, ut ſupra dixi.

DIFFERENTIAS in generibus facultate priores eſſe, quàm ſpecies, quæ ſub illis ſunt, ſuprà diximus Peripateticos imitati.

Præterea genus in unaquaq́ ſpecie unum eſt, ut animal in homine, differentiæ uerò multæ. ut quod rationis compos, mortiq́ obnoxium, & mentis particeps eſt. quibus homo diſtat à cæteris animantibus.

HAEC eſt altera Generis, & Differentiæ uarietas: Genus enim in unaquaq; ſpecie unum eſt, Differentiæ autem multæ.

Demum genus materiæ perſimile eſt, formæ autem differentia.

GENVS quod in multis eſt, præſertim naturale, materiæ ſimile eſt, & Differentia formæ.

Sed cùm multa ſint, quæ Generis, & Differentiæ propria, ac communia ſunt: hæc tamen dixiſſe ſufficiat.

ALIA his eſſe propria ac communia dicit, tamẽ ait hæc eſſe ſatis multa: commmunis enim iis eſt ſubſtantiæ impartitio, quoniam ut Genus conficit ſubſtantiam, ita etiam Differẽtia. Commune præterea habent, ut eadem ratione, & definitione dicantur: nam ut Genus de iis, quæ ſub ſe ſunt, una ratione, ita etiam Differentia dicitur. Eorum item proprium eſt, ut Genus, uelut animal, cum alio genere ad aliquid efficiendum, non cõiungatur: Differentiæ contrà, ut connectantur, & aliquid efficiant: nam rationis particeps cum mortali, & mentis ac ſcientiæ capaci ſi coniungatur, hominem efficiet.

DE GENERIS ET SPECIEI COMMVNITATE.

GENVS, & Species commune habent, ut de multis dicantur, ut iam diximus. Speciem ſumi uolo, quæ ſolùm ſpecies eſt, non etiam genus, ut ſpecies & genus idem exiſtat. Horum quoque commune eſt, quod

priora

priora ſunt iis, de quibus dicuntur, & quòd utrunque eſt quiddam totum.

CVM Genus cum Differentia comparatit, dixeritq́; quid commune habeant, quid proprium, ipſum Genus hoc loco cum Specie confert, quidq́; cum ſpecie commune habeat, palam facit.

Quæ ſolum ſpecies eſt. Hęc uerba maxima ratione adductus philoſophus adiunxit, ne infimam, quę de multis non dicitur, aut eam, quæ Subalterna dicitur, tanquam ſubalternam acciperemus: ea enim eſt & ſpecies, & genus eorum, quæ inferiora ſunt. Et genus etiam inuenietur: quod licet ſubalternum ſit, ut ſpecies, tamen, nõ ut genus ſumitur, ut generis, & ſpeciei, & non utrorumq; generum fiat comparatio. Eam deinde communitatem, ut de multis dicantur, ob eam cauſam præpoſuit, ut hæc illis, de quibus dicuntur, priora eſſe ſignificaret.

DE GENERIS ET SPECIEI DIFFERENTIA.

HOC quidem differunt inter ſe, quòd ſpecies à genere comprehenduntur, ipſæ uerò ſpecies genera non complectuntur: ſiquidem genus de pluribus quàm ſpecies dicitur. Genera quoque præponenda ſunt, quæ differentiis formarum procreatricibus informata ſpecies perficiunt. Quo fit, ut genera naturæ ordine priora ſint, auferantq́; neque auferantur: nam ſi genus ſit, ſpecies etiam omnino erit: at ſi genus non ſit, ſpecies nuſquam omnino manebit. Genera prætereà una ratione de formis, quæ ſunt eis ſubiectæ, dicuntur: at formæ de generibus non dicuntur. Cæterum genera formas ſuperant ipſarum formarum complexione: formæ uerò genera, quòd proprias differentias complectuntur. Species item nunquam genus ſummum, & genus nunquam infima ſpecies fiet.

DECLARARE aggreditur, quid differant inter ſe: ac prima quidem differentia clara eſt, & perſpicua: dicit enim neceſſe eſſe, ut genera præponantur: nam animal, ut dictum eſt, tanquam materia prius ponitur: deinde id, quod rationis particeps eſt, & mortale aſſumit, atq; hominem facit. animal quidem genus eſt, & homo ſpecies.

Quo fit, ut genera naturæ ordine priora ſint, auferantq́;, neq; auferantur. Duas regulas tradit, ex quibus diſcerni poſſunt ea, quæ ordine naturæ ſunt priora. Vna hæc eſt: Id quo ſublato aliud tollitur, nec tamen uiciſsim, prius eſt: ut animal ſi tollatur, homo ſimul tollitur: at ſi homo adimatur, animal ſimul non adimetur: igitur ordine naturæ genus eſt prius forma. Altera eſt: Id quod infertur eſt inferente ordine naturæ certè prius: ut cùm homo ſit, animal ſemper erit: ſed ſi animal ſit, nõ neceſſe eſt hominem inferre. Ergo harum ambarum regularum neceſsitate genus prius eſſe naturæ ordine quàm ſpecies cogitur. Si genus ſit, ſpeciem non infert: at ſi ſpecies ſtatuatur, unà genus inferet.

Formæ uerò genera. Genera à formis ſuperantur, quòd formę re ipſa continent differentias, quę uim habent formarum abſoluendarum.

QVID COMMVNE SIT GENERI CVM PROPRIO

GENVS, & Proprium commune habent, ſpecies ut ſequantur: nam ut ſiquid ſit homo, idem animal ſit, ita ſiquid ſit homo, ſtatim ad riſum eſt natum: Genus etiam æquè de formis dicitur, ac proprium de indiuiduis ſuis: homo enim, & bos æque animantes ſunt: & Anytus, & Melitus æquè apti ad ridendum. Illud etiam commune eſt, ut genus una ratione de ſuis formis, & proprium de iis, quorum proprium ſit, dicatur.

GENVS cum Specie comparauit, id ipſum nunc cum Proprio confert. Aliquid porrò ſequi dicitur, cùm maius neceſſariò ſequitur id, quod minus eſt: ut animal hominẽ: nam ſi homo eſt, animal quoq; eſt: Vel cùm æquale aliud æquale conſequitur, ut hominem ridendi facultas. Si homo ſit, ridendi etiam facultas erit.

3 Illud etiam commune eſt. Id cauſæ fuit, ut Proprium in iis, quæ ſubſtantiã participant, & iis quę ſubſtantiæ

ſtantiæ aduentitia ſunt, medium habere locum diximus: propter tamen hanc cognationem ad ea quæ ſubſtantiæ ſunt, propius accedit.

DE GENERIS ET PROPRII DIFFERENTIA.

INTER Genus, & Proprium intereſt, quòd genus prius eſt, poſterius proprium: primùm enim animal ſit, differentiis deinde, & propriis diuidatur, oportet. Item genus de multis formis, proprium de una ſola, cuius proprium eſt, dicitur. Proprium prǽterea cùm de eo, cuius proprium eſt, dicitur, reciprocatur: Genus uerò de nullo uiciſsim dicitur: neque enim ſi quid ſit animal, id continuo ſit homo: neque ſi quid animal ſit, continuo ad ridendum aptum ſit: Atqui ſi aliquid ſit homo, mox ad riſum aptum ſit, idq́ uiciſsim retro commeat. Proprium etiam toti ſpeciei, ſoliq́, ac ſemper, cuius eſt proprium, ineſt: at Genus etſi toti, & ſemper, cuius genus ſit, ei tamen ſoli non inerit. Si præterea propria tollantur, non una auferent genera: at generibus ſublatis formæ, quarum ſunt propria, unà tolluntur. Ita fit, ut ſi ſpecies, quarum ſunt propria, euertantur, ipſa quoque propria ſimul corruant.

IN quibus conueniant cum referauerit, in quibus diſcordent deinceps declarabit. Prius dicitur non tempore, ſed natura. Si Propria tollantur, genera non tollentur: at ſi genera deleantur, ſpecies ad nihilum omnes recident: quibus ſublatis, propria nuſquam manent: Generibus itaque ſublatis propria tolluntur: id quod fit, quoniam ſpecies, quarum propria ſunt, ſimul cum generibus adimuntur: homine enim ſublato ridendi habilitas unà perit. Hocq́; iure factum uidetur: nam ſi ablatis formis propria auferuntur, & generibus ſublatis tolluntur & ſpecies, ſi genera adimantur, propria itidem euertentur, & ad mortem impellentur.

DE GENERIS ET ACCIDENTIS CONVENIENTIA.

HOC maxime inter Genus, & Accidens, ut ſupra diximus, conuenit, ut de multis dicãtur: idq́ ſiue in iis accidentibus ſit, quæ ſeparari poſſunt, ſiue quæ non poſſunt. Etenim moueri de multis dicitur, & id quod nigrum eſt, de coruis, Aethiopibusq́, & aliis nonnullis, quę inanimata ſunt.

GENERI cum Accidente unicam tantum communitatem attribuit, ut ſcilicet de multis dicantur. Genus uerò ab Accidente plurimum differt: atq; eorum, quæ maximè diſiuncta ſunt, uelut genus, & accidens, difficile eſt oſtendere communitatem, utpote quæ nulla ferè ſitat differentiam certè facile, quandoquidem quæ plurimum diſtant, in multis ſunt diſsimilia. Ita arduum eſt opus diſcrimen eorum afferre, quæ proxima ſunt, & quaſi coniuncta: contrà uerò cognatio nobis in promptu eſt: ut ſiquis lupi, canis, equi, palumbiq́;, ac columbæ communitatem dicere uoluerit, facile expediet: ſi uerò quid differant explicare tentarit, difficiliter faciet. Nullo item negotio dicet, quid homo à formica differat: at in quibus conueniant, ægrè, & difficulter. Atq; ut ſummatim dicam, quæcunq; multum inter ſe abſint, parum admodum communitatis habent, ac differentiæ plurimum: contrà, quæcunq; parum diſtant, proximaq́; ſibi ipſa ſunt, parum habent diſcrimen, magnamq; conuenientiam.

DE GENERIS ET ACCIDENTIS DIFFERENTIA.

DIFFERT ab Accidente Genus, quòd Genus prius formis ſit, Accidentia uerò formis poſteriora. Nam etſi Accidens id, quod auelli non poteſt, ſtatuit: id tamen cui inhæret, accidente prius eſt. Quæ præterea Genus participant, æquam illius partem ſumunt: quæ accidens, non item. Accidentium enim communio contentionem, & remiſsionem capit: at Generum communio id nequaquam fert: Deinde Accidentia in indiuiduis primò inſident: Genera, & ſpecies priora ſunt indiuiduis ſubſtãtiis ordine naturæ. Item Genera de iis, quæ eis ſubiecta ſunt, dicuntur in quęſtione, qua natura: Accidentia autem, qua qualitas, aut

cuiuſuis

cuiuſuis rei modus inueſtigatur: qualis enim Aethiops ſit interrogati, nigrum eſſe reſpondebimus: aut quomodo Socrates ſit affectus, ægrotare eum, aut benè ualere dicemus.

GENVS quidem, & Accidens inter ſe diſtant plurimum, & parua nimirum alteri cum altero ſimilitudo intercedit: diſcrimen uel maximum: quod effecit, ut Porphyrius unam tantùm illorum communitatem, uarietatesq; complures exponat.

Contentionem & remiſsionem capit. Homo enim, equusq;, atq; aliæ præterea ſpecies uno, & eodem modo animalis ſunt participes, æquè enim animantes ſunt: at corpora non pari ratione candorem, uel nigrorem participant: quicquam enim magis, aut minus album dicitur.

Iam quid Genus à reliquis quatuor differat, expoſuimus: cæteræ autē omnes poterunt etiam à quatuor differre, quare cum quinq; ſint, & unaquæque à cęteris quatuor differat, efficitur, ut quater quinq; ducta, uiginti differentias omnes conficiant. Sed alia nunc ineunda eſt ratio, quoniam ſemper deinceps enumerantur, & ex duobus una differentia relinquitur, quod ea iam ſumpta ſit, ex tribus duæ, ex quatuor tres, ex quinq; quatuor differentiæ colliguntur: nam ex quatuor, tribus, duabus, una, decem fiunt. Genus enim quid à differentia, ſpecie, proprio, atque accidenti differat, iam dictum eſt, ex hoc itaque quatuor differentiæ naſcuntur. Quid autem differentia à genere diſtaret, tūc explicauimus, cùm quid genus ab ea diſtaret, exprimeremus. Quomodo nunc à ſpecie, proprio, atq; accidente diſcrepet, dicendum reſtat, ex quo differentiæ tres oriuntur. Quid præterea ſpecies à differentia differat, expoſui, cùm quid differentia à ſpecie intereſſet, exponerem. Quid item ſpecies à genere differret, dixi, cùm quid genus à ſpecie differret, dicerem. Reliquum eſt, ut aperiamus, quid inter ſpeciem, proprium, & accidens interſit, ex quo duæ naſcuntur. Deinde quid proprium ab accidente differat, nobis explicandum ſumemus: quo enim pacto à ſpecie, differentia, & genere diſtaret, ſupra dixi, cùm mutuum illorum diſcrimen explanarem. Cùm igitur quatuor generis, differentię tria, ſpeciei duo diſcrimina, atq; unum proprij ab accidente in unum conferātur, ex omnibus decem fient: quorum quidem quatuor, quibus genus ab aliis diſtinguebatur, iam demonſtrauimus.

HOC loco Porphyrius demonſtrare uult, quot relationes fiant ex mutua uocum comparatione. Relationes inquit fiunt, non ut ſiquis uiginti accipiat, propterea quòd unaquæq; uox bis reliquis comparetur: ſed uiam quandam & rationem docet, de qua feci ſupra mentionem: qua quidem uia, quot comparationes ex mutua uocum propoſitarum collatione naſcantur, reperiemus. Ait enim, id quod nos quoq; paulo ante dicebamus, debere nos propoſitum uocum numerum per alium uno minorem multiplicare, numeriq; effecti dimidiam partem ſumere, quod tot relationes oriantur. Si, uerbi cauſa, quinq; per numerum uno minorem, quatuor uidelicet, multiplicemus, uiginti reddentur. id ſi in bina media diuidas, eorum alterum erit decem, & tot erunt huiuſcemodi quinq; uocum inter ſeſe relationes. Quid uerò cauſæ ſit, cur hoc modo faciamus, in promptu eſt ratio: una enim quæq; uox reliquis comparetur eſt omnino neceſſe: ac propterea quinquies quater ducimus, & uiginti omnes relationes fiunt. Sed quoniam comparationes bis fiunt, dimidium tantummodo ſumimus: quandoquidem ſi genus cæteris comparatur, cæteras quoq; cum differentia conferri perſpicuum eſt: ſiq; differentiam reliquis, genus ad differentiā bis accipitur: de reliquis eadem eſt habenda ratio. Alter modus tradi ſolet, ex quo, quot relationes ex mutua cōparatione terminorum propoſitorū oriantur, cognoſcimus. Si aliqui termini ſint, aliiq; ad illos addantur, ex unoquoq; terminorū totidē fient relationes: uerbi gratia, Quinq; ſint propoſiti termini, primi non erit relatio: ſi alter apponatur, una oritur, quādoquidē terminus propoſitus unus erat: ſi alius adiungatur, duæ, quot ſcilicet propoſiti termini fuerant: omnes igitur relationes tres fiūt. Si alius terminus iis accedat, relationes tres emanant, omnesq; ſex omnino reddūtur. addito pręterea illis termino, quatuor relationes naſcuntur: quare quinq; terminorum relationes decē fiunt. Id quoq; probatur hoc modo. Vnaquæq; ex quinq; uocibus cæteris quatuor comparanda eſt genus itaque cæteris comparatum quatuor relationes efficiet: Differentia uerò generi comparabatur, cùm ei compararetur genus, quod idem eſt, atque ſi generi compararetur differentia: at cæteris tribus comparata treis relationes faciet, fiunt itaque ſeptem. Species præterea generi, differentiæq; comparata eſt, quando ei genus, differentiaq; comparabantur: reliquis itaq; duabus comparata, duas

relationes creat, ex quo nouem redduntur. Proprium deinde generi, differentiæq; ac ſpeciei comparatum fuit, quando ea ipſi comparabantur, accidentiq; comparatum facit unam relationem, quo fit, ut decem omnino fiant. Accidens nihil habet qui cum cõferatur: ſed ipſum cæteris comparatum fuit, cùm omnes cum eo conferrentur. Omnes ergo relationes quatuor, treis, duas, unam oriri iam conſtat: generis quatuor, differentiæ tres, ſpeciei duas, unam proprii, quæ omnes decem ſunt. Proprium amplius generi comparatum non fuit, quandoquidem id factum eſt, cùm genus cum eo coniungeretur. Supereſt ut ante oculos ponamus, quomodo à ſpecie differat: eadem enim relatio eſt generis ad differentiã, quæ differentiæ ad genus: at genus non amplius differentiæ comparatur: ſed cæteræ tantum uoces, quæ eam ſequuntur.

DE SPECIEI, ET DIFFERENTIAE COMMVNITATE, ET DISCRIMINE.

DIFFERENTIAE cum Specie commune eſt, ut æqua ſit utriuſque communio: nam ſinguli homines æquè participes ſunt hominis, & eius, quod rationis particeps eſt. Illud etiã commune eſt, ut nunquam ſeiugentur ab iis, quæ ipſarum partem capiunt: nam Socrates & ſemper homo eſt, & ratione prędituus. Differẽtię propriũ eſt, ut in quęſtione, qua qualis res ſit, quæritur, dicatur. Speciei uerò quę quid ſit: nam etſi homo aliqua affectus qualitate ſumatur, non abſolutè qualis erit, ſed quia differẽtię generi coniunctæ eum talẽ reddiderint. In multis item formis Differentia ſæpe ſpectatur, uelut quadrupes in uariis animãtibus, quę ſpecie differãt: at Species in ſolis indiuiduis, quę ei ſubiecta ſunt, reperitur. Differentia itẽ prior eſt ea Specie, quam ipſa creat: nam ſi id, quod rationis particeps eſt, tollatur, homo ſtatim tolletur: homine uerò ſublato id, quod rationis eſt particeps non adimetur, cum angelus conſtet.

AD communia, propriaq; Differentiæ, ac Speciei, reliquarumq; uocum declaranda aggreditur: atq; ita paruum hoc ſuum opuſculum ad finem perducet. Differentiæ quidem, & Speciei communitates duas, diſcrimina plura nos docet. Primò itaq; Differentiæ proprium eſt, dici in quæſtione qua quale quicque ſit, Speciei uerò in ea, qua quid quicque ſit, quęritur. Ipſe quoq; clarum facit id, quod nos in dubitationem adducere poſſe uidebatur. Nam cùm poſſet quærere quiſpiam, quam ob cauſam Speciem in quæſtione qua rei natura, & differentiã, in qua rei qualitas indagatur, dici aſſeruerit: cùm præſertim homo quadam etiam qualitate ſit affectus, (nam ſi rogamur, quid Socrates ſit, animal eſſe reſpondemus: ſi quale animal, hominem dicimus, ita ut ſpecies quoq; in ea quæſtione dicatur, qua rei qualitas quæritur.) ait,

Non abſolutè qualis erit, ſed quia differentiæ generi coniunctę cum talem reddiderint. Species enim à generibus ſortiuntur, ut in quæſtione qua uis & natura indagatur dicantur: & à differentiis, ut in ea, qua quæritur qualitas. Etenim ſi quis nos roget, quale animal ſit, rationis particeps, mortaleq; reſpondemus. Quibus quidem fit rebus, ut differentiæ ſuapte natura in quæſtione ea dicantur, qua inueſtigatur qualitas, ſpecies autem id à differentiis acquirant.

Præterea Differentia cum alia differentia coniungitur: nam quod eſt rationis particeps, quodq́ mortale ad hominem efficiendum in unum conferuntur. Species uerò cum ſpecie non connectitur, ut alia inde ſpecies fiat: aliquis enim equus cum aſina coniungitur, ut mula inde naſcatur, at ſi omnino equus aſinæ copuletur, ex illa contrectatione nunquam mula gignetur.

ALIVD Differentiæ, & Speciei diſcrimen oſtendit. Differentia, inquit, cum alia differentia coniungitur, ut aliquid aliud efficiatur: ſiquidem quod rationis eſt particeps, quodq́; mortale in naturam hominis concluduntur. Sed uniuerſus homo, atq; uniuerſus equus nihil efficiunt: cùm tamen uniuerſum id, quod rationis particeps eſt, quodq́; mortale, hominem faciant. Nam etſi mulus ex equi & aſinæ contrectatione naſcatur, non tamen ex omnino equo & aſina, ſed ex ſingulis, aut quibuſdam: nam equus aſinam ſi contrectet, mulum gignet: iſq; equus aliquis erit, & aſina item aliqua, non uniuerſa aut equi, aut aſinæ ſpecies. Differentiæ quoq;, quæ ad cuiuſquam ſpeciei ortum conueniunt, nihil quicquam inter ſe patiuntur, quandoquidem ſingulæ naturam ſeruant ſuam, ueluti in homine procreando, ſpecie inquam efficienda, id quod mortale eſt, quodq́; rationis, ac mentis eſt particeps concurrunt, & nihil horum quicquã patitur. At equus & aſina congredientes, mulumq́; generantes, ſuam in mulo naturam ſyncerã non ſeruant: id quod fit, quoniam non ſpecies ſunt, ſed indiuidua. Nam cùm utriuſq; natura corrupta ſit aliquid ab utriſq; diuerſum effectum eſt: quocirca Species cum ſpecie non copulatur,

DE COMMVNITATE, ET DISCRIMINE. PROPRII, ET DIFFERENTIAE.

DIFFERENTIA,& Proprium commune habent,ut ea,à quibus aſſumuntur, æquam illorum partem capiant: rationis enim participes æque rationis cõpotes ſunt:ac ĳ,qui ad riſum nati ſunt, ęque nati ſunt omnes. Hoc etiam commune eſt,ut ſemper,& omnibus conueniant: nam etſi bipes uno ſit claudus pede, ſemper tamẽ id habebit,ad quod natum eſt: idq́ꝫ quod ad ridendum natum eſt,quamuis non rideat ſemper,tamen propterea quod ad id natum eſt, ſemper intelligitur. Proprium autem Differentiæ eſt,ut de multis formis ſępe dicatur:ut rationis particeps in homine,& angelo:& Proprium de una ſola,cuius propriũ ſit. Præterea Differẽtia ex ĳs conſequitur, quorum differentia eſt,ita tamen ut non reciprocetur: at Propriũ uiciſsim retro commeat: ex eo,quod ipſum,& ea,quorum proprium eſt,retro dicantur.

DIFFERENTIAE,& Proprii duas conuenientias tradit:altera eſt, ut ea, à quibus aſſumuntur, æquam illorum,Proprii inquam & Differentiæ partem capiant:altera eſt,ut iis,quibus ipſorum conuenit communicatio,ſemper adſint. Socrates non magis rationis particeps eſt,quàm Plato, neq; magis ad riſum aptus. Etſi enim alium magis uel minus rationis participem alio dicimus:tamen illis uerbis, Magis & Minus,aliud neſcio quid ſignificamus. Ibi enim non quærimus naturam rationis participem,ſed habitum,aut artis perceptionem alicuius,aut ſcientiam: qui ſanè habitus animi affectio,atq; habilitas dici poteſt. Semper enim homo rationis particeps eſt,ſemperq́; aptus ad riſum:non quòd ſemper rideat, ſed quòd ad ridendum natus ſit. Geminas præterea diſsimilitudines declarat. Differentia enim multas ſpecies complectitur,Proprium autem in una tantum cernitur, Differentia item quanquam ex iis conſequens eſt, quorum eſt differentia,eis tamen ex altera parte non reſpondet: nam ſi quid homo ſit, id rationis particeps ſit,at ſi quid rationis compos ſit,non ſemper homo exiſtat. Propriũ autem & ſequitur, & reciprocatur:nam ſi homo eſt,ridendi habilitas eſt,ſi ridendi habilitas eſt,homo itidem eſt.

DE COMMVNITATE, ET DISCRIMINE DIFFERENTIAE, ET ACCIDENTIS.

ET Differentiæ,& Accidenti conuenit,ut in multis dicantur. Cum Accidentibus quoq́ꝫ, quæ ſeparari non queunt, Differentiæ commune eſt,quòd ſemper,& omnibus adſint: nam bipes ſemper & homini,& coruis adeſt,nigror item omnibus coruis: differunt uerò, quòd differentia ita formas continet, ut à formis non contineatur: id enim, quod rationis particeps eſt, & angelum, & hominem comprehendit. Accidentia uerò, quia in multis ſint,quodammodo cõplectuntur:ac quia ea,quibus inhærent, non unum aliquod accidens, ſed multa recipiant, quodammodo continentur. Differentia neq́ꝫ intenditur,neq́ꝫ remittitur: Accidentia intentionem, & remiſsionẽ capiunt. Præterea Differentiæ contrariæ miſceri inter ſe non poſſunt: Accidentia contraria miſcentur quandoq́ꝫ, ac coniunguntur. Differentiæ igitur cùm alĳs uocibus communitates,& proprietates hæ ſint. ſpecies enim quid à genere, & differentia differret,explicauimus,cùm quid genus,ac differentia à cæteris diſcreparent, doceremus. Supereſt quid à proprio & ab accidenti differat,nobis dicendum.

DVAE ſunt Differentiæ atq; Accidentis communitates,una ut de multis dicantur, altera ut formis ſemper adſint. Sed prima & ſeparabilibus accidentibus, & iis etiam, quæ ſeparari non poſſunt, conuenit: ſecunda uerò iis tantum, quæ nequeunt amoueri, Homo enim non ſemper ſedet, at coruus ſemper niger eſt. Sunt autem tria diſcrimina, ſiquidem Differentia ſpecies continet, quandoquidem rationis particeps plura,quàm homo complectitur: Accidentia & continent, & continentur: nam quia nigror non Aethiopi modò, uerùm etiam coruo,cæteriſq́; conuenit, continet: quia uerò Aethiops alia accidentia poteſt recipere,continetur.

Quodammodo. Id adiectum eſt,quoniam nec propriè continet,nec continetur: etenim Socrates non eſt magis rationis particeps alio homine, niſi id ex ſcientiis acquirat, quæ animi habitus, ac proprietates

ſunt: ſed nec etiam ex ſubſtantia, quæ ratione conſtat, ut diximus. Accidens contentionem, & remiſsionem ſuſcipit: ſiquidem Aethiops alio Aethiope, & coruus coruo nigrior inuenitur. Contrariæ differentiæ miſceri, iungiq; inter ſe non poſſunt, quoniam rationis compos, & expers non coniunguntur. Id uerò, quod album eſt, quodq́; nigrum miſta fuſcum faciunt. Ita fit, ut contraria accidentia miſceri inter ſe, coniungiq; poſsint.

DE COMMVNITATE SPECIEI, ET PROPRII.

SPECIEI cum Proprio commune eſt, quòd uiciſsim retro commeant: nam ſiquid homo ſit, ridendi etiam habeat facultatem, ridendi facultatem ſiquid habeat, homo ſit. Sæpe enim dictum eſt, quod aptum eſt ad riſum, intelligendum eſſe ex eo quod ad riſum natum ſit. Hoc etiam commne eſt, ut ijs æqualiter conueniant, à quibus aſſumuntur: nam ſpecies illis, quæ ſe participant, æquè inſunt, ac propria ijs, quorum propria ſunt.

SERMONEM de Differentia inſtitutum cùm perfecerit, ad declarandam Speciem aggreditur, aitq́; dictum iam eſſe quid Species à genere & differentia differat, quidq́; cum illis commune habeat, cùm illa ſpeciei compararentur. Quomodo itaq; Species à Proprio differat, & accidenti, quidq́; commune habeat, dicetur. Species quidem & Proprium in duobus conueniunt, tum ut reciprocentur: ut, ſi homo eſt, ridendi facultas eſt: ſi ridendi facultas eſt, homo eſt. Ridendi facultatem dicit, non quod rideat, ſed quod ſuapte natura eſt comparatum, ut rideat; tum ut æquè inſint formis, quæ ſunt ipſorum participes: omnes enim, quantum ad ſubſtantiæ rationem ſpectat, rationis participes ſunt, ac ridendi habilitas eſt omnibus æqualiter impartita. Differentiæ multæ ſunt: nam Species aliorum genus eſſe poteſt, ut animal animati ſpecies cùm ſit, hominis, & equi genus eſt.

DE DIFFERENTIA SPECIEI, ET PROPRII.

SPECIES à Proprio differt, quòd Species aliorum genus poteſt eſſe, Proprium aliorum eſſe proprium nequit: ac ſpecies prius, quàm proprium conſtat, proprium ſpeciei accidit: neceſſe enim eſt hominem eſſe, ut ſit aptus ad ridendum. Præterea Species in re ſubiecta ineſt re ipſa, Proprium uerò nonnunquam poteſtate: homo enim ſemper re ipſa Socrates eſt, uerùm non ſemper ridet, & ſi ſemper eſt aptus ad riſum. Quorum item definitiones diuerſæ ſunt, ea inter ſe differunt. Cumq́ꝫ Speciei ſit, ſub genere conſtitui, deq́ꝫ multis, & ijs numero differentibus, dici in quæſtione, qua rei natura quærendo inueſtigatur: Proprij eſt in una ſola, totaq́ꝫ, ac ſemper reperiri.

SPECIEM hic intellectam uult eam, quę media eſt, non autem ultima. Proprium alterius eſſe proprium non poteſt. Species prius, quàm Proprium cohæret, ſit enim prius homo neceſſe eſt, ut poſtea ſit aptus ad riſum: at Proprium poſterius ſpecie eſt. Cumq́; Species in ſubiecta re inſit re ipſa ſemper, (nam Socrates ſemper homo eſt) Proprium interdum potentia ineſt: non enim ſemper homo ridet, ſemper tamen poteſt.

Quorum item definitiones diuerſæ ſunt, ea inter ſe differunt. Hoc etiam cæteris quatuor conuenit: idem enim de genere, & reliquis dicere poſſumus, quorum ſi differunt definitiones, ipſa quoq; inter ſe diſcrepabunt.

DE COMMVNITATE ET DIFFERENTIA SPECIEI, ET ACCIDENTIS.

CONVENIVNT inter ſe Species, & Accidens, quòd de multis dicuntur. Raræ admodum ſunt horum communitates, quoniam Accidens, & id cui accidit, inter ſe plurimum diſtant.

VNAM ſpeciei, & accidentis communitatem, multaq́; diſcrimina tradit. Quid uerò cauſæ ſit, cur unam tantùm conuenientiam nobis explicauerit, nos paulo ante declarauimus, id quod ipſe nunc ait, Quæ ſcilicet plurimum diſtant, in paucis conueniunt, & differunt plurimum: contrà, quæ uicina ſunt, & proxima, parum differunt, in multiſq́; conueniunt. Vtriſq; itaq; comune eſt, ut in multis dicantur: nam homo

de

de Socrate;& Alcibiade:nigrorq; de coruo,& Aethiope dicitur.

Hæc utriſq; ſunt propria: Speciei, ut in quæſtione, qua quid res ſit, quæritur, de ijs, quorum ſpecies eſt, dicatur: Accidentis uerò, in qua qualis ſit, aut quomodo affecta ſit, indagatur. Item quòd unaquæq; ſubſtantia unius ſpeciei particeps eſt, accidentis autem, quod multorum, ſeparabilium inquam, & quæ ſeiungi non poſſunt. Species quoq; ante, quàm accidentia, licet ea ſecerni non queant intelliguntur: Res enim ſubiecta ſit, ut ei quicquam accidat, neceſſe eſt. Accidentia uerò poſterius fiunt, & ſuapte natura ſubſtantiæ ſunt inhærentia. Speciei item communio æqualis eſt, Accidentium, atq; adeo eorum, quæ auelli non poſſunt, non ita. nã Aethiops magis aut minus alio Aethiope nigro colore infici poteſt. Reſtat nunc, ut de Proprio, atq; Accidente uerba faciamus: quid enm proprium à ſpecie, differentia, & genere differret, explicauimus.

SPECIEI proprium eſt, ut in quæſtione qua uis, & natura quęritur, dicatur: Accidentis uerò in ea, qua quale quid ſit, aut quomodo affectum ſit. Nam ſiquis ounc me roget, quo modo Aethiops affectus ſit, ualere illum, aut ægrotare reſpondebo. Species enim etſi in qualitate indaganda dicatur, id tamen à differentiis, ut dictum eſt, nanciſcitur. Vnuiuſcuiuſq; item rei natura unius formæ, & multorum accidentium eſt particeps: uelut aduncitatis, oigroris, & candoris. Species etiam prior eſt, Accidens poſterius: quòd prius eſſe hominem, quàm nigro colore imbui & infici oporteat. ac ſpeciei communio pars eſt, & æqua, cùm & Socrates, & Plato æquè homines ſint, nõ tamen ęquè albi, aut nigri: inuenietur enim Aethiops coloratior. Nunc philoſophus ad proprii & accidentis proprietates ac communitates declarandas aggreditur, & dicendi finem facit. Proprium quidem quid à genere, differentia, & ſpecie differret, diximus, cùm illa ei compararentur. Quid aurem cum accidenti commune habeat, quidq; ab eo differat, in præſentia dicemus.

DE PROPRII, ET ACCIDENTIS COMMVNITATE.

COMMVNE eſt Proprio, atque Accidenti, quòd ſeparari non poteſt, ut ea, in quibus eſſe ſpectantur, ſine ipſis non conſtent: ut enim ſine ridendi facultate hominem, ita ſine nigrore Aethiopem non reperies. & quemadmodum Proprium & ſemper, & in ijs omnibus, quorum proprium eſt, ineſt: ita Accidens, quod ſeparari non poteſt.

NON ſine ratione addidit, Quod ſeparari non poteſt: quoniam hæc diſtinctio facit, ut non intelligatur ſeparabile, cui cum proprio nulla fermè communitas intercedit. Igitur cõmune eſt illud proprio cum accidenti immobili, quòd illa, in quibus cernuntur, cõſtare ſine ipſis non poſſunt. nam ſi id, quod ad riſum aptum eſt, non ſit, oon erit homo, perinde ac coruus noo erit, ſi nigror non exiſtat. Accidens uerò diſcretum non ſemper ineſt ſpeciei: quoniam homo non ſemper ſedet, & fieri etiam poteſt, ut homo abſq; illo conſtet, cùm præſertim Socratem non ſedentẽ animo concipere poſsimus. Quatenus igitur Proprium, & Accidens immotum commune quid habent inter ſe, accidens mobile nihil habeat: at quatenus differũt, Accidens quod ſeiungi poteſt, à Proprio differat plurimum.

DE PROPRII, ET ACCIDENTIS DIFFERENTIA.

DIFFERVNT, quòd Proprium uni tantum ſpeciei conuenit, ut homini ridendi facultas: Accidens, quod amoueri non poteſt, ceu niger, non ſolum Aethiopi, ſed & coruo, & carboni. & ebeno, atque alijs nonnullis rebus. Ita fit, ut Proprium de ſua ſpecie uiciſsim dicatur, in'que omnibus æquè inſit: Accidens autem immobile non reciprocetur. Propriorum item communio æqua eſt, Accidentium tum maior, tum minor. Sunt præterea multæ aliæ communitates, & proprietates earum uocum, de quibus ſupra diſſeruimus: ſed hæ ad earum diſcrimina cognoſcenda, & communitates declarandas ſufficere iam debent.

PROPRIVM ab Accidenti,quod non ſeparatur,differt,quòd ipſum uni modò ſpeciei, ut riſus ſoli homini: & illud multis conueniat,ueluti nigror,qui non tantùm Aethiopi ineſt,uerùm etiam coruo,& aliis nonnullis. Proprium etiam reciprocatur ita,ut eius communio par,æquaq; ſit:nam ſi homo eſt, ridendi quoq; habilitas eſt: ſi eſt habilitas ridendi, homo itidem eſt. Socrates enim, & Plato æquè apti ſunt ad riſum. Accidens quod ſeparari nequit,non reciprocatur, & ob eam cauſam ipſius communio tum maior, tum minor eſt: ſi enim coruus eſt, niger eſt, at ſiquid nigrum ſit, non tamen coruus erit. Aethiops quoque,ut ſupra dicebam,alio nigrior inuenitur:ridendi autem habilitas nulli magis,aut minus conuenit. Illud quoque ſcire debemus, Porphyrium non dixiſſe eas ſubſtantias, in quibus proprium, & accidens cernuntur, ſine proprio, & accidente conſtare non poſſe, quandoquidem ſubſtantia res eſt, quæ ſe pulcherrimè ſuſtentat, ſed ſubſtantias ſine proprio & accidenti non conſtare, non quia ſubſtantiæ ſint, ſed quia in propriis, & accidentibus conſiderentur: nam muſicus Socrates, quia Socrates eſt,ſine eo,quod muſicus ſit,conſtabit: at quia muſicus eſt,ſine eo, qđ muſicus exiſtat,nihil eſt,cur eum conſtare putem poſſe.

FINIS.

MAGENTINI IN LIBRVM ARISTOTELIS DE INTERPRETATIONE PERBREVIS EXPLANATIO.

Ioanne Baptiſta Raſario interprete.

CVM hoc uolumen declarandum ſuſciperemus, nihil circuitione uti, ſed ad ipſam rei propoſitæ doctrinam transferre ſtudium noſtrum oportebat. Ea enim, quæ interpretes in philoſophiæ librorum initiis præfari conſueſcunt, in Porphyriana inſtitutione: quæ uerò ante principium artis diſſerendi explicanda eſſe putamus, in præfatione decem ſummorum genetum enarrauimus. Nunc ad libri capita aperienda nos conuertamus neceſſe eſt: hæc enim octo ſunt. quid libro propoſitum ſit: quam utilitatem afferat: quare ita inſcribatur: ſit'ne eius auctoris proprius, cui attribuitur: quo numero ſit ponendus: diſtributio eius in partes: in quo docendi genere uerſetur: ad quam philoſophiam referatur. Quamobrem de primo primùm diſputabimus. Etenim Ariſtoteli propoſitum eſt hoc libro enunciantem orationem nos docere. Nunc uerò cùm in orationis nomen inciderimus, quot eius genera ſint, breuiter exponam. Orationis genera, ut traditum eſt à Peripateticis, quinque ſunt, Enuncians, Interrogans, Imperans, Vocans, & Optans. Enuncians, ut Socrates ambulat: Interrogans, ut A` quibus ille uiris uenit? Imperans, ut Vade, uide: Optans, ut Vtinam malitiam hominibus Dii ne dediſſent: Vocans, ut Heus tu, ehodum ad me. Stoici enunciantem orationem Effatum per ſeſe prolatum nominant: quo ſanè modo ab eis definita eſt: optantem uero Imprecantem uocant: & uocantem, Appellantem dicunt. Sed his non contenti, quinque præterea orationis genera introducunt, quorum primum eſt Exponens: ut, Eſto terra coeli centrum. Alterum Connexum: ut, Si dies eſt, Sol terras illuſtrat: hoc enim orationis genere efficitur, ut ſi quippiam ſit, aliquid itidem, aut nihil quicquam exiſtat: aut ſi aliquid non ſit, aliquid quoq;, aut nihil eſſe concludatur: quemadmodum cùm dicimus, ſi homo eſt, animal eſt, ſi homo eſt, lapis non eſt, ſi dies non eſt, nox eſt: ſi dies non eſt, Sol terras larga luce non complet. Tertium uerò eſt effato perſimile, ut Quàm uaga eſt, uolubiliſq́; fortuna. ſed hæc oratio ſuperat effatum hoc uerbo Quam: quod ſi adimatur, effati nomine appellabitur. Quartum, quo dubitamus: ut, Dauus eſt, quidnam boni portat. Quintũ in iureiurando uerſatur, quippe cùm in eo ita obteſtemur, ut dicamus per Iouem qui reliquis Diis & auctoritate, & bonitate præſtat omnibus. Sed illud in primis uos ſcire uelim, hęc quinque genera à primis quinq; contineri: nam exponens, connexum, enunciato ſimile, & quod in iureiurando conſiſtit, ab enunciante comprehenduntur, cùm uel maximè unum eorum quodq; uerum, falſum'ue ſignificet, id quod eſt enunciantis certè proprium. Præterea oratio, cuius in dubitando opus eſt, ab interrogante non differt. Poſtremò imprecans eadẽ eſt, atq; optans. Nunc cùm orationis genera ex diuiſione perceperimus, hęc tranſiliamus, & alia altius repetita ſumamus. Oratio uel à toto in partes, uel à genere in ſpecies diſtribuitur. Si à toto, aut in remotas, aut in propinquas partes diſtinguetur: ſi in remotas, ſimplices uoces efficiet, quas in Categoriis pertractauit: ſi in propinquas, propoſitiones conſtruet, quas hoc libro philoſophus docet. Si uerò à genere in partes diuidatur, quinquepartita eius erit diuiſio, ea de qua feci ſupra mentionem. De oratione igitur enunciante hoc loco agere uult Ariſtoteles: ea duplex eſt, Quæ de aliquibus dicitur, ut homo, ut animal: & quæ profertur adiuncta conditione quadam, qualis eſt, Si dies eſt, lux eſt. Sed de priori tantùm hic uerba facit, cùm uel maximè ipſa ſola demonſtrationes faciat, quæ ſunt fines huius artis, quæ in diſſerendi ſubtilitate uerſatur. Ratiocinatio autem connexa indiget demonſtratione quæ Categorica nominatur, ut ante dixi, quandoquidem ſubiectio in demonſtratione per ſe ipſam non eſt ſatis: illius enim demonſtrationis aliam inſuper demonſtrationem exigeremus. & ita demonſtrando ſic protraheretur oratio, ut exitum nullum repertura eſſe uideretur. Cùm uerò de modis, ex quibus efficitur ratiocinatio, dicturus ſit, quot genera ratiocinationum ſint, ex diuiſione diſcendum eſt. hoc itaque pacto initium ſumam. Oratio omnis aut omnino uera eſt, ratiocinationemq́; demonſtratiuam faciet: aut penitus falſa, & poëticam componet: aut æq; uera, ac falſa, & rhetoricam conſtituet: aut magis uera, & minus falſa, & ex ea dialectica ſumetur: aut magis falſa, & minus uera, & ex ea fallax, & captioſa elicietur. Sed ut perfectam argumentationum diſtinctionem faciamus, dicemus hoc modo: Oratio & partes, & compoſitionem habet. Partes tum primæ, tum ſecundariæ collocationis ſunt. De iis, quæ primæ ſunt, in decem ſummis generibus actum eſt: nunc de illis, quæ ſecundæ ſunt, dicendum reſtat. Prima ſumptio non perficit argumentationẽ, ſed ſecunda: etenim primæ, & ſecundæ conſtitutionis uoces non ſunt ambiguæ: in Ca-

tegoriis enim ſimplices uoces, Nomen, & Verbum infinitè pertractauit. At hoc opere de uerbis loquitur quæ tempus ſignificant, deq; nominibus, quæ rem inferunt. ad aliud ſecundæ compoſitionis membrum, tranſeamus. A` prima, aut à ſecunda ſumptione fit ratiocinatio: atq; à prima, ſi uoces cōpoſitæ ſint, non erit perfecta; ueluti, Socrates ambulat. Ex ſecunda perfecta erit: ut, Socrates ambulat, qui ambulat mouetur, Socrates igitur mouetur.

HVIC IGITVR libro propoſitū eſt agere non de ſecūda, ſed prima cōpoſitione: & non de prima collocatione, ſed ſecunda, deq; enunciante oratione, non illa quidem quæ connexa ſit, ſed quæ categorica ſit.

VTILITATEM per ſeſe manifeſtam eſſe, nemo non uidet: nam hic liber nobis magno adiumento eſt ad demonſtrationem, quę ſine ratiocinatione ſimplici, & ratiocinatio ſine propoſitis fieri nullo pacto poteſt: eſt igitur hæc ad demonſtrationem utilis tractatio.

ORDO ex ſeſe paret: nam cùm de ſimplicibus uocibus in Categoriis dictum ſit, reliquum erat, ut illæ compoſitæ tractarentur. Verùm ut inſcriptionis cauſa fiat illuſtrior, quandam diuiſionem non modò hac in re nobis utilem, uerum etiam in aliis philoſophi libris, proponemus. Animæ noſtræ duplex actio eſt: altera in Cognitione uerſatur, eiuſmodi ſunt mens, intelligentia, opinio, cogitatio, & ſenſus: Altera eſt in Vita, atq; Appetitu conſtituta: ut ſunt uoluntas, electio, iracundia, & cupiditas. Enuncians oratio in cognitione uerſatur, hæcq;, ut dixi, uel quæ dicitur, uel quæ ſine conditione quadam non effertur, uereq; rerum cognitionē, quæ in nobis ineſt, enunciat: & ex iis, aut uera erit, aut ſaltem apparebit. In animæ uerò partibus, quæ libidinū, atq; irarū æſtu fluctuant, cætera quatuor orationis genera conſiſtunt, non tamen cum anima per ſeſe quicquā agit, ſed cum alio intēdit: cùm ſcilicet rationem, (quod fit in ea, qua interrogamus) aut rem quærit. Si itaq; rem quærat, aut illius deſiderio trahetur, & Vocantem faciet orationem: aut quandam illius actionem conſequi anhelabit, quam ſanè minor à maiore petet, & Optantē efficiet: par enim eſt ut cùm minores ſimus, maiores rogemus: uel quam maior à minori, & tunc temporis faciet Imperantem: maiores enim inferioribus imperant. Enunciantis autem ſpeciem Interpretationem uocat, quòd animæ noſtræ cogitata interpretetur, & explicet. Sed illud quoq; ſcire debemus, Interpretationem appellari Demonſtrationem, quæ rationem deſcribit: & Elegantem, atq; Ornatam locutionem: de quibus duabus interpretationis ſignificationibus Ariſtoteles ne uerbum quidem nunc facit.

LIBRVM hunc eſſe Ariſtotelis proprium, & materia, & forma nobis declarant: ineſt enim in eo magna ſylua ſententiarum ita obſcurè & breuiter, ſtrictimq; deſcripta, ut de hac re ne dubitari quidem poſſe putem. Andronicus tamen Rhodius ea de cauſa nothum eſſe exiſtimabat, quòd has intelligentias, animi affectiones appellauerit, idq; in libro de Anima nuſquam dixerit. Nos horum duorum alterum teneamus neceſſe eſt: ſed cùm nefas ſit, illud opus Ariſtotele dignißimū abiicere, reſtat ut hoc reprobemus: ad quam rem nos dicemus breuiter. Ariſtoteles enim hoc libro illius de Anima mentionem fecit: Verùm, inquit, de iis in libris, qui ſunt de Anima, dictum eſt nobis. Illic enim conſtat eum dixiſſe Cogitationem quæ φαντασία dicitur) eſſe patibilem intelligentiā: nam ueluti cùm dormimus, quædam uidere uidemur, & ſentimus uiſumq; abſq; ſenſibus intelligimus: Sentire enim eſt affectio quædam: ita etiam quæ intelliguntur non ſine affectione percipimus.

OMNINO diuiditur liber hic in partes quinq;. Primùm in uoces cōpoſitas: deinde in ſimplices propoſitiones: tum in duas uoces, quarum altera ſubiicitur, altera de ſubiecta dicitur, & in id, quod ei, quæ ſubiicitur, adiunctum eſt, ut Socrates iuſtus eſt: nam uerbum EST, ſubiectum terminum cum alio, qui de ſubiecto dicitur, coniungit: poſtea in ſumptiones, quæ ex ſubiecto, & eo qui de ſubiecto, & eo quod ei qui dicitur, adhæret, atq; ex modis conficiuntur, ut Socrates omnia perſpicuè explicat: poſtremo ſumptiones in ueras, & falſas diſtinguuntur.

AD DISSERENDI rationem hic liber refertur.

DOCENDI genere nullo utitur Ariſtoteles, ſed obſcurus eſt, ut multis aliis in libris ſuis. Nunc uerò nolim uos eſſe neſcios, Senſum à Cogitatione differre plurimum. Senſus enim indiget iis, quæ ſenſum mouent, ut in eis agat quippiā; ſed Cogitatio horū figuris impreſſa ſatis poteſt nobis occurrere. Ex quo fit, ut in ſomniis aliquid ſine ſenſu nos uidere exiſtemus. Et ea de re Cogitatio patibilis intelligentia dicta eſt, quòd cùm aliqua ſecretione, & dimenſione ſingula cognoſcat, tāquam eius uis, atq; actio tales ſint, ut à corpore auelli non queant, ipſaq; ſit eorum, quæ ſub ſenſum cadunt, fons, & principium.

HIS ITA explicatis ad ipſa Ariſtotelis uerba declaranda nos cōuertere neceſſarium eſſe uidemus. Procemii itaq; ſex capita præſumemus. Primum, Quanam cauſa impulſus huiuſmodi numero in procemio uſus ſit: quid inquam cauſæ ſit, cur ſimpliciora perfectioribus antepoſuerit, cùm in doctrina uniuerſę res præcedere, ſingulæ ſequi debeant. Cui ſanè capiti facillime reſpondemus. Solet enim id quandoq; facere Ariſtoteles, ut ea quæ magis ad ſingulas res pertinent, perfectionibus præferat. Primū enim Nomen, deinde Verbum, tanquā enunciantis orationis partes conſtituit. Nomen, ueluti quod eſſentiam quandam, aut ſubſtantiam declaret. Verbum poſtea, quippe quod actionem & affectionem ſignificet. Hæc autem non quia per ſe ſint, ſed quia in natura conſtent, conſiderantur. Iis Negationē addit, tanquam id, quod non ſit, introducat: huic Affirmationē apponit, utpote quæ inferat rem eſſe. Demum Enunciationē, ut affirmationis, & negationis genus: poſtremò Orationē tanquā ea latius quā omnes reliquæ pateat. Nam ſiquid enunciatio eſt, idem eſt oratio: at ſi quid oratio, non item eſt enūciatio. quomodo enim cætera quatuor orationis

tionis genera efficias?In doctrina ea,quæ latius manant,prius locanda ſunt , quàm quæ magis propia ſunt, propterea quòd communia primùm,deinde ſingula nobis percipienda ſuot. Alterum caput eſt,Quamobrem in decem ſummis generibus Nominum, Verborumq́; mentionem fecerit , atq; hoc in loco demtegro faciat. Nos Ariſtotelem illic eorum meminiſſe,ueluti uocum,quæ ſimpliciter ſignificarent, reſpondemus:at hîc ea,quæ rei naturam indicant, Nomina appellat:quæ tempus,actionem , & affectionem Verba.

Tertiũ caput eſt,Quid fuerit in cauſa,cur cùm aliæ præterea orationis partes ſint,ſola Nomina & Verba orationis partes dixerit. Quibus reſponſum uolumus , hæc ſola coniungata perfectam reddere orationem.id quod præſtare reliquæ nullo modo poſſuot:uerùm aut ab iis oriũtur,ut ea,quæ Participia,& Pronomina uocantur : aut ad copulationem & diſiunctionem , ueluti ſunt Coniunctiones, ſolúm utiles ſunt.

Sed orationis partes ex diuiſione percipiendas reor,proinde ordiar. Orationis partes aut rei naturam ſignificant,ut Nomina:aut perſonam cum actione,atq; affectione,ut Verba:aut perſonam tãtum, ut Pronomina:quædam aut omni orationi & eius partibus præponuntur,ut Propoſitiones : aut nomini tantúm, ut Articuli:quædam uel componunt,& diſpergunt,ut Coniunctiones,aut pro uerbis ſumuntur,ut Aduerbia:aut nominis & uerbi ſunt participes, ut Participia. Quartum qua ratione ductus Orationis , & Vocis ſimul non meminerit : nam uox orationis genus eſt, quoniam ſi oratio eſt, & uox eſt:at ſi uox, non tamen oratio. Nos uerò dicimus Vocem magis ad phyſicam,quàm ad logicam facultatem ſpectare:eo quòd uox natura eſt,& Oratio poſitura. Natura eſſe dicimus,quod apud omnes idem eſt. Nam apud Indos, & Scythas,& uno uerbo,omnes, una eſt uox, tanquam naturæ id opus exiſtat : Oratio uerò eadem omnibus non eſt. Ex quo fit, ut collocatione conſtituatur. Alia enim Sarmatæ, alia Germani utuntur. At ſiquis obiiciat Comicos ranas , & aues imitatos uoces diuerſas proferre : hoc eorum ſibi licentia attributum eſſe dicemus. Pueri enim medicorum nobis etiam indicant uoces eſſe à natura, cùm alia inſtrumenta Vocalia appellent:alia,quæ eloquantur. Vocalia ſunt pulmo,pectus,aſpera arteria : Quæ eloquuntur ſunt epiglottis,lingua,& dentes. Ariſtoteles uerò in libro de animalium hiſtoria Vocẽ orationis genus non eſſe,ſed materiæ potius rationem dicit poſsidere : ſubiicitur enim,ad orationem efficiendam. Quintum caput ſe ita habet,ut quæratur, Cur numerando nulla ſit repugnantiæ facta mentio, cùm in hac doctrina eius mentio fiat. Ad quod dicendũ eſt, Ariſtotelem ipſius partes Enumerãdo hãc quoq; poteſtate enumeraſſe. Sextum caput eſt,Quonam pacto enunciatio in affirmationem,& negationem diſtribuatur?Diuiſio enim ſex modis efficitur,ut genus in partes:ut uniuerſum in partes:ut uox ambigua io uarias ſignificationes:ut ſubſtantia in accidentia:ut accidens in ſubſtantiam : ut accidens io accidentia. At Enũciatio neq; ut ſubſtantia in accidentia diuiditur,neq; econtrà,propterea quòd affirmatio & oegatio ſubſtanriæ omnino non eſſent: neq; ut totum in partes, easq́; quæ diſsimiles ſunt iter ſe , propterea quòd ſic diuerſæ neq; in nomine,neq; in re communicarent:affirmatio uerò, & negatio à totius nomine Enunciationes uocantur:neq; in partes, quæ inter ſe ſimiles ſunt,cùm ioter affirmationem , & negationem magnum diſcrimen uerſetur : neq; ut uox multa ſignificans, quia affirmatio, negatio quoq; diceretur. Alexander ttibus argumentis hanc tanquam genus in partes non diuidi probare nititur. Generũ eoim,inquit,definitiones formis debẽt cõuenire at formarum generibus non debent. Hoc uerò loco partiũ definitiones enunciationi congruũt:nam Affirmatio eſt aliquid de aliquo,& Negatio aliquid ab aliquo, quæ utræq; partes in enunciatione conueniunt. Ad hæc addit: Vbi prius, poſteriusq; eſt,ibi id,quod communiter dicitur,genus eſſe non poteſt : nam affirmatio prior eſt negatione:ex quo conficitur,ut enunciatio earum eſſe genus non queat. Nos tamẽ huic reſpondemus, Affirmationem non natura,ſed dignitate priorẽ eſſe:& Prius ac Poſterius in formis quæritur, quod ordine naturæ ſit. Ait demum, Formas ſeſe non interimere, at negatio affirmationẽ tollit. Cui quidem rationi nihil eſt,cur repugnari putem poſſe : & ob eam rem nos ei ſubſcripſimus. Ex quo efficitur,ut quemadmodum Alexander ſcriptum reliquit, Enuntiatio tanquam uox multa ſignificans in uarias,ac diuerſas ſignificationes diſtribuatur.

PRIMVM quid ſit Nomen , quid Verbum , deinde quid Negatio,& Affirmatio,& Enunciatio,& Oratio,ponendum eſt.

PRIVS quinq; modis dicitur : natura, ut pater prior eſt filio : tempore, ut ſenex iuuene:numero,ut unum duobus:ordine,ut fundamentum pariete:dignitate,ut dominus ſeruo. Ponere ſex modis dicitur:ut id, quod conceſſum eſt, ex quo Opponere, hoc eſt conceſſo repugnare,dicere conſueuimus:ut effatum:ut petitio:ut,peto à te,terram cœli centrum ponas:ut aduerbium locum ſignificans:ut definitio:ut probata philoſophorum ſententia,ueluti cùm duo mentiantur, aduerſetur nemo : uel duo uerum dicant, & nullus repugnet:aut alter uerum,falſum alter dicat:uel contrà,& nemo obſiſtat. Nomen quidem,& Verbum, Dictionem,& Terminum eadem ſubiecto eſſe,& relatione differre non ignorandũ eſt. Tum enim Nomen uocatur,ſi tanquam ſubiectum accipiatur: Verbum uerò, cùm pro termino qui de ſubiecto dicitur. Dictio enunciationis pars eſt,licet nomen,aut uerbum ſit:nam Propoſitio aliud eſt,aliudq́; Enunciatio:ſimplex enim affirmatio,aut negatio , Enunciatio eſt : ea uerò affirmatio, aut negantia, quæ in cõplexionibus accipitur propoſitio aut Sumptio uocatur. Terminus pars propoſitionis appellatur,ſubiiciturq́;,aut in ſubiecto dicitur,

Ea quidem , quæ uoce proferuntur , affectionum animæ ſunt notæ : & quæ

ſcrib

ſcribuntur, eorum quæ in uoce ſunt: atq; ut non eædem literæ, ſic ne uoces quidem apud omnes ſunt. Senſa uerò animi, quorum primò uerba ſigna ſunt, idem apud omnes ualent: & res quarum animi ſenſus ſimilitudines ſunt, eædem exiſtunt. Verùm de ijs in libris, qui ſunt de Anima dictum eſt nobis: ad aliud enim inſtitutum hæc pertinent.

ENVMERATIS Nomine, Verbo, & aliis, eorum definitiones ſtatim tradendæ erant: prius enim hæc ſibi definienda eſſe dixerat. Id tamen nunc non facit, ſed quoddam caput, quod nobis magno adiumento eſt, proponit: docetq; in quibus uerũ & falſum inuenire poſsimus. Ea in ſimplicibus uocibus, Nomine inquam, & Verbo non inuenimus, ſed in horũ copulatione. Cùm igitur quatuor ſint, Res, Intelligentiæ, (ſeu animi ſenſa, ſeu perceptiones, hæc enim omnia τὰ νοήματα ſignificare arbitror) Voces, & Literæ: Res, atq; Intelligentiæ natura ſunt conſtitutæ: Voces uerò & Literæ collocatione. Res autẽ, Animiq; perceptiones natura conſtare ſigno eſt, eas apud omnes eaſdẽ eſſe, ueluti apud Romanos, Indos, & Aegyptios: at non omnes iiſdem Vocibus utũtur: de Literis eadem ratio. De his uerò mentionem fecit, quoniã Nomina, Verbaq;, & Res ſunt, intelliguntur, proferuntur, & ſcribuntur. Senſus autem animi, rerum ſimilitudines uocat, earũ enim ſenſus animi ſpecie gerunt. Literas uocum, atq; orationis notas & ſigna appellat: ſenſuum autem Verba. Mentis quidem interpres eſt Oratio: ac Literę ad uerborũ memoriam ſunt inuentæ. Similitudo à Signo, & Nota differt plurimũ: Similitudo enim rei naturã oculis ſubiicit, ueluti Socratis imago, quæ nobis Socratem naturaliter non exprimit, cùm ea, quæ ei attributa ſunt, ſine eorum commutatione non ſeruet. Id tamen non in nobis, ſed in parente omnium natura, quæ ſemper formarum ſimilitudines cõſeruat, nemo eſſe non uidet: Nota & Signũ ex noſtra cogitatione proficiſcuntur: ut in bello tubarũ clangor, & facis accẽſio. Sed ſcire debemus Ariſtotelẽ Signum & Notã ſitu idem appellaſſe, quamuis non parum inter ea interſit: nam Signum in iis eſt, quæ ſemper ſunt, ut fumus ignem ſemper, & umbra corpus in lumine ſignificat: Nota uerò in iis, quæ non ſemper fiunt. ut cùm dicimus hanc auem, & hunc uolatũ, belli, & peſtilentiæ notas eſſe. Iam cùm animi Senſus eoſdẽ apud omnes eſſe affirmauerit, Alexãder ſeſe opponit: ait enim, de iiſdem rebus ſæpe nos diuerſos ſenſus habere. Cui ego dico, hic uocari Senſus animi eos ſolos, qui ex omnibus inter ſe differentibus ueri ſint. Addit ad hanc rem, Ariſtotelem in iis conſtituendis naturę ordinem non eſſe ſecutum, uel maximè quòd res ordine naturæ priores ſint, intelligentiæ ſequantur, tum uoces, poſtremò literæ: ipſe uerò Ariſtoteles uocibus primas defert. Huic ſatis nos feciſſe arbitramur, ſi dixerimus, Ariſtotelem cùm differendi artem tractaret, uocum meminiſſe neceſſariò, ut nominis & uerbi, utpote quæ ad orationem efficiendam conducant. Duæ nunc cauſæ ſunt, cur non uoces, ſed ea, quæ in uoce ſunt, notas intelligentiarum eſſe dixerit. Prima huiuſmodi eſt: Per uocem nomina & uerba ſignificantur, quæ uoces ſimpliciter non ſunt: cùm præſertim uoces natura ſint, & nomen, & uerbum non ſint natura. Huic rei argumentum præbent boues, qui uocem, nullis tamen articulis diſtinctam, aut nomen & uerbum ſignificantem, emittunt. Altera eſt, quia uocis beneficio conficitur oratio, cum ea in uoce non exiſtat. Triplex enim oratio eſt, interior, animata, prolata, de qua uerba faciens ait, quæ uoce proferuntur, affectionum animæ ſunt notæ. Ea, inquit, quæ in uoce ſunt, ſenſuũ animi: ſcripta uerò eorum, quæ ſunt in uoce, id eſt orationis, ſunt notæ. Sed quid cauſæ eſt, cur non Literas, hoc eſt elementa uocum notas dixerit? Nimirum quia litera characteris fuſionem, elementum uerò pronunciationem ſignificat. Quocirca prolatio non dicetur nominis nota, uelut elementum, ſed pars: character uerò nota dicitur, quia per eandem pronunciationem aliter, atq; aliter, profertur. Hac de cauſa nec elementa dixit, nec literas, quòd utrunq; nomen & de pronunciatione, & de litera feratur, & elemento. Pronunciationem igitur nominis & uerbi, id eſt uocum partem eſſe demonſtrauimus: Senſa uerò animi, quorum primò uerba ſigna ſunt. Ea, inquit, quorum **uerba primò notæ ſunt, ſenſa animi dicuntur, & eadem omnibus ſunt.** Addidit autẽ, **Primò**, quia uerba intelligentiarum auxilio poſſunt eſſe rerum notæ, non tamen rerum, primo loco, & per ſe. Et res, quarum hæc ſenſa ſimilitudines ſunt, eædem exiſtunt. Quarum inquit ſimilitudines ſunt: at quarum? rerum'ne? hæ ſanè inquit, res apud omnes idem ualent, utpote quæ natura conſtent. Definitio autem ESSE NATVRA, eſt, apud omnes idem eſſe. eius uerò quod IMPOSITIONE EST, definitio hæc tribuitur: Non apud omnes idem eſſe.

Quemadmodum enim in anima interdum intelligẽtia ueri & falſi expers eſt, interdum ita, ut horum alterum ineſſe neceſsitas cogat: ita in oratione. Verum nanq; & falſum in rerum compoſitione, & diuiſione uerſatur. Quamobrem nomina, & uerba ei perceptioni animi, quæ ſine coniunctione, & diſiunctione eſt, ut homo, ut id quod album eſt, cùm nihil præterea additur, reſpondent. Neq; enim uerum, aut falſum quicquam enunciatur. Id quod Tragelaphi uerbum clarum facit, id enim quippiam ſignificat. ſed nondum uerè, aut falſò quicquam dicitur, niſi eſſe aut non eſſe omnino, aut ad tempus adiungatur.

In iis,

IN iis,quæ ante diximus,duo quędã ſunt inueſtigata:ac primùm quidẽ,quonã pacto nominis,uerbiq; ſignificatio intelligenda eſſet,utrũ ex uoce tantùm,aut ex ſola intelligentia,an ex re ſolũ:uoces itẽ per animi ſenſus rerũ eſſe interpretes approbauimus.Secundò,in quibus uerum,& falſum inueniretur:quod nunc quoq; oſtendendum Ariſtoteles proponit,cùm ait,Si nihil uerbis,aut nominibus addatur,nec uerum, nec falſum ex ipſis poſſe elici,in eorumq́; compoſitione,facile poſſe.Quibus ſanè uerbis enunciantẽ orationem ſignificat,in qua ſola uerum & falſum enunciatur,ſiquidem in oprante,aut alia quauis,præterquã in enunciante id non comperitur. Cùm quatuor ſint nobis tradita,Res,Voces,Senſus, & Literæ : unam earum quanq; uerum,& falſum dicere ſciendũ eſt.Nam quæ ſcribuntur, aut falſa,aut uera ſunt:atq; etia pronunciata,& intellecta. Itemq; Res aut ueræ,aut falſæ ſunt:Socratem enim eſſe uerum, & pictũ falſum eſſe dicimus. Etenim hoc loco Ariſtoteles ſolos animi ſenſus uerum dicere , aut falſum aſſerit : nos uerò hæc omnia per intelligentias uerum aut falſum dicere affirmamus:quandoquidem is,qui falſa ſcribit,& pronunciat, tum pronunciaſſe , aut ſcripſiſſe dicitur,cùm intellexerit. Simili quoq; modo , qui aliquid fabricatus eſt,niſi percepiſſet,nũquam illud eſſet operatus. Ait igitur,in ſimplicibus animi perceptionibus uerum,& falſum neutiquã uerſari.Triplici dubitatione quidã ambigunt:primùm enim ſibi ipſi,Platoniq; Ariſtotelem aiunt eſſe contrarium:nam in Prima philoſophia memoriæ prodidit,intelligentiam per ſimplicem & nudam impreſsionem res percipientẽ omnino uera cognoſcere : quod Plato in dialogo,qui eſt de Animo, cõfirmat.Huic dubitationi occurrimus,& dicimus, Ariſtotelem nec ſibi,nec Platoni repugnare:illic enim ait,mentẽ tantũmodo uera,& non falſa intelligere:hìc uerò de uero & falſo quæſtio eſt. Dubitãt ſecundo loco,cùm nominis,& uerbi mentionem fecerit,an hominem nominis exemplum,& album uerbi poſuerit. Hi à nobis accipiant,omnẽ terminum, qui enunciatur,uerbum eſſe non debere. uerùm ſiquid dicatur, licet nomen ſit, ut Socrates albus,ab Ariſtotele uerbum appellari. Tertia dubitatio eſt , quonam pacto in ſimplicibus uocibus uerũ & falſum non ſignificari aiat,cùm in uerbis utrũq; inueniatur : nam ſi dixero, gradior,uera loquar:ſi non gradiar,mentitus ero.Iis ſatis eſſe factum arbitrabimur,ſi dixerimus,ſubaudiendum eſſe,Ego:ut hoc pacto loquamur, Ego gradior.quod ſi erat,in omni itidem uerbo inuenietur. in infinitis uerò & indefinitis æquè,ac in præſenti uerba uerum & falſum ſignificantia non competientur.Deinde exemplum ſupponit,ut à maiori confirmaretur oratio,nec uerum,nec falſum in nudis & puris uocibus inueniri:Si Tragelaphus inquit,compoſitum nomen nec uerum,nec falſum ſignificat,quonã modo ſimplices uoces ſignificabunt? Verum namq; & falſum in rerum compoſitione,& diſiunctione uerſatur. Non dubium eſt,quin Ariſtoteles compoſitionem pro affirmatione,diſiunctionemq́; pro negatione non poſuerit. In promptu ratio eſt.Subiectus enim terminus cum eo,qui de ſubiecto dicitur,coniunctus affirmationem facit.hiq; termini ab aduerbio Non,deiuncti,negationem efficiunt.In omni tamen compoſitione & diſiunctione uerum & falſum non inuenitur,quandoquidem optatio licet oratio compoſita ſit, itemq; iuſſus,nihilominus nec uerè,nec falſò enunciantur.Quin hęc uox Homo,uerum aut falſum omnino,aut ad tempus accommodatum non ſignificabit,ueluti in pręterito,& futuro,aut omnino,ut in determinato ac finito tempore.ad tempus uerò:ut in infinito.ut Tragelaphus erat,uel erit,hæc enim infinita ſunt:at eſt, definitũ eſt. Sed illud uerbum,Omnino,ſignificat etiam infinitũ,ſicut de Deo loquimur,cùm dicimus Deus erit , non tamen Deum eſſe negantes.quod ſi in præterito,futuroq́; dicatur,idem erit. ſemper enim Deus eſt. In rebus tempore non definito utimur ita,ut Tragelaphus erat,uel erit,dicamus.

DE NOMINE.

NOMEN uox eſt ex inſtituto ſignificans , temporis expers , cuius nulla pars per ſe quicquam ſigificat:nam in Senatuſcõſulto Senatus nihil ſeparatim ſignificat,ſicut in hac oratione,Senatuſconſultum. Verùm non eadem ratio eſt nominum ſimplicium,& iunctorum:quandoquidem in illis pars nullo modo quicquam declarat:in his pars uult illa quidem ſe ſignificare,nihil tamen penitus ſeorſum ab altera declarat:uelut in hoc uerbo Piratica nauis, nauis per ſe nihil ſignificat. Ex inſtituto propterea diximus,quòd nullum nomen natura ſit,ſed cùm nota quædã acceſſerit.Nam etſi ſoni,qui ſcribi non poſſunt,quales ſunt beluarũ,aliquid ſignificant , nullus tamen eorum nomen eſt. Non homo etiam nomen non eſt,nec ei nomen,quo appelletur, impoſitum eſt ullum, cùm nec oratio ſit,nec etiam negatio. Appelletur quidem infinitum nomen , quandoquidem in quauis re,tam quæ ſit,quàm quæ non ſit,æquè conuenit. Philonis uerò,& Philoni,& cętera generis eiuſdem,non nomina,ſed caſus nominis uocentur:ſi enim cum cæteris copulẽtur,oratio ſanè per ſe cohærebit;ſi uerò cũ uerbo Eſt,uel Erat,uel Erit, id nec uerum erit nec falſum : quod in nomine ſemper efficitur,uelut in his orationibus,Philonis eſt,aut non eſt,nondum quicquam uerum,aut falſum dicitur.

Cùm

CVM explicauerit, quid nomina, uerbaq́; ſignificent, in quibusq́; uerũ, & falſum conſiſtat: ad tradendam nominis definitionẽ aggreditur. Nos primùm quęremus, quid in cauſa fuerit, ut nomen uerbo prępoſuerit. eius deinde definitionẽ declarabimus, poſtremò dubitationes, quę hinc oriri poſſunt, earũq́; ſolutiones afferemus. Nomen quidem uerbo prępoſitum eſt, quòd naturam, uimq́; ſignificet: uerbum actionem, atq; affectionem. Oportet enim eſſe aliquid, quod agat, & patiatur. Si præterea quid orationis pars eſt, id quoq; nomen eſt, quatenus unicuiq; rei nomen eſt tributum: at non ſiquid orationis pars eſt, illud itidem uerbum erit. Nunc ad definitionem noſtra ſe conuertat oratio. cùm uocem diceret, à ſono diſtinxit. Sonus eſt aer percuſſus, qui ab eo fit, qui anima caret. Vox ſonus eſt, qui ab animato fit, per inſtrumenta uocis ſignificans. Scire debemus ex uocibus alias ſignificare, alias non: quaſdã pręterea articulatas eſſe, & quaſdam articulorum expertes, quaſdam inquã ſcribi poſſe, quaſdã non poſſe. Veluti enim corpus noſtrum articulis & membris conſtare dicimus, ita etiam uoces ſignificantes ex articulis, id eſt è ſyllabis eſſe conflatas affirmamus. Ex hac itaq; diuiſione ſex membra fiunt, quorum duo non conſtant, cætera quatuor conſtant. Nam ſignificantes uoces literatæ, quæ uidelicet literis exprimũtur, ſunt nomen, & uerbũ. Quæ non ſcribitur, & nihil ſignificat, eſt ſimplex ſibilus. Quæ ſignificat & non ſcribitur, eſt canũ latratus: nam canis latrãs aduenas domum ingredi domino ſignificat: attamen ipſa canis uox literis exprimi non poteſt. Quæ ſcribi poteſt, nihilq́; declarat, eſt Blityri, Cnax, Scindapſus. Cumq́; adderet, **Significãs**; ab his quæ non ſignificãt, ſeparauit. **Ex inſtituto**, autẽ dixit, pro ea, quæ ſcribitur, & eſt collatione, & non natura. Vel propterea dictum eſt, Ex inſtituto, ut nomen ab inanimatis, quorũ uoces non ſcribuntur, diſtingueretur. Hoc eſt etiam non ignorandũ, Ex inſtituto, non compoſitionem quidem, ſed collationem quandam aut conſtitutionem, hanc θέσιν appellãt, notare. Triplex eſt collatio, Aequalis, ut homines cum hominibus cõmunes cõuentus faciunt: Vel ad præſtanſtius relata, ut hominis ad Deum: uel hominum ad inferiora ſe, ad quæ ne cõparationem quidẽ habent. Vel ex inſtituto, poſſumus intelligere partim ſuperuacanea, partim diminuta, & quæ nequaquã poterunt conuenire. Hoc uerò loco æqualẽ collationẽ accepit. Conſtitutione & Natura dupliciter dicitur: atq; ex iis, qui nomina natura cõſtare dicunt, alii ut naturæ opera ea eſſe affirmant, eaq́; imaginibus cõparant, quales ſunt, qaæ in umbris & ſpeculis apparent: Alii porrò natura ita ipſa eſſe dicũt, utpote quæ naturæ conueniant: ut ſiquis imperatoria prudentia ſit præditus, Archelaus, aut Regulus nuncupetur: quæ artificioſis ſanè imaginibus ſunt paria. Qui uerò ea collatione aut conſtitutione eſſe dicunt, partim aiunt nobis integrum eſſe res quo nomine uoluerimus, appellare: partim unicuique rei nomen à doctis, & intelligentibus uiris impoſitum uolunt. Sed id idem eſt, atq; ſecunda naturæ ſignificatio. Nomen igitur natura & conſtitutione aliam ob rem, atq; aliam eſt: ac conſtitutione quidem ea, quæ cum ſecunda naturæ ſignificatione conueniat. Alexander uerò ea natura tantum eſſe hac ratione firmauit. Nomen, inquit, & uerbum uoces ſunt, Voces ſunt natura, Nomen igitur & uerbum ſunt natura. Nos uoces per materiam, non per formam natura eſſe dicimus. Quod ſi ſecus eſſet, poſſemus hoc modo argumentari: Ianua lignum eſt, lignum eſt naturæ opus, ianua igitur naturæ opus eſt. Quod eſt falſum: propterea quòd ianua ex materia, non ex forma lignum eſt.

Temporis expers. Hæc uerba nomen à uerbo diſtinguũt. Nonnulli quòd ipſa tempora nomina ſint, ut heri, ut cras, quomodo temporis expers nomen eſſe dixerit, ambigunt. Quibus, nomen aut tempus per ſe, aut ne tempus quidem ſignificare, reſpondemus. Nam tempus ſignificare, & adſignificare differunt inter ſe ex eo, quòd cum uerbũ eſt, non ſimpliciter tempus ſignificat, ſed adſignificat. nam præterquam quòd uerbum res quædam ſit, actumq́;, & affectum ſignificet, tempus etiam omnino declarat.

Cuius nulla pars quicquam per ſe ſignificat. Nomen ab oratione ſeparauit, cùm **Per ſe,** diceret: quippe cùm orationis partes etiam ſeparatim aliquid declarent: quales ſunt in hac, Socrates ambulat: nam & Socrates, & ambulat, ſignificant. Poſt traditam definitionem ex maiori ſumit argumentum. Si iuncta, inquit, nomina partes ſeparatim ſignificantes non habent, multo minus ſimplicia: Reſpublica enim, & Piratica nauis, parteis ſignificantes non habent: enimuerò Publica, & Nauis etſi quippiam ſignificare uidentur, nihil tamen ſignificant quod ad rotum nomen compoſitum, & totius ſignificationem pertineat. cuius rei ſignum eſt, quòd nec Publica rempublicam, nec Nauis piraticam nauim ſignificat.

Sed cùm nota quædam acceſſerit. Nomen inquit, ſi alicui adiungatur, naturam eius, quod ab eo nomen ducit, ſignificabit: idq́; natura, & non conſtitutione. Addit etiam ſonos, qui nullis literis exprimuntur, quales ſunt beluarum, quorum nullus ad nomen pertinet, aliquid illos quidem ſignificare, propterea quòd cùm natura non ſint, minus ſignificent: neq; enim nomina ſunt per naturam hi ſoni: quandoquidem nullum eis nomen impoſitum eſt, quo appellentur: ex quo perſpicuũ eſt huiuſmodi ſonos natura non conſtare, nec uoces ipſorum eſſe nomina. Quidam arbitrati ſunt Ariſtotelẽ hoc loco dixiſſe beluis nullum nomen eſſe impoſitum: quanquam leo beluæ nomen eſt, & reliquæ propriis nominibus appellantur. quidam uerò, uocum ferarum non eſſe nomen, hic dici putauerunt: & tamen canis uox latratus, & equi hinnitus dicatur. Nos dicimus philoſophum nobis indicare uoces beluarum non natura, ſed conſtitutione eſſe nomina, ſiquidem licet nomina ſuſcipiant, nomina tamen ipſæ non ſunt. Præterea quærit, utrum Non homo, nomen, aut negatio ſit. nomina quidem definita eſſe dicimus, habereq́; quid ſignificent: nam quod à nominibus nominatur, id ab ipſis ſignificatur; Non homo uerò non nominat, & ſignificat. id tamen facit extinctione eius, quod ſignificat; eùm præſertim omnia ſiue finita ſint, ſiue infinita, equum uidelicet, canem

nem,& id quod non eſt,præter hominem fortuito introducat. Nomen uerò id, quod à ſe ſignificatur, ſtatuit,& ponit,& reliqua omnia fortuitu aufert. Ad nominis definitionem addēdum eſt,Rem aliquam definitam ſignificans,nondum eſt definitio. adde quod ſequitur,ut ſit explicata definitio ſic, Nomē eſt uox ex inſtituto ſignificans,temporis expers. cuius nulla pars quicquam ſeparatim declarat, rem aliquam definitam ſignificans,quæ uerbo Eſt, uel Erat, uel Erit adiuncta uerum aut falſum declarat. De hoc uerbo Non homo,quæſtio eſt:an Non,negatio eſt? nam negantia,Non,negationem habent:& nos dicimus affirmationem à negantia tolli,quæ ſit ſi ei eſt,aut aliud quippiam acceſſerit. Sed Homo affirmatio non eſt,ut Non homo poſsit hominem tollere: at neque cum Eſt,conſtruitur,ut uerum aut falſum ſignificet. Siquis uerò aiat,Non homo,orationem eſſe,quod pars homo,ſignificet. Dicemus partem quidem ſignificare,ſed ſeorſum à Non minime ſignificare non hominem,ſicut neq; Publica rempublicam. Præterea ſi oratio eſt, enuncians,aut imperans,aut aliqua aliarum ſit oportet. Nunc uèrò cùm ad nullam harum pertineat,orationem non eſſe concludo. Sex modis Nomen dicitur: ipſum enim propriè nomen dictionum communitas eſt.qua ſignificatione Platonem in Theæteto pulchris uſum nominibus dicimus: ſubiectum: prima nominis traditio: prima traditio cum primo ſigno: prima traditio cum ſecunda determinatione: prima aſsignatio cum duobus ſignis adiunctis. Philonis, aut Philoni utrum nomina, an caſus nominum ſint, inueſtigandū eſt. Ariſtoteles rectū non uocat Caſum: Si enim,inquit,ex generali illo animi ſenſu,ex quo nomen eſt ductū,caſus erat appellandus: reliquas itidē orationis partes, quæ & ipſæ ab illo ſenſu proficiſcuntur,appellare caſus oportebat. Rectū uerò Caſum ea de cauſa Peripatetici uocauerunt,quòd ab animi ſenſibus decidat: Rectū uerò,propterea quòd ſimilis ſit ſtylo,qui deſuper cadat, & ſtet: quem,ſi cadat, Caſum,ſi conſiſtat,Rectū dicunt:quia ab eo,quod rectum eſt, nomen trahit. Dicunt præterea nomen aut Rectū aut Caſum eſſe,naturamq́;,aut naturæ aduentitium ſignificare: ſi naturam,ſit ſumptio,& id quod dicitur de quodam, aut quibuſdā hæc Græci συμβάματα, καὶ κατηγορήματα appellant: ſi aduentitiū, minus σύμβαμα, minusq́; κατηγόρημα efficitur: ut Socratis, Socrati: ſuntq́; hæc caſus nominis, non nomina. Ariſtoteles igitur ait, licet reliqua omnia nominis definitionem recipiant, tamen cum uerbo Erat,uel Eſt,uel Erit,perinde ac rectus,uerum,aut falſum non ſignificabunt. Ammonius ait Stoicos aſſerere,eſſe uerba caſibus adiuncta, quæ ueram, aut falſam orationem faciant: ut Socratem pœnitet: quæ ſi rectis copulentur,non ita ſignificatura:ut Socrates pœnitet. Aiunt etiam, id quod dicitur, uel de nomine, uel de caſibus dici:quorum utrunq; uel perfectum eſt,ex quo oritur enunciatio,aut imperfectum. Si itaq; perfectum ſit,Sumptionem,& id quod dicitur de quodam,aut quibuſdam,uocant. ut ambulat: ut Socrates ambulat. Si de caſu dicatur, παρασύμβαμα, uel παρακατηγόρημα, id eſt,quod ſumptioni,& ei quod de quodam dicitur,adhæret,nominant: ut Pœnitet, quod de recto dici nequit, nec per numerum uariari: ut enim dicimus,Hunc pœnitet,ita etiam Hos pœnitet,diceremus. Si deinde id,quod dicitur,indigeat caſu nominis,minus κατηγόρημα, uocabitur, ut Socrates amat: huic enim addendum eſt, Dionem. Si uerò ei, quod de caſu dicitur,altero obliquo opus ſit, minus, quàm παρασύμβαμα: ut in hoc uerbo Pœnitet uideri poteſt,Socratem Alcibiadis pœnitet. Nomina conſtitutione eſſe clarum faciunt ii,qui nomina rebus impoſuerunt. Solem enim marem,& Lunam fœminam eſſe uolunt:quòd hic lumen præbeat,illa Solis lumine illuſtretur. Quam præterea nos Mentem,illi νοῦν marem eſſe dicunt: Animam fœminā quod νοῦς animam lumine illuſtret ſuo, illa uero mentis lumine perfundatur. Fluuios præterea mares, & τὴν θάλασσαν, hoc eſt mare,fœminam dicunt eſſe,quod mare omnes fluuios in ſe defluentes recipiat.

DE VERBO.

VERBVM autem eſt,quod tempus adſignificat: cuius nulla pars ſeparatim ſignificat,& ſemper declarat ea, quæ de altero dicūtur. Ipſum enim tempus adſignificare dico,ut Valetudo nomen eſt, Valet uerbū,quod præſens adſignificat. Semperq; ea declarat,quæ de altero dicuntur, qualia ſunt ea,quę de ſubiecto dicūtur,aut in ſubiecto inſunt. Nō ualet,autem,& Non laborat,uerbū nō uoco, quia uerbū tempus ſignificat, & in re aliqua ſemper eſt. cumq; nullū ei ſit poſitū nomen,uerbū infinitum uocetur: quandoquidē tam de eo,quod eſt, quàm quod non eſt,æquè dicitur. Simili quoq; modo Conualuit,& Conualebit non uerba,ſed uerbi caſus appellanda ſunt. Hoc autem à uerbo differunt,quòd uerbum præſens tempus,illa uerò id, in quo præſens interpoſitum eſt,ſignificant. Ac uerba quidem ſi per ſe dicātur,nomina ſunt, & aliquid ſignificāt. Nam qui ea dicit, in animis notitiam imprimit: quiq; audit, quieſcit: uerùm ſit'ne res, an non ſit, nondum exprimit,quandoquidem illud eſſe, aut non eſſe rem non demonſtrat. Neq; ſi ipſum Ens per ſe ſolum dixeris, id enim nihil eſt: compoſitionem uerò

quandam ſignificat, quæ ſine iis, quæ copulãtur, intelligi nullo modo poteſt.

DEFINITO Nomine ad Verbi definitionẽ tranſit. Ordo eſt per ſe ipſe perſpicuus: quia nomina rei naturã, & uerba actionẽ, aut affectionẽ declarant: neceſſe eſt aliquid prius eſſe, quod poſtea uel agat, uel patiatur. Hoc loco ea, quæ definitioni nominis, & uerbi cõmunia ſunt, ſilẽtio tranſiuit: nam ipſum etiã uerbũ eſt uox, quæ ex inſtituto cum tempore ſignificat: uerùm quoniã Ariſtoteles ſemper breuitati ſtuduit, hæc tacẽda eſſe putauit. Quod ſi quiſpiã rogaret, ſi ob breuitatẽ hæc omiſſa ſint, quanã cauſa illlorum uerborũ fecerit mentionẽ cuius nulla pars ſeparatim ſignificat? idem enim nomini etiã fuit attributum. Reſpõdendum ad hoc eſt quàm breuiſsimè: ea nimirũ ob eam rem ſunt repetita, quòd ad alia magnũ afferant adiumentum: ſi enim uerbũ cum uerbo coniungatur, ſumptionẽ conficiet, ac nomen cum nomine, non faciet: qualia hæc duo uerba efficiunt, Ambulare eſt moueri: hic enim uerbũ Eſt, & ex inſtituto ſignificat, & tempus adſignificat, atq; eius partes ſignificãt. cùm itaq; uerbnm ab buiuſmodi orationibus ſeparare uellet, in definitione addidit, Cuius pars nulla ſeparatim ſignificat. Quæ quidem ratio probabilis eſt: propterea quòd interroganti diceremus, ſi uerbũ ab hiſce orationibus uolens diſtinguere horũ meminit, quorũ in nomine tractando fecit mentionẽ, & nunc in uerbo prætermiſit, utpote quæ eſſent ei cũ nomine cõmunia, nobis uerbi, & orationis diſcrimẽ indicauit. Quam ego rationẽ ueram eſſe ſtatuo: ſemper enim poſtrema definitionis pars æquè ac tota definitio ualet. Huius igitur ultimæ partis definitionis meminit, ut in reliquis omnibus nomẽ cum uerbo conuenire declararet. Sed tradita definitione ait: Semperq́ ea declarat, quæ de altero dicuntur, qualia ſunt, quæ in ſubiecto dicũtur: quæ quidẽ philoſophus dixit, ut oſtenderet, uerbum ſemper de altero dici. At ſiquis dixerit, non'ne eadẽ ratione nomen de nomine dicitur? ut Homo cãdidus. Dicemus, etſi nomẽ dicitur, non tamẽ ſine uerbo Eſt, dici: ut, Homo candidus eſt: quoniã ſine uerbo nulla ſumptio perfecta eſſet. Præterea ſiquis nunc me roget, Quid ſit, cur ſi uerbũ ſemper dicitur, in hac oratione, Deambulare eſt moueri, illud Deambulare ſubiiciatur. Dicerẽ, quotieſcunq; uerbũ ſubiectũ inuenitur, id ſemper eſſe infinitũ, atq; perſonã non admittere, & nomini par eſſe: cui quidẽ uerbo non ſecus, ac nominibus uſu uenit, articulũ Græci adiungunt, Deinde addit: **Quæ de ſubiecto dicuntur, aut in ſubiecto inſunt.** Quæ ita intelligenda ſunt, ac ſi diceret, Verbum uel ex natura uniuersè dicitur de iis, de quibus dicitur: ut, Ambulare eſt moueri: in quo Moueri uniuersè de Ambulare dicitur: Vel ex attributis naturæ: ut, Socrates currit, uel ſcribit: hoc enim Socrati attributũ eſt. Sed dum uerbum ſemper de aliis dici explicamus, ſi quærat aliquis, quidnã cauſæ ſit, cur cùm de nomine philoſophus ageret, illud ſemper ſubiici non dixerit. Eidẽ reſponderemus, nomẽ ſolum uim & naturã rei ſignificare, ut ſi, Homo, per ſe dixero.

Ad hæc quærit de hoc uerbo Non ualet, quod uerbũ infinitũ ait eſſe: ad quod ea omnia, quęcũq; paulo ante de infinito nomine ſunt dicta poſſunt accõmodari. Hic uerò tantũmodo dixit, uerbũ propter infinitã uerbi uarietatẽ cum proprio nomine cõiungi non poſſe: quod etiã à nullis uſq; ante hac poſitũ inuenitur. Deinde addit, Si uerba per ſe declarauerint ea ſolùm, quorũ ſignificãtia ſunt, nomina erunt: ut enim nomẽ aliquid ſignificat, & is, qui id enunciat intelligentiam imprimit in animo, iſq; qui audit, acquieſcit: ita ea quoq;, quæ à uerbis ſignificãtur, nomina ſunt. Huic accedit de uerbi caſibus diſquiſitio, quos caſus appellat per tranſlationẽ à caſibus nominũ: dicit igitur, ea ſolùm propriè uerba eſſe, quæ inſtans tẽpus ſignificant at quæ id, in quo interiectũ præſens eſt, non itẽ. Ea uerò tẽpora inter quæ inſtans eſt poſitũ, ſunt præterita & futura, propterea quòd ex utraq; parte inſtantis conſiſtunt, infinitatẽ enim ipſa quoq; introducunt: enimuero in pręterito, atq; in futuro maximam productionẽ inueniemus. Poſtremò ex maiori argumentatur, aitq; uerba ueritatẽ, aut falſitatem non declarare: cuius exemplum nobis proponit Eſſe, & Non eſſe, quod idẽ eſt, atq; Eſt, & Non eſt: itemq; ait niſi Eſt, aut Non eſt, ponatur, neq; affirmationẽ, neq; negationẽ effici: id eſt, nec uerũ, nec falſum ſignificari. Deinde cùm addit, **Neq; ſi ipſum Ens per ſe ſolũ dixeris.** ipſum Ens cõmunius aſſumpſit abũdanter ſane & copioſe, quod, inquit, per ſeſe nec uerum, nec falſum ſignificat: niſi aliquid coniungatur hoc modo: Socrates Ens eſt. quod quidem non modò in affirmatione, ſed etiam in negatione uſu uenit. In libro uerò de Animo, id quod non album eſt, alii coniungi affirmat. Ait igitur, ſi ipſum Ens per ſe nihil ſignificat, multo minus uerbũ Eſt, à quo ipſum deſcendit, ſignificabit, ſi aliquid non adiungatur, de quo dici poſsit. Præterea ambiguæ ſignificationis nomina per ſe dicta nullã ſignificant naturã, niſi nomini ambiguo, de quo dicantur, addita ſint: uelut eſt cotuus & qui ianuæ affixus eſt è ferro, & uolatilis: & Philoſophus, & lapis quidã: quòd niſi dixeris aut uolatilem, aut ianuæ affixum, aut aliam eius ſignificationem, non intelligetur. Ita fit in ens, & eius uerbo eſt: quæ tanquam nomina ambiguæ ſignificationis nihil ſine iis, quibus copulantur, ſignificant. Verbum igitur eſt uox ſignificans tempus, ex inſtituto adſignificãs, cuius pars nulla ſeparatim quicquam declarat: remq; aliquam finitam indicat, præſensq; tempus explicat. Dicitur tribus modis prima definitionis traditio: ex qua & infinita & caſus uerbi uocantur: idq; quod dicitur tertio, quod in ſolo inſtanti tempore ſumitur.

DE ORATIONE.

ORATIO eſt uox quæ ſignificat, cuius pars aliqua ſeiuncta, ut nomen, non ut affirmatio aliquid declarat, ut homo aliquid ſignificat, non rem eſſe, aut non eſſe. Cui tamen ſiquid additum ſit, uel affirmatio erit, uel negatio, non ſola

hominis

hominis ſyllaba. nam neq; in hoc uerbo ſorex, illud rex, quicquam declarat, ſed
uox ſolùm eſt: in iunctis autem aliquid ſignificat, ſed per ſe, ut ante dixi. Etſi autẽ
omnis oratio ſignificat non ut inſtrumentum, ſed ex inſtituto, prout dixi, non ta
men omnis enũciat: ſed ea tantùm, in qua uerũ, & falſum ineſt: id quod in omni-
bus ſanè nõ ineſt: ut precatio oratio eſt illa quidem, ſed nec uera, nec falſa. Ac re-
liquæ quidem, cùm potius ad artem rhetoricã, uel poëticã pertineant, omittẽdæ
ſunt nobis, eaq; retinẽda, quæ aliquid de quodã enunciat, ſiquidẽ hęc nunc de ea
inſtituta eſt diſputatio. Primũ autẽ enũciationis genus eſt affirmatio, & negatio:
cæteræ omnes una fiũt cõiunctione. Omnis autẽ enũcians oratio ex uerbo, aut ca
ſu uerbi cõſtet, neceſſe eſt: hominis enim oratio, quæ ex uerbo conflatur, niſi Eſt,
uel Erat, uel Erit, uel huiuſmodi aliquid adiunctũ ſit, nondum quicquã enuntiat.
Quid autẽ cauſæ ſit, cur totũ hoc animal gradiẽs bipes unum quiddã, non multa
ſignificet. (Neq; enim ex eis fit oratio etiã ſi inter ſe iunctione teneãtur) ad hoc in-
ſtitutũ nõ pertinet. Vna autẽ enunciãs oratio eſt, quæ aut unũ ſignificat, aut quæ
una eſt cõiunctione: Multæ uerò, quæ uel multa, uel nõ unũ ſignificant, uel cõiun
ctionibus carent. Ac Nomẽ quidẽ & Verbũ uocabula tantũmodo uocẽtur, cùm
præſertim is, qui uoce aliquid exprimit, enuntiare aliquid non poſsit ſiue roge-
tur, ſiue non rogetur: ſed is demum poſsit, qui omnia dicere uoluerit. Harum au
tem enunciationum alia ſimplex eſt, ut quæ aliquid de quodam dicit: uel aliquid
cuidam ineſſe negat: alia uerò, quæ eſt ex his, eſt iam oratio coniuncta ferè quæ-
dam. Simplex autem enunciatio eſt oratio, quæ aliquid eſſe, uel non eſſe ſignifi-
cat pro temporum ratione. Affirmatio eſt enunciatio quæ aliquid de quodã di-
cit. Negatio enũciatio eſt, qua aliquid alicui ineſſe negatur. Iam cùm id, quod in
aliquo ineſt, negari poſsit ineſſe: & quod non ineſt, dici poſsit ineſſe: & quod
adeſt, adeſſe: & quod abeſt, abeſſe: ſimiliq; modo in cæteris tẽporibus, quicquid
aliquis affirmauerit, negari: & quicquid negauerit, affirmari poſsit: profectò ne-
ceſſe eſt omni affirmationi negationem, omniq; negationi affirmationem eſſe
contrariam. Contradictio autem hac definitione explicetur, ut ſint affirmatio, &
negatio contrariæ inter ſe. Cõtrariam autem eſſe dico eam, quæ eiuſdem rei eſt,
deq; eadẽ re dicitur, de qua dicit altera, non ambiguè, ac cæteris omnibus adiun-
ctis, quæ nos contra moleſtas Sophiſtarum rationes literis mandauimus.

CVM Nomen, & Verbũ definitione explicata ſint: conſequẽs eſt, ut Affirmationis, & negationis men
tionẽ faciat: ut ordo in procemio cõſtitutus nõ modò nõ peruertatur, ſed diligenter etiã ſeruetur. Tranſitũ
autẽ hunc ad Orationẽ, quæ latius patet, non temerè fecit: quandoquidẽ ſiquid affirmatio, aut negatio eſt,
id eſt itidẽ oratio: at ſi quid oratio, non iam erit uel negatio uel affirmatio. Atq; hoc quidẽ fit, quia primũ
uniuerſas res, deinde ſingulas debemus cognoſcere. Nunc quid ita in oratione definiẽda particulã illã. Ex
inſtituto, prætermiſerit, inueſtigandũ eſt. An id fecit, quòd oratio naturalis ſit? id quidẽ nos in cauſa eſſe nõ
dicimus, ſed quia orationẽ in nobis naturaliũ uirtutum non eſſe inſtrumentum nondum declarauerat: aut
quia, quod parteis, nomen inquã, & uerbũ, ex quibus oratio conſtat, ex inſtituto, & non natura ſignificare
dixerat: ipſam quoq; cõſtitutione eſſe, nõ natura, planum ſit: ut enim partes, ita & uniuerſum ſe habet. Di-
cimus igitur tribus de cauſis non dixiſſe, Ex inſtituto. Primùm propter ea, quæ ante dicta ſunt, ut cùm no
men, & uerbũ natura nõ eſſe probauiſſet, orationẽ quoq; ita eſſe doceret: aut propterea quòd dicit, Cuius
aliqua pars ſeparata ſignificat: aut cùm dicat, Significat, orationẽ cõſtitutione eſſe palam faciat. ſignifi
cantia enim, ut dixi, ſunt cõſtitutione hominũ. Aut propter id, quod ſtatim ſequitur, cùm ait, Non ut in-
ſtrumentũ, ſed ex inſtituto, ut ante dixi. Præterea ait orationis partes, ut nomẽ, non ut affirmationem
eſſe: quod tribus cauſis dictũ ab eo eſt, quarũ hæc eſt prima: Si ut affirmationẽ eſſe aſſeruiſſet, cùm affirma
tio oratio ſit, affirmationis partes affirmationẽ eſſe neceſſariò ſequebatur: quod perabſurdũ fuiſſet. Altera
cauſa eſt: Quia affirmatio oratio eſt, huiuſce orationis partes orationes eſſent neceſſariò: atq; ſi cuiuſuis ora
tionis pars oratio eſſet, ita late uagaretur oratio, ut exitũ nullũ reperiret. Nã pars orationis ſi oratio eſſet,
pro ſuiipſius partibus orationes haberet, & illius partes eſſent uiciſsim orationes, id quod infinitum eſſet.
Tertia cauſa eſt. quòd nomen in affirmatione itidem dicitur: atque omnem orationem nomina, non item

affirmationes pro partibus habere inueniemus, ut nec etiam affirmatio poteſt eſſe nomen. His expoſitis, Hominem nobis exemplum tradit: Hominem eſſe nomẽ, non affirmationem, aut negationem declarans.

Verùm ne quiſpiam diceret nominis partes per ſe ſignificare, ut ſyllabę faciunt, (Enimuero ipſæ quoq; orationis partes ſunt per dictiones) ait, ſi partes iunctorum nominum, quæ ſignificare uidentur, nihil ſignificant, ſi in partes diſtribuantur: ſimplicium partes multo minus ſignificabunt. tum ait, Nam neq; in hoc uerbo Sorex, rex, quicquam declarat. Quibus dictis oritur dubitatio: Si orationis partes ſignificant, neceſſe etiam eſt, ut partes uocantis orationis ſignificent, ut, O' Neſtor: quam reiicimus hoc modo: Vocatio ab oratione uocante diuerſa eſt: Vocatio enim unius tantum nominis eſt, ut inter omnes cõſtat: Vocans oratio præter nomen alias etiam partes habet: ut, O' Neſtor Nilide. Addit præterea, Orationẽ perfectam eſſe, & imperfectam: ſimplicemq;, & coniunctam. Et Simplicem & perfectam, ut, Socrates graditur: Simplicem & imperfectam, ut, Socrate gradiente: Coniunctam & perfectã, ut, Inambulante Socrate Plato mouetur: Coniunctam & imperfectam, ut, Socrate deambulante Plato explicat: deeſt enim quippiam. Præterea oratio duplex eſt: Ea ſcilicet, quæ dici poteſt, quam etiam Naturalem uocamus, ut Socrates deambulat: Socrati enim natura comparatum eſt, ut deambulet: Et ea, quæ ex habitu procedit: quæ etiam Connexa dicitur, apta ad ſuſcipiẽdam affectionem: ut, cùm Sol terras larga luce complet, diem eſſe, efficitur neceſſariò. Oratio præterea duas relationes habet. alteram ad auditores, alteram ad res ipſas: In prima Oratorum, & Poëtarum munus eſt poſitum. in ſecunda, in qua de rebus agitur, philoſophi ueri & falſi indagatores uerſantur. Tum ait: Etſi autem oratio omnis ſignificat, non ut inſtrumentum, ſed ex inſtituto. Nonnullorum ſententia fuerat, orationem eſſe inſtrumentum, quę nunc his uerbis exploditur. Atque ut tota ratio percipiatur, ratiocinationẽ, qua illi utebantur, referemus. Aiunt enim, Oratio naturalium uirtutum, quæ nobis inſitæ ſunt, inſtrumentum eſt: Omne inſtrumẽtum naturalium uirtutum naturale eſt, ut oculus ad aſpectum, & auris ad auditum: Oratio igitur naturalis eſt. Quibus primam ſumptionem, quæ minor eſt, Oratio naturalium uirtutum inſtrumentum eſt, non concedimus: quoniam nobis alia ſunt naturalium uirtutum inſtrumenta quamplurima: ut uocis, pulmo, fiſtula, arteria: locutionis, lingua, epiglottis, dentes, labra. Secundam ratam habemus. ſed ad primam redibit oratio mea: & negabo orationem eſſe uirtutum naturalium inſtrumentum, ſed effectum: effectus uerò etſi ex uirtutibus naturalibus proficiſcitur, non tamen eſt natura conſtitutus: ueluti in ſaltatione mouemur quidem natura, ſed ut hoc, uel alio modo moueamur, fit acquiſitione quadam. Eodem pacto in oratione uocem proferre naturale eſt, atq; adeo eorum etiam animalium proprium, quæ ſunt rationis expertia. Vt autem oratio nomine & uerbo aliquid ſignificet, conſtitutione fit, quamobrem non parua eſt in hominibus orationis differentia: alii enim elegantem orationem, alii uel quod in buccam uenit, proferũt. Non eſt igitur inſtrumentum naturalium uirtutum, ſed animæ, quæ rationis & intelligentiæ compos eſt: quæ non naturalis eſt illa quidem, ſed ſupra omnem naturam. quocirca tanquam inſtrumento illa utitur, eam cum nominibus & uerbis coniungens. Iacet igitur eorum tota concluſio. Deinde ſequitur: Non tamen omnis enunciat, ſed ea tantùm, in qua uerum, aut falſum ineſt. neq; enim omnes uerum, uel falſum complectuntur. Alexander ait enunciationem tanquam uocem multarum ſignificationum in affirmationem, & negationem diſtribui, nam ſi affirmatio prior eſt negatione, in quibus prius eſt & poſterius, id quod ibi de utroque enunciatur, genus non eſt. ex quo patet, non ut genus in partes, ſed ut uocem uariæ ſignificationis eam diuidi. Atque hæc quidem ille. Nos uerò dicimus, non quatenus enunciatio ſit, in his prius eſſe & poſterius, quoniam utræq; uerum & falſum ſuſcipiunt: ſed ex aliquo ſibi aduentitio, id eſt ex uerborum ſimplicitate, prius habere atq; poſterius. affirmatio enim eſt negatione ſimplicior. Præterea ea, quæ dubiæ ſignificationis ſunt, ſub definitionem non ſubiiciuntur, cùm eorum non ſit communis natura: & definitiones ex natura rerum aſſumuntur. Ipſe quoque Ariſtoteles in his, quæ ſequuntur, eandem enunciationis definitionem affirmationi, & negationi accommodat. ambigua uerò ſuam ipſorum definitionem non complent. Reſtat igitur, ut tanquam genus in partes diſtribuatur. Tum ait: Vna autem enuncians oratio eſt, quæ aut unum ſignificat: aut quæ una eſt coniunctione. & cætera, quæ ſequuntur. Cùm nobis oſtenderit quid ſit nomen, quid uerbum: cumq; de uniuerſa oratione uerba fecerit, ad enunciantis orationis doctrinam, quæ reliqua erat, declarandam aggreditur: de qua huic omnino tractatiòni propoſitum fuerat. Sed poſtquam huiuſmodi oratio ex nomine & uerbo conſtat, atque hęc ex uerbis & ex cogitatione, atque intelligentia conſiderentur: oratio ex his conflata uerba, & ſententiam habeat neceſſe eſt. Ex diuiſione igitur percipiamus, quo nam pacto enuncians oratio ex uerbis & ex ſententia conſideretur: cuius diuiſionis cùm meminerit Ariſtoteles, breuiter admodum quædam præcepta propoſuit, ex quo factum eſt, ut longe obſcurior ſit facta doctrina. quæ ut clarior atque illuſtrior reddatur, ſic de tota diuiſione dicemus: Oratio uerba habet, & uerborum ſententiam: ex uerbis aut ſimplex eſt, aut coniuncta. Si coniuncta, aut de aliis dicitur, aut conditione quadam effertur: Si conditione efferatur, aut connectitur: ut, Si dies eſt, Sol terram ſuo lumine illuſtrat: nam cùm duæ orationes hæ ſint, utræq; à, Si, connectũtur. Aut disiũgetur, Vel bonæ, uel malæ, uel interiectæ intermediæ diuitiæ ſunt: ſed nec bonæ nec malæ, medię igitur. Si uerò compoſita ſit, & dicatur, aut ſic aliquid dicet, atq; enunciabit poteſtate, aut actione. Si reipſa, aut disiuncta erit: ut, Socrates ſedet, Plato legit: quæ non una oratio, ſed plures ſunt. Aut copulata: ut, Socrates deambulat, & Plato legit: hoc enim uerbum Et, has ambas orationes in

unam

unam componit. Si uerò facultate, aut unum ſubiectum erit, & multa dicentur: ut, Achilles caſtra metatus eſt ad Troiam, Hectoremq́; certamine ſingulari ſuperauit. Aut multa ſubiicientur, & unum tantummodo dicetur: ut, Achilles, Vlyſſes, & Aiax ad Troiā caſtra poſuere. Aut utraq; multa erūt: ut, Achilles, Aiax, & Vlyſſes apud Troiam caſtra locarūt, ipſamq́; depopulati ac prædati ſunt, atq; Helenen redemerūt. Nā ea de cauſa à nobis Potentia dictū eſt, quòd fieri poſsit, ut ex multis huius generis orationibus aliquæ falſæ ſint. Quòd ſi oratio ſimplex ex uerbis fuerit, aut ex ſubiecto, & eo, qui dicitur de ſubiecto, & quod tertio loco ſtatuitur, conſtabit, ut Socrates iuſtus eſt: aut ex ſubiecto & eo, quod tertiū occupat locum, & modo, ut Socrates neceſſario rationis particeps eſt. Oratio uerò per ſententiam aut una propriè eſt, aut non propriè. Si propriè, aut aliquid de quodam dicit, aut conditione quadam pronunciatur. Si cōditione efferatur, aut copulata erit, aut disiuncta: quibus exempla quæ attulimus ſuprà, conueniunt. Si uerò aliquid dicat de quibuſdam, & una propriè nō ſit, aut compacta erit, aut diuiſa: quibus illuſtrandis ſuperiora itidem exēpla poſſunt accedere. Si una propriè ſit, aut ex habitu, aut ex re. Habitu, relationeúe, ut in definitionibus: nā, Animal rationis particeps mortale, una eſt oratio, eo quòd nomina in definitione relationē habeāt, unūq; aliquid ſignificent: Si ex re, aiens propriè fiet oratio, ut Socrates inambulat. Aliam quoq; diuiſionem facere poſſumus, qua etiam Ammonius uſus eſt. Cùm uero duo, inquit, uerba dico, & ſignificationem, in oratione ex neceſsitate conſiderentur, duæ unius orationis differentiæ ſpectari debent: altera ex ſimplicibus, & coniunctis: altera ex primis, & ſecundis. atque id in ſimplicibus orationibus primum, poſtea harum medio in compoſitis faciendum eſt. Per ſignificationem una ex uno, & multitudine eorū, quæ ſignificantur, in uerbis non coniunctæ orationes ſunt affirmatio, & negatio: quæ quicquā enunciant, coniunctæ per copulam, in unam conducuntur: quales ſunt connexæ ſumptiones. Ex primis autem, & ſecūdis, ut affirmatio, quæ prior eſt negatione, ex ſignificatione unum ſignificat, ut in definitionibus perſpicuum eſt. Definitio enim unam rem ſignificat, ut in hac, Homo eſt animal rationis particeps mortale. Nam definitiones multa ſignificabūt, ſi ſingula, quæ in eis ſunt, diſtinguātur: ut, Animal eſt, rationis particeps eſt, mortale eſt. At ambiguæ ſignificationis propoſitiones unum non ſignificant, qualis eſt hæc, Aiax cum Hectore manū conſeruit: incertum enim eſt, de quo Aiace uerba fiant. Ex hac igitur uerborum, & ſignificationis diuiſione, tres repugnantiæ ſumuntur: Simplicis ad coniunctam: primæ ad ſecundam: unius ad plures. Sic itaq; dicendum cenſeo. Oratio enuncians partim ſimplex, partim coniuncta: ſimplex partim prima, partim ſecunda: atq; ex his, quæ una eſt, unum: quæ plures, plura ſignificant. Ac ſimplex quidem & coniuncta primum & ſecundum habent commune: quoniam in utriſq; affirmatio eſt, uel negatio, & ita, ut uel finitis, uel infinitis, & quādoq; ſubiectis, & iis terminis, qui de aliis dicantur, uti poſsimus. Affirmationem uerò priorem eſſe negatione, & Ariſtoteles cùm diuideret, clarum reddidit, ait enim, Affirmatio, & negatio. Et ex hoc perſpicuum eſt, quòd negatio confutatio eſt, & prius quàm quicquā infirmetur, aliquid ſit oporteat. Præterea ſi quæ per ſe ſunt, iis ſunt priora, quæ accidūt, affirmatio quidem ea, quæ per ſe in ſubiecta re inſunt, oſtēdit: negatio, quæ accidunt. Qui enim ex iis, quæ non ſunt, alicuius naturā eſſe probat, ex iis probat, quæ accidunt. Illa igitur oratio, quæ ſignificat ea, quæ per ſe ſunt, prior eſt illa, quæ accidentia ſignificat: itemq́; coniungētia coniunctis priora ſunt, ſed affirmatio negationem componit, eſt igitur negatione certè prior. Præterea cùm affirmatio non ſit, neq; negatio erit: quoniam negatio affirmationem non tollit: ex duobus enim, quod alterum tollit, ipſumq́; non tollitur, primas tenet. Qua de cauſa Alexādri ratio locum habere uidetur, qui aiebat, Vbi prius, & poſterius ſit, id quod ibi cōmuniter dicitur, genus non eſſe. Nos uerò dicimus, quatenus enunciationes ſunt, non habere prius & poſterius, quoniam enunciatio & prior ipſa, atq; poſterior exiſteret: uerùm per aliquod aduentitium, uidelicet per aduerbiū, Non, adiectionem ex affirmatione negationem effici. Præterea Ariſtoteles ait, neceſſe eſſe, omnem enunciationē uel ex uerbo, uel caſu uerbi conſtare: nam huiuſmodi orationem dicit non niſi ex uerbo, hoc eſt inſtanti, uel caſu uerbi, id eſt præterito uel futuro, quæ uerbi declinationes appellantur, fieri poſſe: hæc enim ex duobus etiam uerbis, quibus utitur pro antecedenti, & conſeqnenti, componitur: ut ambulare eſt moueri: cùm præſertim non ſemper neceſſe ſit, ut nomen habeat uel maximè cum infinito etiam nomine, & oratione, & nomine utatur: ſine tamen uerbo, aut uerbi declinatione nunquam eſſe poterit, quod de quodam dicitur. Tum ait: Quid autem cauſæ ſit, cur totum hoc animal gradiens bipes unum quoddam non multa ſignificet, & reliqua. Oſtendere uult, hanc orationem unam eſſe, quòd natura ſit una, etiam ſi inter ſe uerborum propinquitate teneatur: nam cùm unum ſubiectum ſit, ipſius quoque unam definitionem naturaliter dicit eſſe. Quidnam enim aliud eſt homo, quàm animal gradiens bipes: quæ una eſt ſignificatio? Vna autem enuncians oratio eſt, quæ aut unum ſignificat, aut quæ una eſt coniunctione. Hæc dicta ſunt propter ea, quæ ambiguæ ſignificationis ſunt, quæ unum non denotant, ut canis: ambiguum enim uerbum eſt. Definitiones uerò unam rem aperiunt, licet multa dicantur: quandoquidem unum explicant, uel coniunctionibus carent: etenim huiuſmodi etiam multa ſignificant. Tum ait: Ac nomen quidem, & uerbum uocabula tantummodo uocentur. Poſtquam de uniuerſa oratione nobis præcepta dedit, noſq́; enunciantem docuit, atque eam ſine uerbo eſſe non poſſe probauit: perſequitur, ut de Vocabulo diſſerat: quod Vocabulum, & Verbum inter ſe quodammodo conueniunt. Diximus enim hæc eadem eſſe ſubiecti ratione, ſed relatione differre. Ait igitur, Vocabulum nec ueritatem, nec falſitatem dicere: qui enim dixerit pronunciati partem, quę nomen eſt, aut uerbum, ſiue rogetur, ſiue nō rogetur, ſiue etiam ipſe

ſua ſponte dicere uoluerit, nec ueri, nec falſi quicquam declarauerit. Exiſtit autem hoc loco quæſtio quædam, cur magis φάσιν, quàm φάναι, cur inquam uocabulum potius, quàm explicationem dixerit: quæ reiicitur ſic: Vocabulum in terminatione cum negatione & affirmatione quãdam communitatem habet: quæ ſine cauſa parum rationi conſentanea eſt, ſed propterea à nobis allata, quòd antiqui huius uocabuli, non tamen in hac ſignificatione, meminere. Ac Plato quidem philoſophorum omnium facilè princeps uocat τὰς φύσεις formarũ, quibus materia adiuncta eſt, Explicationes: quòd oriantur, & occidant. Præterea duas Enunciati definitiones tradit, quarum eſt prima ad hunc modum: Enunciatio eſt uox, quæ aliquid de quodam dicit, uel aliquid cuidam ineſſe negat. Altera eſt, Vox quæ aliquid de quodã dicit, uel negat, pro ratione temporũ: præſentis uidelicet, præteriti, & futuri. Enunciatio igitur tanquam genus in partes, in Affirmationẽ & Negationẽ diuiditur: non ſicut ea, quæ res differẽtes proſcrat, quod eſt eorum propriũ, quæ ut genus in formas diſtribuuntur: ſed ueluti diuerſas ſignificationes. Quibus peractis, contradictionis doctrinam nobis tradit. Dubitamus hac ſtatim in re, quam ob cauſam in reliquis numerandis non meminerit Contradictionis. Quod duabus cauſis factum comperio: cùm enim affirmationis & negationis, ex quibus contradictio conſtat, meminerit, illam ipſam neutiquã annumerauit. Secũda cauſa eſt, antiquos nullam huius uerbi feciſſe mentionem: quod etiam nobis declarat, ab Ariſtotele fuiſſe Contradictionis nomen inuentũ: ait enim, Contradictio autẽ hac definitione explicetur, & cætera. Eius igitur definitio eſt pugna inter affirmationem, & negationẽ, quæ uerum à falſo diſcernit: quæ definitio quibuſdam obſeruationibus indiget, ut uera ſit. Ait præterea, Quę eiuſdẽ rei eſt, & de eadem re dicit, de qua altera: ne aliud ſubiectũ ſit, aut aliud quod de ſubiecto dicatur: ut ſi dixero, Aiax ſolus pugnauit cũ Hectore: Aiax nõ pugnauit cum Hectore, incertum erit de quo Aiace, de Oileo'ne, an de Telamonio loquar: atq; ex hoc fit, ut repugnãtia uera & falſa æquè ſit, quod fieri nullo modo poteſt, de termino, qui dicitur, eadẽ eſt habenda ratio: ne dicamus, Socrates mouetur, Socrates nõ mouetur: ei enim accidit, ut cùm ambulet moueatur: & cùm diſputet, ut ſeſe nõ moueat. Tum ait: Non ambiguè: ut, Aiax ſolus pugnauit cũ Hectore, Aiax nõ ſolus cũ Hectore pugnauit: Non eadẽ ratione: ut ne dicas, Homo uadit, Homo nõ uadit: nam efficitur ut alter uadat, alter nõ uadat. Per aliud, & aliud: ne dicas, Oculus albus eſt, oculus albus non eſt: nam ex alia partę albus eſt, ex alia albus non eſt. Aut ut decem duplum eſt, & non duplum: duplũ quidem ſi ad quinq;, non duplum uero ſi ad triginta referatur. Non in alio, atq; alio tempore: ut, Socrates deambulat, Socrates non deambulat. Non alio, atq; alio modo: ut, Nix alba eſt, & alba non eſt: nam ſi ad ſuã naturam reſpicias, alba erit: ſi ad colorem & qualitatẽ, non erit alba. Aut actu & poteſtate: ut, Catulus aſpicit, & catulus non aſpicit. Quibus conſideratis de diuiſione, quæ in contextu orationis eſt, oritur quæſtio. Quando, inquit, quod in aliquo ineſt, negari poteſt ineſſe. Diuiſio ita facienda eſt: Res aut inſunt, aut non inſunt: & uel eas ineſſe, uel non ineſſe dicimus. Atque ſi inſint, & ipſas ineſſe dicamus, affirmatio uera fiet, ut Socrates iuſtus eſt. Si non inſint, eaſq́; non ineſſe dixerimus, uera negatio fiet: ut, Hippocentaurus non eſt. Si non inſint, & ipſas ineſſe affirmauerimus, falſa affirmatio orietur: ut Hippocentaurus eſt. Si inſint, & ineſſe negauerimus, falſa negatio conficietur: ut, Homo animal non eſt. Ipſe igitur Ariſtoteles primas illas, quæ in angulis ſunt, tanquam falſas, & contrarias dixit, ut omni affirmationi negationem contrariam eſſe declararet: atq; ea ratione contradictionem introduceret.


IN SECVNDAM PARTEM

PRAEFATIO.

QVIA primam particulam, iam ſatis commodè, ut opinio mea fert, intelleximus, promiſſaq́; peropportunè perſoluimus: conſequens eſt, ut ad ſecundam partem nos conuertamus: in cuius initio ſe nobis ſtatim offert dubitatio quædam: Cur in prima particula de enunciatione ſe docturum eſſe pollicitus ſit, & de eius partibus tantummodo dixerit. Quam facillimè ſoluimus: nam cùm nos eius partes docuerit, totum etiam docuiſſe uidetur: cùm is qui partes percipit, uniuerſum etiam, quod ex illis conflatũ ſit, exploratum habeat. Sed alia quæſtio exoritur, quonam pacto negationes de affirmationibus fiãt: Quod ut nobis compertum ſit, tria quædam capita præſumemus. Quæremus primùm, quid Determinatio ſit: neq; id quidem fruſtra, eſt enim de propoſitionibus nobis propoſitum, quarum cùm aliquæ determinatæ ſint, & aliquæ ſine determinatione proferantur: efficitur, ut quid Determinatio ſit, inueſtigemus. Deinde quæremus, Quomodo negationes ex affirmationibus fiant: idq́; non fruſtra quæri illud clarum facit, quòd cuique affirmationi contraria eſt negatio. Poſtremò numerum propoſitionum, quæ ex terminis, eo qui dicitur, & eo de quo dicitur, ſunt conflatæ, inueſtigabimus. Qui quidem labor nec temerè ſuſcipietur: quia cùm multæ propoſitiones præter has inueniantur, infinitas non eſſe planum eſt. Nam ſi alias præter ipſas poſſumus accipere, paret eas eſſe finitas: id enim extra quod nihil quicquam aſſumi poteſt, dicitur, & eſt infinitum. In Determinatione igitur quinq; ſunt quærenda. eius Natura, quæ definitio eſt, Numerus, Vis, Oppoſitio, atque Appellatio. Primum igitur dicimus Determinationem eſſe adiectionem quandam ſubiecto ſemper coniunctam, declarantemq́, quanam ratione terminus, qui aliquid dicit, ad ſubiectum ſe habeat cum ea multitudine, quæ in ſubiecto ineſt, quatenus ineſt. Adictionem dixi, quia neq; nomen, neq; uerbum eſt, ſed tanquam addictio.

ctio. Illud autem, qua ratione terminus qui dicit, ſe habet ad ſubiectum cum ea multitudine, quæ in ſubiecto eſt, quatenus ioeſt, dixi, ut percipiamus utrum de omni, & uniuerſo ſubiecto ille terminus dicatur: ut in hac oratione, Omnis homo animal eſt: declarat enim animal ineſſe homini, atque de omni hominis multitudine dici, id eſt de ſingulis hominibus: ut quidam homo animal eſt. De Numero hoc eſt dicendum. Sunt enim Determinationes numero quatuor. Enimuero in definitione diximus à termino qui dicit, declarari quomodo ſubiectum ad multitudinem affectum ſit: & multitudo quantitas eſt, neceſſe igitur eſt, ut ex ipſo quaoto eas Determinationes, quæ uniuerſis, & quæ ſingulis rebus adiunguntur, accipiantur. In definitione prӕterea dictum à nobis eſt, quatenus ineſt, & ea inhӕrendi uis qualitas eſt. Ex qualitate igitur aut aientes, aut negantes aſſumendæ ſunt. Determinationes igitur quatuor ſunt, duæ uniuerſales aiens, & negans, ut omnis, & nullus: duæ ſingulares aiens ut aliquis, negans ut non omnis. De Vi, & Potentia ſatis dictum erit, cùm perceperimus hanc Omnis in materia neceſſaria ſemper uerum dicere. Materiæ enim tres ſunt: Neceſſaria, quæ ſcilicet cohibet in ſe naturalem efficientiam, ut Omnis homo animal eſt: aut, Omnis homo eſt ridens: nam etſi non ſemper rider, ſemper tamen ad riſum aptus dicitur. Quę fieri nō poteſt: ut, Omnis homo penniger eſt: Contingens, id eſt fortuitò a otegreſſa: ut, Omnis homo iuſtus eſt. Hæc igitur determinatio Omnis, ſemper in neceſſaria materia uera eſt: ut Omnis homo animal eſt. Nullus uerò, in eadem materia ſemper falſum dicit: ut, Nullus homo animal eſt. In ea autem, quæ fieti non poteſt, contrà repetitur: nam Nullus ſemper uera eſt, ut, Nullus homo alas habet: & Omnis falſa. In contingenti utræq; falſæ ſunt: ut, Omnis homo iuſtus eſt, Nullus homo iuſtus eſt. Ex ſingularibus, hoc eſt Aliquis, & Nō omnis: Aliquis in materia oeceſſaria uera eſt, non tamē natura ſui, ſed propter uniuerſalem: propterea quòd ſi uniuerſalis uerum dicit, Singularis idem facit. Hæc autem Non omnis, falſa eſt propter ſuam uniuerſalem. In contingenti autem uerum utræq; dicunt: non tamen propter uniuerſales, ſed propter ſeipſas, ſiquidem in hac materia uniuerſales mentiuntur. Harum omnium hæc eſt oppoſitio. Omois, Nullus, Aliquis, Non omois: ex quibus Omnis & Nullus aduerſæ ſunt, Aliquis & Non omnis aduerſis contrarię, atq; ideo ſub aduerſas ſubiiciuntur: nam Aliquis ſub Omnis, Non omnis ſub Nullus conſtituitur. Sed quid cauſæ eſt, cur Omnis & Nullus aduerſæ ſint? Quoniam, inquam, aduerſa inter ſe diſtant plurimū, eodem etiam pacto Non omnis à Nullo differt: quandoquidem ſeſe mutuo interimunt, & nunquam uerum dicunt, nam in materia contingenti falſæ ſunt. Illæ uerò, quæ ſunt in angulis conſtitutę, uidelicet Omnis, Nō omnis, Aliquis, & Nullus, repugnanter opponuntur. Omnis autem huic Aliquis, & Nullus huic Non omnis ſubalternæ ſunt: nam ſe uiciſsim excipiunt, ueluti uniuerſale & ſingulare: quia ſubalternæ contrariæ ſunt. De hac autem determinatione Aliquis, nonnulli dubitant, quidnam cauſæ ſit, quare ſibi minimè Nō aliquis, ſed Nullus opponatur. Nos autē dicimus. Non aliquis, potius eſſe poëtarum, quàm philoſophorū.

Præterea quærunt, cur ei, Ne unus, non aduerſetur: Quibus, propter malum ſonum noo fieri, reſpondemus. Item quare ſibi non opponatur Noo unus: Quibus dicimus, Nō unum, non modo nullum, ſed etiam multitudinem ſignificare. Dictitant etiam, ſi hæc ſola negatio οὐ adiecta negationem facit, quare ei hanc ſyllabam δεὶς iunxit? Ac primum dicimus, οὐ non eſſe negationem, ſed determinationem. tum id ſolum, propterea quòd hiulca erat oratio, δεὶς adiunctum fuit, ſed ut tota res intelligatur, quadratum hoc loco deſcribendum cenſui.



Præterea quærunt de nomine Nos dicimus, Omne dictum eſſe, quod omnia complectatur, & extra omnia ſit: Nullum uerò, quod nihil in ſe cōplectatur. Non ceſſant etiam quidam ab hæſitationibus, ſed dubitant, quare huic uerbo, Nullus, non cōtraria ſit hæc uox, Vnus. Dicimus Vnum eſſe ſingulare, ut ſi quis unum Solem, unum'ue mūdum dicat. Alterum caput fuerat quomodo ex affirmationibus negationes fierent: quod ut clam reddatur, quatuor quaſdam aſſumptiunculas præſumemus, quarum hæc prima erit: Aduerbium hoc, Non, ſi additum fuerit, negationem efficere. Altera erit, hanc Negationem non, potiori propoſitionis parti eſſe addendam. Tertia, in ea propoſitione, in qua nō ſit finitio, ſeu determinatio, terminum de ſubiecto dictū fore ſubiecto nobiliorē, ſi ſubiectus ab alio termino naturā ſuam ducat: illud enim, quod præbet, melius accipiente cenſetur: præterea ſubiectum materiæ rationem ſortitur, alter terminus, formæ. Atq; palam omnibus eſt, in quibus ſumptionibus ſit determinatio, in iiſdem eſſe principē locum.

His ita conſtitutis perſpicuum eſt,in quibus determinatio non ſit,hoc uerbum Non,apponendam eſſe ad terminum,qui dicit,ut negatio fiat:at ſi determinatio fuerit,quoniam ipſa termino,qui dicit, præſtantior eſt,(ſignificat enim quomodo terminus is,qui dicit,ſubiecto inſit) hæc particula, Non, ad determinationem erit adiicienda. Quòd ſi quis inſurrexerit,rogetq́;,qua de cauſa minime addamus Non ſubiecto,ut fiat negatio hoc modo,Non Socrates ambulat. Ei paulo ante ſatisfactum puto,cùm dicerem,Non pręſtantiori parti coniungendum eſſe,quò negatio uera efficeretur:itemq́;,eo quod negatio illud auſert,quod aſſirmatio affirmauerit. Nam ſi quis dicit,Socrates ambulat,Non Socrates ambulat,utrunq; uerũ dicit:cùm fieri poſſit,ut non ambulante Socrate, Alcibiades ambulet. Reſtat ut de propoſitionum numero,quod tertio loco propoſueramus, diſcutiẽdum ſit. Propoſitionum igitur aliquæ ſunt Finitæ,aliquę Infinitæ. Finitæ,ut homo albus. Infinitæ,ut non homo albus. Finitarum quædam Non determinatę,quæ inquam ſine finitionibus proferuntur:quædam Determinatæ ſunt,ot omnis homo albus. Quæ determinatæ ſunt, aut uniuerſæ rei determinatione præditæ ſunt,ut omnis homo albus : aut partis rei , ut quidam homo albus. Quæ uerò determinatione carent,aut finitæ ſunt,aut ſingulis accommodantur. De finitis eſt dictum ſæpiſſimè:Singulares erunt,ut Socrates ambulat. In determinato igitur ſubiecto quatuor affirmationes fiunt: ſed quia unicuiq; affirmationi contraria eſt negatio,ſunt etiam harum totidem affirmatiooes , & ita octo propoſitiones omnes fiunt. In iis,quæ infinitum habẽt ſubiectum, eſt eadem ratio:nam infinitæ uel determinatę ſunt,uel non ſunt. Si determinatæ,uel uniuerſales ſunt,uel parti conueniunt:Si determinatæ nó ſint,aut infinitæ,aut ſingulares erunt:& ita quatuor præterea affirmationes oriuntur,quæ de uniuerſo eſt, & quæ de parte,quæ indefinita,& quæ ſingularis eſt. Hanim extant etiam negationes quatuor,ex quibus omnibus octo ſumptiones fiunt. Quæ igitur ſubiectum determinatum,& infinitum habent, ſimul ſexdecim propoſitiones introducunt:quæ ter in tribus temporibus ductæ præſenti,præterito, & futuro duæ de quinquaginta fiunt,quæ poſtea in tribus mareriis fiunt centum quadraginta quatuor,quarum oppoſitiones duæ & ſeptuaginta numerantur.

SECVNDA PARS.

QVONIAM autem res partim Vniuerſæ ſunt,partim,Singulę(Vniuerſas dico eas,quæ ſuapte natura de multis dicuntur, ut homo : Singulas, quæ non dicuntur,ut Callias) neceſſe eſt enunciare aliquid inesse, aut non ineſſe cuipiam rerum uniuerſarum , aut ſingularum. Ac ſi quis aiat, aliquid omnino ineſſe,aut non ineſſe in re uniuerſa, contrariæ erunt enunciationes. Dico autem in re uniuerſa dici uniuerſum, ut in his , Omnis homo albus eſt, Nullus homo albus eſt. Cum autem de uniuerſis quippiam non uniuersè enuncietur,non ſunt contrariæ enunciationes:Fit tamen quandoq;, ut ea,quæ explicantur,ſint contraria. Dico autem de re uniuerſa non omnino dici, uelut in his,Homo albus eſt,Homo non eſt albus. quamuis enim homo in rebus uniuerſis ſit,tamen nõ fuit uniuersè enuntiatum. Omnis quidem uniuerſum non ſignificat,ſed uniuersè dicit. In re uerò, quę uniuersè dicitur,illud Vniuersè nunquam uere dicitur. nulla enim uera eſſe poteſt affirmatio,in qua de re,quæ omnino dicitur,aliquid omnino enunciatur:eiuſmodi eſt hæc enunciatio , Omnis homo omne animal eſt.

QVIA in præfatione ſecundæ partis & quid Determinatio ſit,& quot ſint determinationes, explanaui,ſecundam hanc nunc partem aggrediens,dubitationi,quam certi homines attulerunt, eſſe occurrendum puto. Aiunt enim,quid cauſæ ſit,cur determinationes termino,qui dicit , æquè ac ſubiecto non coniungantur,ut dupliciter determinatæ propoſitiones fiant hoc pacto, Omnis homo omne animal eſt . Eam quidem dubitationem tollit Ariſtoteles huiuſmodi propoſitiones reprehendens. Primum igitur quærendum eſt,quot ſint hæ propoſitiones,atq; harum diſcrimen declarãdum:deinde,quare ab Ariſtotele reprobentur:tum,cur ſolam illã euerterit,quæ hanc determinationẽ Omnis etiã habet in termino qui enunciatur,ut Omnis homo omne animal eſt. Poſtremo dubitationes contra ipſum philoſophum,& earum ſolũtiones afferemus. A primo itaq; initiũ ſumã. Eiuſmodi propoſitiones X V I. numero ſunt:nam cũ quatuor ſint determinationes,in unaquaq; determinatione quatuor inuenientur. atque ut hoc percipiatur, uoius exempli appoſitione perſpicuum,ac planũ fiet:Omnis homo omne animal eſt:Omnis homo nullum animal eſt:Omnis homo non omne aoimal eſt:Omnis homo aliquod animal eſt. iam ex hac determinatione Omnis,cum reliquis determinationibus coniuncta quatuor propoſitiones eliciuntur. Eodẽ etiã ordine in bis alus Nullus, Aliquis,& Non omnis procedẽdum eſt:unam enim quanq; ad ipſas quatuor cõparare debemus,& ita quatuor quater ductæ ſexdecim fient. Earum hæc eſt differentia . quatuor in omni materia

ſemper

ſemper ueræ ſunt:hæ ſunt, Omnis homo non omne animal eſt: Omnis homo nullum uolans eſt: Omnis homo non omne uadens eſt: Aliquis homo nõ omne animal eſt: Aliquis homo nullum uolans eſt: Aliquis homo non omne uadens eſt: Nullus homo omne animal eſt. Simili ratione fit in materia contingenti, atq; ea, quæ fieri non poteſt: ut, Non omnis homo omne animal eſt: atque in reliquis duabus. Quatuor autem ſemper mentiuntur, ut Omnis homo omne animal eſt: & in contingenti, & ea quæ fieri non poteſt æquè fit. Nullus homo non omne animal eſt. pariter etiam in reliquis duabus materiis. Octo uerò, quæ reſtant, ſunt ambiguæ, quæ in ſubiecta materia uerſantur, atque in neceſſaria accipiuntur, ut Nullus homo omne animal eſt, hæcq; falſa eſt: aut in contingenti, ut Nullus homo ambulat. id enim uerum eſt, propterea quòd Nullus aliquem hic ſignificat. In ea uerò materia, quæ fieri non poteſt, uerum & falſum dicunt. Secus etiam de iis, quæ ſemper ueræ, & quæ ſemper falſæ ſunt in omni materia dicere poſſumus. Huiuſmodi enim falſę ſunt, Omnis homo omne animal eſt: Aliquis homo omne animal eſt: Nullus homo eſt omne animal: Non omnis homo omne animal eſt: quæ quatuor ſunt. Iis uerò contrariæ ueræ ſunt, Omnis homo aliquod animal eſt: Nullus homo aliquod animal eſt. (Nullus enim aliquem ſignificat) Non omnis homo aliquod animal eſt. quod etiam magis uerum eſt. Exquirimus igitur, quid cauſæ ſit, cur omnes reprehendat: atq; interim de iis, quæ uel ſemper ueræ, uel ſemper falſæ ſunt, quas quidem per ſe ipſas, non propter res ueras eſſe dicimus, aut falſas. Eas igitur, quæ ueræ ſunt, quia non propter res ueræ ſunt, reprobat: falſas uerò, quia nõ decet philoſophum mentiri. Supereſt, ut de ambiguis diſſeramus, quæ cùm non propter ſeipſas, ſed propter res, aut ueræ, aut falſæ ſint, hacq; in re contradictiones determinatas imitentur, duabus de cauſis ab Ariſtotele reiectæ ſunt. Primùm, quia eædem ſunt atq; illæ, quæ unam determinationem habent: qui enim ait, Aliquis homo aliquod animal eſt: idem ſignificat, atque ille, qui aliquem hominem animal eſſe dicit: deinde propter obſcuritatem. Sæpenumero enim hæc determinatio Aliquis in ſubiecto eſt, & in termino, qui de ſubiecto dicitur, Non omnis: & utrum negatio ſit propter hoc uerbum Non omnis, an affirmatio, propter hoc, Aliquis: incertum eſt. Cur uerò omnes non improbauerit, ſed hanc ſolum, Omnis homo omne animal eſt: hoc fuit in cauſa, quòd Omnis & quantitate & qualitate cæteris præſtat omnibus. Ea igitur quæ excellentior eſt, & manat latius, ſublata, reliquę quoque ad nihilum pereunt. Si item huic Omnis, interitus afferatur, neceſsitate quadam fit, ut Aliquis intereat, atq; etiam hoc uerbum Nullus, quod eſt Omni contrarium. Si uerò Nullus adimatur, non habebit, cui opponatur, & ita eius quoque ſingularis auferetur. Ambigunt quidam, quid cauſæ ſit, cur hæc enunciatio Omnis homo omne animal eſt, ſublata ſit, cùm, ſi dixerimus Omnis homo omne ridens eſt, uerum dicamus. Nos dicimus, ſi Omnis homo omne ridens ſit, unumquenq; hominem omne ridẽs fore: quod ſi ita ſit, Socrates erit omnes homines, cùm probatum ſit eum eſſe omne ridens. De hac etiam propoſitione dubitant, Omnis homo eſt omnis ſcientiæ capax: quæ uera eſt, & duabus determinationibus prædita. Dicimus igitur particulam illam Omnis, quæ ſcientiæ adiuncta eſt, non eſſe illam quidem determinationem, ſed eius termini partem, qui enunciatur: quoniã niſi eius pars eſſet, duæ determinationes in eo termino inuenirentur: ſic enim duplicatur: Omnis homo eſt omnis ſcientiæ capax: & quod eſt omnis ſcientiæ capax, animal eſt. Tu uerò qui dubitaſti, inquis ne hoc uerbum, Quod, eſſe determinationem Aliquis, an aliam? nam ſi aliam eſſe conceſſeris, duæ erunt. ea uidelicet, quam tu inquiſti, & ea quæ prius erat. quod probatum eſt fieri nullo modo poſſe. Quod autem ait:

Quoniam autem res partim uniuerſæ ſunt, partim ſingulæ. Declarat ex propoſitionibus quaſdã eſſe uniuerſarum rerum, qualis eſt hæc, Omnis homo eſt rationis particeps: alias eſſe ſingularũ, ut, Aliquis homo eſt albus, & Callias doctus eſt. Tum ait: Vniuerſas dico eas, quæ ſuapte natura de multis dicuntur. Quæ dixit, propter ea, quę ſunt ambiguæ ſignificationis: quæ de multis quidem illa dicuntur, ſed non ita, ut ea, quæ pro arbitrio noſtro definitam habent naturam. Canis enim de cœleſti, terreſtri, & maritimo dicitur. Tum ait: Ac ſi quis aiat, aliquid omnino ineſſe, aut non ineſſe. Etenim inquit, ſi in iis, quæ terminum, qui dicitur, definitum habent, uniuerſales determinationes conſtituentur, propoſitiones contrariæ fient: ut Omnis homo albus eſt, Nullus homo albus eſt. ea enim cauſa contrarias uocat, quòd maximum inter illas diſcrimen uerſetur, & ſimul nunquam uerum, ſed falſum dicant: quo fit, ut contraria medio carentia conſequantur: Aliquis enim, & Non omnis, ea cõtraria imitantur, quæ medium habent, ex eo, quod ſub extremis contrariis ſunt conſtitutæ. Tum ait: Cum autem de uniuerſis quippiam non omnino enuncietur, non ſunt contrariæ enunciationes. Cùm inquit, ſine finitione accipiuntur, non ſunt repugnanter oppoſitæ, ſed uidentur eſſe contrariæ: ut, Homo albus eſt. Homo non albus eſt. nam hæ ſimul ueræ ſunt. id enim, quod album eſt, in lacte, & quod nõ album eſt, in Aethiope eſt. quare albus & non albus repugnantiam declarant. Tum ait. In re uero, quæ uniuerſe dicitur, illud uniuerſe nunquam uere dicitur. Hoc loco incipit eas propoſitiones reprobare quæ duas determinationes habent. Tria enim neceſſaria ſunt ad repugnantiam efficiendam ſubiectum, quod contraria poſſit admittere, terminus is, qui de alio dicitur, contrarius: & ipſa medio uacans repugnantia.

AFFIRMATIONEM igitur negationi repugnanter opponi affirmo, quæ rem uniuerſam in eodem ineſſe ſignificat, ſed non uniuersè. ut, Omnis homo albus eſt, Non omnis homo albus eſt: Nullus homo albus eſt, Quidam

homo

homo albus eſt. Contrario uerò nomine opponitur rei uniuerſæ affirmatio rei uniuerſæ negationi ſic: Omnis homo iuſtus eſt, Nullus homo eſt iuſtus. Quamobrem hæ ſimul ueræ eſſe non poſſunt: uerùm fit, ut his cõtrariæ ſimul de eodem uerè dici poſsint: ut, Non omnis homo albus eſt, Aliquis homo albus eſt. Ex cõtradictionibus igitur, quæ ex rebus uniuerſis omnino ſunt, alteram ueram eſſe, alteram falſam neceſſe eſt. Idem fit in ſingularibus: ut, Socrates eſt albus, Socrates noneſt albus. Illarum autem, quæ ex uniuerſis non omnino ſunt, non ſemper altera uera eſt, falſa altera. Nã hæ ueræ ſimul dicuntur: Eſt homo albus, Non eſt homo albus. Et hæ, Eſt homo pulcher, Non eſt homo pulcher. nam ſi deformis eſt, non formoſus eſt. atque cum fit aliquid, nondum eſt. Sed hoc ſtatim abſonum uidebitur, cùm hæc enunciatio, Non eſt homo albus, idem quod illa ſimul: Nemo eſt albus, ſignificare uideatur: uerùm neque idem ſignificat, neque ſimul eſt neceſſariò.

SVBIECTVM in Vniuerſum, & in Singulare diuiſimus: atq; Vniuerſum in uniuerſum cum uniuerſo, ut Omnis homo ambulat: & in uniuerſum non totum & omnino, ut Non omnis homo ambulat. Nam cùm homo in uniuerſis rebus ſit, Non omnis, quæ determinatio eſt, non eſt in uniuerſis. Diſtinximus etiam ſubiectum in uniuerſum cum aliqua parte, ut Aliquis homo deambulat, & malam eius termini, qui dicit, diuiſionem refutauimus. Nunc ad eam partem deueniamus, quæ ſupereſt de repugnantiis declarandis. Repugnanter igitur opponuntur, quę ſemper uerum à falſo diſtinguunt: ueluti quæ in angulis ſunt cõſtitutæ, quæ Diſparatæ uel repugnantes appellantur: quales ſunt, Omnis, Nõ omnis: Aliquis, Nullus. Contrario uerò nomine opponuntur, quæ non ſimul uerum, ſed falſum ſimul dicunt. ut Omnis, & Nullus: quæ in nulla unquam materia ſimul ueræ dicuntur. In contingenti uerò ſimul falſum enunciant: hæq; Contrariæ nominantur. In eadem materia Aliquis & Nõ omnis ſemper ueræ ſunt, ut Aliquis homo deambulat: &, Non omnis homo deambulat. At quæ repugnanter opponuntur, uerũ à falſo in omni materia ſeparant ſemper, & id eſt in cauſa, cur opponantur. iis ſimiles ſunt ſingulares. nam & ipſę in omni materia uerum à falſo diſtinguunt. Non determinatæ uerò ſimul uerum dicunt: ut, Homo deambulat, Homo non deambulat. Quod in cauſa eſt, ut nihil inter ſe contrarię eſſe uideantur. Nobis nunc propoſitum eſt, ut quæramus, quibus hæ pares ſint: in qua re Platonici, & Ariſtotelici omnes conſentiunt, indefinitam affirmationem. qualis eſt, Homo deambulat, ſingulari determinatæ parem eſſe, quæ hæc eſt, Aliquis homo deambulat. Atq; ut hoc nobis compertum fiat, qui nam ſint communes conſenſus uidendum reſtat. Hi tres ſunt: quorum primus eſt, Indefinitã propoſitionem materiæ rationem poſsidere: nam ut materia formas omnes ſuſcipere poteſt, ſic etiam propoſitio omnes determinationes. Alter: Materiam eſſe deteriorum formarum ſuſceptricem. Non enim angelicam ſibi aſſumit. At ſpecies aut melior eſt, ut ſupra corpus: aut peior, ut in corporibus. Tertius eſt: Concluſionem ſequi peiorem propoſitionem. Cùm itaq; infinita materiæ rationem habeat, determinationes recipit, uerùm quoniam materia nequiores formas ſuſcipit, ſingularum rerum affirmationem deteriorem, tanquam materiam, capiat neceſſe eſt: quandoquidem ea peior uniuerſali ſemper eſt habita. Nunc uerò inueſtigemus, Cui nam par ſit negans infinita, Homo non ambulat: utrum par ſit uniuerſali negationi determinatæ, an negationi ſingulari. Atq; Academici dicunt, eam uniuerſali negationi æqualem eſſe, hacq; ratione nituntur. Aiunt enim, hoc uerbum Nullus, eſſentiam omnino nullam introducere: &, Nõ omnis, tum introducere, tum etiam non. Si igitur ei peiorem determinationem uelimus adiũgere, & ea quæ nullam introducit naturam, peior ſit, qualis eſt Nullus, quæ negationem uniuerſorum facit, ea nimirum negationi par erit. Aiunt quoq; Ariſtotelem nouiſſe negationẽ infinitam idem, quod uniuerſalis, ualere: cùm dicat, ſenſum præter quinq; ſenſus non eſſe: motumq; præter ea, quæ mouentur, non dari. Ipſe etiam Poetarum maximus ita ſcripſit:

Res mala, multorum populos ditione teneri.

Comici etiam ita loquuntur: Nec tu domum ſanam reperias nunc eſſe.

Tragici quoq; ſic ſcribunt: Nemo mortalium liber eſt.

In quos omnes Peripatetici inſurgunt. ac primum quidem ſi uniuerſali negationi, & determinationi, quæ parti accommodanda eſt, commune eſt. ut non ſint, ſingularisq́; ſit uniuerſali deterior, negatio infinita, quę eſt ſingularis negans minori, & peiori par, atq; æqualis erit. At quomodo inquiunt Ariſtotelem dixiſſe non eſſe ſenſum præter quinque ſenſus. & motum præter ea, quæ mouentur, & Poëtam tot Reges in terris eſſe, malum eſſe: & reliqua, quæ illi errore ducti adiunxerunt? an in ea materia, quæ fieri non poteſt: an in ea, quæ fortuita eſt? Nam ſi in ea, quæ fieri non poteſt: ita'ne erit, ut nequeat eſſe domus malorum expers; aut multæ ditiones non bonæ? Primum quidem omnes uno ore fatemur, in ea materia, quæ fieri non poteſt: determinationem Non omnis, huic Nullus, parem eſſe. ut in hac oratione patet, Non omnis homo lapis eſt, hoc eſt Nullus homo eſt lapis. Quòd ſi dixeritis, in ea materia, quæ fieri nequit, deter-

minatam

minatam negationem uniuerſalem,indefinitæ negationi parem eſſe ex eo, quòd ſingularis negans determinata uniuerſali neganti par ſit:habebimus quod uolebimus. At ſi hoc uerbum Nullus, ut fortuitum maiores acceperunt,quorum etiam afferuntur teſtimonia,nullus in contingenti materia uerum dicere reperietur,quod fieri non poteſt.Probatum enim eſt,hoc uerbum Nullus, in ea materia uerum non dicere. Addunt etiam Peripatetici communiter conſenſum eſſe, concluſionem ſequi deteriorem propoſitionem: nam ſi propoſita uniuerſa,& ſingula ſint, ſingula ſequetur:ſi uerò utraq; uniuerſalis propoſitio ſit, negans negantem,aiens aientem cõſequetur:at ſi una ſit uniuerſalis negans,ſingularis aiens altera,ſingularem ſequetur:qua de re hanc rationem cõpoſuimus. Homo iuſtus eſt:Nemo iuſtus iniuſtus eſt: Homo igitur iniuſtus non eſt.In qua ea quæ determinata non eſt,quæq; concluſio eſt,hæc inquam,Homo iniuſtus nõ eſt, ſecuta eſt ex ſingulari,& in ſingularem negantem eſt conuerſa.Platonici uerò hanc cõcluſionem aiunt effici neceſſariò:propterea quòd determinatæ propoſitiones ſumuntur:id quod in cauſa eſt, ut ſingularis negans fiat concluſio.Nam ſi omnes,inquiunt,non definitæ capiantur, quid ſecuturum ſit, incertum eſt.ut homo iuſtus eſt,iuſtus iniuſtus non eſt:homo igitur iniuſtus non eſt.Quos omnes in unum congruere facit Ammonius,maximus ſanè philoſophus:ait enim,Platonis ſtudioſos,& eos etiam,qui ab Ariſtotele profecti ſunt,uera loqui.Quia ſi Non negationẽ ſubiecto in non determinata coniunxeris, par erit neganti uniuerſali definitæ. Affirmationem enim non determinatam parem ſingulari aienti,quæ eſt Aliquis, eſſe diximus:ut,Aliquis homo deambulat.Si igitur huic Aliquis,Nõ negationem appoſueris,hanc efficies,Non aliquis homo deambulat.Quod quidem uerbum οὔτις apud poëtas neminem ſignificat:& hęc fiet,Nemo homo deambulat:ut etiam Platonici aſſerebant.Si,Non,ei termino,qui dicitur,addideris, ſingularem negantem conſtitues:ut Aliquis homo non deambulat. Etenim dictum eſt hanc,Aliquis homo deambulat, infinitæ affirmationi parem eſſe.Quidam hallucinatum fuiſſe Ammonium dicunt,cùm diceret,Si adiunxerimus Non ſubiecto,ut in hac,Non homo deambulat, non fore amplius negationem uniuerſalem, ſed affirmationem ex ſubiecto infinito.At nos,quantum noſtra tulerit facultas, Academicos,& Peripateticos concordes eſſe oſtendemus. Platonici igitur naturam rerum contemplantes,non determinatã negationem uniuerſali negationi parem eſſe dicebant,quod nihil eſſe planè concluderet. Ariſtotelici uerò ſolum admoniti ratione diſſerendi,aiebant,hanc negationem Non potiori,hoc eſt termino,qui dicit,addendam eſſe,ex quo ſingularis negatio,cui etiam par eſt efficitur. Nunc uerba Ariſtotelis explicemus:

Affirmationem igitur negationi repugnanter opponi affirmo. Aio,inquit,opponi huic, Omnis homo albus eſt:hanc, Nõ omnis homo albus eſt.& huic,Nullus homo albus eſt:hanc, Aliquis homo albus eſt. Vniuersè autem,inquit ſignificat Omnis homo albus eſt:non uniuersè,Non omnis homo albus eſt.Ex quo fit,ut Nõ omnis,uniuerſa non ſit,licet homo in uniuerſis habeatur. Tum ait: **Ex contradictionibus igitur,quæ ex rebus uniuerſis omnino conſtant,alterã ueram eſſe,falſam alteram eſt neceſſe.** Si quis quærat,Cur ex rebus uniuerſis dixerit:ei reſpondebimus,Contradictionem habere partes, quæ ex uniuerſis,& quæ ex ſingulis conſtent:ut,Aliquis homo deambulat,Nullus homo deambulat: Omnis homo deambulat:Nõ omnis homo deambulat.Ex eo igitur,quod pręſtantius eſſet,uoluit exordiri. **Idem fit in ſingularibus.** Singulare ab eo, quod in parte eſt,hoc differt, quòd id,quod parti ineſt, ab uniuerſali proficiſcitur:ſingulare uerò in indiuiduis dicitur. Atq; ut ſummatim dicam:quæ in parte ſunt,fient, ſi uniuerſum determinationem accipiat ſingulorum:ut, Aliquis homo deambulat.Singulare uerò eſt,ut Socrates deambulat. Tum ait: **Illarum autem,quæ ex uniuerſis non omnino ſunt.** Quæ uerba dicta ſunt, propterea quòd ipſæ quoq; in aliqua materia uerum à falſo dirimunt.Hoc uero loco de Infinitis, quas appellat Vniuerſas,non uniuersè,aut omnino,uerba facit:nam in materia contingenti ſimul uerum dicunt. Deinde ea de cauſa Vniuerſas illas uocat,quia habent hominem pro ſubiecto, qui Homo in uniuerſis eſt: Non omnino,autem addit:quia nõ habent determinationem Omnis,quæ uniuerſa eſt. Tum ait: **Nam ſi deformis eſt,non eſt formoſus.** Quibus uerbis nobis duabus ratiocinationibus oſtendit,eas ſimul ueras eſſe.Eas argumentationes ab iis quæ ſunt,& quæ oriuntur,ſumit.Ac primùm ab iis quæ ſunt hoc modo:Si homo ſit malus,erit non bonus.Ab iis quæ oriuntur ſic: Si exiſtente homine fit homo, qui fit, nondum eſt.atq; ita cùm homo ſit,non erit. Tum addit: **Sed hoc ſtatim abſonum uidebitur.** Cogitaret, inquit,aliquis,cùm audiret hæc:Non eſt homo albus:nos uelle dicere, Nullum hominem album eſſe.Sed nõ ita ſe res habet.nam uniuerſalis eſt negans,& determinata,& hæc neq; uniuerſalis eſt,neq; determinata:ex quo conficitur,ut non idem ſignificent.

VNIVS autem affirmationis unam eſſe negationem conſtat: nam oportet idem negari negatione,quod ſit affirmatione cõfirmatum,& de eodem, uel aliquo eorum,quæ ſunt in rebus ſingulis,aut eorum, quæ ſunt in uniuerſis, tanquam uniuerſum,uel non tanquam uniuerſum: ut Socrates albus eſt, Socrates albus non eſt. Quòd ſi quippiam aliud cuidam ineſſe negetur,aut alii cuipiam, hæc non illi opponetur,ſed alia. Huic enim, Omnis homo eſt albus: hæc repugnat, Non omnis homo eſt albus. huic, Aliquis homo albus eſt: hæc, Nullus

homo

homo eſt albus. itemq́; huic, Homo albus eſt: illa, Non eſt homo albus. Vnã igitur affirmationem uni negationi repugnanter opponi: & quænam illæ ſint: contrariasq́; alias eſſe, & quales eſſent: non omnẽ etiam contradictionem ueram eſſe aut falſam: & quid eius rei cauſa ſit: & quando uera eſſet, aut falſa, dictum eſt à nobis. Vna autem affirmatio, & negatio eſt, quę unum de uno dicit aut de re quę uniuerſa eſt uniuersè, aut non ita: ut, Omnis homo albus eſt, Non omnis homo eſt albus. Eſt homo albus, Non eſt homo albus, Nemo albus eſt, Quidam homo albus eſt. Modò album unum ſignificet: nam ſi duobus unum nomen ſit impoſitum, ex quibus unum conſtare non poſsit, una affirmatio, una'ue negatio non erit: ut ſiquis equo & homini nomen ueſtis ponat, ut ſit ueſtis alba, hæc neq; ſimplex affirmatio erit, neq; negatio. Hoc enim nihil differt, ſi dicas, Homo eſt equus albus, an eſt homo albus, & eſt equus albus. Quòd ſi hæ plures ſunt, pluraq́; ſignificant, profectò prima uel multa, uel nihil declarat, propterea quòd nemo equus eſt. Quare in iis unam ueram eſſe, alteram falſam nulla neceſsitas cogit.

PERFECTA diſputatione de Negatione infinita, nosq́; determinauerimus cuinam ea par ſit, ad repugnantias contrarias accedendum eſt. Prius tamen percipiendum eſſe uidetur, utrum una negatio uni affirmationi opponatur, an multæ uni. Vt autem probet uni negationi unam opponi affirmationem, tria corollaria præſumit: quorum primum eſt effatum à natura ductum: Naturam iuſtè, & incorruptè, quæ hic ſunt, adminiſtrare. Quæ ſi multa uni opponi permiſerit, iam non erit iuſta. cum oppoſita non efficiat paria. Tum ait: Si multæ negationes uni affirmationi opponantur, hæ multæ aut unum, aut multa ſignificant. Si unum, una uni oppoſita erit, plures enim idem ſignificant: Si multa, quia negatio id negat, quod confirmat affirmatio, & hæ multa ſignificant, quæ ab his, quæ affirmauerit affirmatio, ſunt prorſus aliena, cõtradictionem non facient. quod ſi ita eſt, neq; negationes unius erunt affirmationis. Poſtea multas fieri propoſitiones dicit, quando aut terminus qui ſubiicitur, aut is, qui dicitur ambiguus eſt. In ſubiecto, ut Aiax ſolus cum Hectore dimicauit: nam Aiax & Locrenſem, & Telamonium infert. In eo termino, qui dicit, ut Socrates mouetur. Nam quia motus ſex ſunt genera, ut ortus, ut interitus, ut acceſsio, deceſsio, commutatio, & loci mutatio: quo motus genere moueatur, incertum eſt. Secũdum caput eſt: In propoſitione aut unum de uno dici, aut multa de multis, aut unum de multis, aut multa de uno. Vnũ de uno ad hunc modum: Socrates deambulat. Vnum de multis hoc pacto: Canis mouetur. Canis multa ſignificat, cœleſtem, piſcem, & terrenum, atq; Diogenem philoſophum: Mouetur autem unum eſt. Multa de multis ſic: Aiax, & Vlyſſes, & Achilles ad Troiam caſtra poſuerunt, & Troianos obſederunt, & Helenam captiuam receperũt. Multa de uno: ut, Socrates mouetur. nam Mouetur multa ſignificat: aut enim ambulat, aut ſcribit, aut legit, aut furore impellitur, aut ætate procedit, & incrementum capit, aut coit, aut circũuoluitur, aut trahitur, aut agitatur. Tertium caput eſt ſecundo penè par, parumq́; in ſe laboris continet. In propoſitione enim aut nomine, aut re multa dicuntur: aut nomine unum, & re multa ſignificantur: aut re unum, & multa nomine: aut & nomine, & re unum. ut Socrates ambulat. Nomine unum, & re multa: ut, Canis mouetur: nam canis unũ nomen eſt, mouetur multas res ſignificat. & quo de motu uerba fiant, ignoratur. Nomine multa, & re unum: ut, Animal rationis particeps mortale uadit. Multa & nomine & re: ut, Plato, & Alcibiades deambulant, & diſputant. Ac nos quidem uidemus, Ariſtotelem dicere definitiones unum præcipue explicare, propterea quod ad unius rei naturam perficiẽdam adhibentur. Qui uerò unam orationem coniunctionis ope ſignificant, non unũ propriè, ſed ita ſignificare uidentur. Diſiunctæ uerò, quando pro definitionibus non ſumuntur, multa ſignificant. Ait autem:

Quod ſi quippiam aliud cuidam ineſſe negetur, aut alii cuipiam. ut declaret, cum ſubiectus terminus, & qui dicitur de ſubiecto, ſit: unam negationem fieri ex utraq; oppoſitione. Ac ne quis forte putet, duas negationes affirmationi opponi, ut huic, Omnis homo animal eſt, has Non omnis homo animal eſt, & Nullus homo animal eſt: dictum eſt, Ex utraq; oppoſitione: hæc enim cõtrario nomine, illa uerò repugnanter opponitur. Tum ait: Vna autem affirmatio, & negatio eſt, quæ unum de uno dicit. Quę omnia fere dicta ſunt propter homonyma. Tũ ait: Modò album unum ſignificet. hoc addidit, propterea quòd ſi ſubiectum, aut id, quod dicitur duo ſignificãs accipiatur, totidem erunt oppoſitiones. Nam ſi homini & equo nomẽ ueſtis imponatur, dicaturq́;, Veſtis alba eſt: nihil aliud, quàm hominem, & equum album eſſe dicetur. Tum ait: Vel multa, uel nihil declarat. Quod etiam propter homonyma adiunxit: quandoquidem illa cùm multa ſignificent, unam ueram, alteram falſam eſſe non ſinunt. Propoſitio enim aut unum ſignificat, qualis eſt hæc, Socrates deambulat: aut multa, ut hæc, Veſtis alba eſt: quæ & hominem, & equum album eſſe declarat. Sed ſi eam propoſitionem nihil ſignificare dixerimus, alienum erit,

Illa

Illa igitur,quæ dicit ueſtem albam eſſe,multa ſignificabit. Veſtem uerò in homine,& equo ab Ariſtotele dictam fuiſſe ſciendum eſt,ut oſtenderet nomina non eſſe nobis à natura.

IN IIS igitur quæ ſunt,& quæ fuerunt,affirmationem uel negationem ueram eſſe,aut ſalſam neceſſe eſt: In iiſꝗ, quæ ex rebus uniuerſis omnino conſtant, ſemper altera uera eſt,altera falſa neceſſariò,atꝗ in iis, quæ ex ſingulis rebus, ut ante dixi. In iis uerò,quæ ex rebus uniuerſis, non tamen uniuerſe dicunt, de quibus etiam diximus,nō eſt neceſſe. In ſingularibus autem, & futuris non ita ſe res habet. Nam ſi omnis affirmatio,aut negatio uera eſt,aut falſa, omnia inſint, uel non inſint,neceſſe eſt. Si enim hic quippiam futurum dicat, ille fore illud neget, certè alteruter eorum uerum dicat neceſſe eſt: ſi modò omnis affirmatio, uel negatio uera eſt,aut falſa: quandoquidem in eodem ſimul utrunꝗ ineſſe nō poteſt. Nam ſi quis aliquid eſſe album,aut nō eſſe album uerè dixerit: id eſſe album, aut non eſſe album neceſsitas cogit. Siꝗ album eſt,aut non eſt, aiens uel negans uerum dicit: & ſi non eſt,ſalſum id eſt,ſi falſum,non ineſt. Ita fit, ut affirmatio, aut negatio ſemper uera ſit,aut,falſa neceſſario. Nihil igitur eſt, neꝗ fit forte, & caſu,nihilꝗ in alterutram partem uel erit,uel non erit: ſed ex neceſsitate fiunt,quæcunꝗ fiunt,non in alierutram partem. Nam aut is qui affirmauerit,aut is,qui negauerit,uerè dixerit: etenim eodem modo res fiet,aut non fiet. Quod enim in alterutram partem cadit,non hoc potius modo,quàm illo euenit,aut futurum eſt. Præterea ſi quid albū nunc eſt,uerè prius quiſpiam dixiſſet, ſi fore illud affirmaſſet. Quare ſemper uerū fuit quicquid fit,id uel iam eſſe, uel fore. Quòd ſi uerum ſemper fuit,aliquid iam eſſe,uel futurum eſſe: non poteſt hoc non eſſe,uel non futurum eſſe. Quod non poteſt non fieri,id neceſſe eſt fiat. Omnia igitur,quęcunꝗ futura ſunt,fieri neceſſe eſt: quare nihil in alterutram partem cadit, neꝗ fortuito fit: ſi enim ſortuito,non ex neceſsitate. Quin neutrum uerè dici poteſt, neꝗ futurum eſſe quicquam,neꝗ non futurum. Primum enim ſi affirmatio falſa ſit, negatio uera non erit: & ſi hæc ſalſa ſit,uera nō erit affirmatio. Si præterea quis uerè dixerit album quid ſimul & magnum fore,utrunꝗ adeſſe oportet: & ſi cras futurum ſit,cras erit. Si uerò neꝗ futurum eſt,neꝗ cras non futurum, id in alterutram partem nō cadet: ut naualis pugna. Naualem enim pugnam neꝗ fieri, neꝗ non fieri,neceſſe ſuit. Atꝗ hæc,& alia huiuſmodi ſunt incommoda,quę eueniūt, ſi neceſſe ſit ex omni affirmatione,& negatione,quæ opponantur, uel in iis, quæ uniuerſe in uniuerſalibus dicuntur, uel in ſingularibus, alteram ueram eſſe, falſam alteram: nihilꝗ caſurum eſſe in alterutram partem in præteritis: ſed omnia eſſe, aut futura eſſe ex neceſsitate. Vna, & eadem ratione omnis deliberatio, & actio tolletur è uita: quandoquidem ſi hoc faciamus,illud eueniet, & ſi hoc nō faciamus,illud non eueniet.

HOC loco tria,quædam nos docere uult,quorum primum eſt: Si terminus qui ſubiicitur,uniuerſalem determinationem habeat: & ille,qui dicitur,præſens,aut præteritum tempus ſignificet, in contradictione ueræ à falſa diſcrimen fiet. Ita quoque ſe res habet,ſi ſumptiones,quæ ex ſingulis rebus conſtant, determinationem habeant atque etiam ſingulares,& infinitæ. At ſi terminus, qui dicitur præſens, aut præteritum ſignificet,tunc contradictio uerum à falſo diſtinguit. Si uerò ſubiectus terminus ſingularis acceptus ſit, & ille,qui dicitur,futurum tempus ſignificet, & materia contingens ſit: tum præfinita ueri & falſi diſtinctio non conſequetur. Ad horum cognitionem,de quibus nunc agimus,ea ſcire debemus,quæ ſuperius pertractauimus. Nam ſi propoſitiones in neceſſaria materia,aut quæ fieri non poteſt,acceptæ ſint,

* * * Deſunt nonnulla.

Si contingens ſit,atq; infinita,nec uerum à falſo diſtinguat,

* * * Hic quoq; aliqua deſiderantur.

Nunc uerò de contingenti materia uerba facimus.Sed uideamus,num aliqui fuerint.qui cõtingens ſublatum uoluerint.Inuenti autem nonnulli ſunt,qui hiſce uerbis contingens tollere ſunt conati . Si quod , inquiunt,in nobis non eſt,non in nobis eſt:& uti ſe habet oppoſitum,ita etiam ſe habet oppoſitum : & quod io nobis eſt,in nobis erit.Quos reprehendẽtes dicimus,licere nobis cõtraria iis inferre,ut dicamus,Si quod in nobis eſt,in nobiu eſt,ut eſt oppoſitum:ita quoq; erit oppoſitum,quodq́; in nobis non eſt, non erit in nobis. Hanc enunciationem in aliis diuerſam inueni ſic:Si oppoſitum eius,quod in nobis ineſt, in nobis nõ ineſt,neq; ipſium quod in nobis ineſt,inerit nobis:ut ſi non reſpirare non eſt in nobiu,ſed in natura,neq; reſpirare in nobis erit . Si item noo ridere nobis noo ineſt,neq; nobis ineſt ut rideamus: ſumus enim apti ad riſum,tamen non ſemper ridemus.Et ita neq; quod in nobis ineſt,in nobis eſt, ſed ex rerum euentu.Quibus nos obuiam imus,eosq́; reprehendimus,ac dicimus,Id quod in nobiu eſt duplex eſſe, & id etiam quod io nobis non eſt partim potentia,partim actu:ut eſt in nobis,qui ratione ducimur,ratiocinandi uis , & hoc ex actione.Sed in nobis non eſt,ut non ſimus rationiu participes.Simili quoque modo fit in riſu: non enim ex neceſsitate hanc facultatem habemus,hæcq́; ex iis eſt,quæ in nobiu oon ſunt.Hæc igitur, Eſſe in nobis, & Non eſſe in nobiu,ita poſſumus intelligere,ac neceſſaria,& fortuita. Alterum eorum argumentũ eſt: Deus futurum cognouit,an non cognouit?Sed dicere,Deum ignorare,eſt nefas. Præterea ſi cognouit, definite´ne,an infinitè cognouit?Definitè,inquam.Si igitur definitè, futurum cognouit: at in hoc nihil à nobis differt.Quibus dictis reſpondemus,Deum & futurum,& definitè cognouiſſe:ſed non propterea quòd cognouit,id fit:ſed quia fit,propterea cognouit.Nos enim liberos fecit,atq; ita cognouit, tanquam nos aliquando facturi ſimus.Hinc etiam uatum prædictionibus,ſi quis ambigeret, obuiari poſſet. Tertium illorum argumentũ ab actione,& ipſa euidentia ſumitur:ut Si metes oon forte metes, ſed non forte metes, uerum omnino metes.Quibus reſpondemus,cùm neceſſariam connexionem capiant,concluſionem quoq; ſequi neceſſariam. Ariſtoteles eorum, qui cõtingens negabaut, opiniones refert, & iiſdemmet rationibus illas refellit.Ac primum quidem argumentorum moineotum eſt,eandem eſſe rationem ueritatis , & orationum,& rerum,ita ut rerum natura ueritatem orationum conſequatur, & orationum ueritas rerum ueritatem.Simili quoq; modo falſitatem orationum non natura rerum , & non naturam rerum falſæ orationes conſequuntur.Contradictionem igitur dicit,ut ex illorum ſententia,ſit hoc pacto diuidendũ.Contradictio aut omnino uerum dicit,& neceſſarium facit:aut omnino falſum,& illud,quod fieri nequit, efficit:aut eius partes & uerum,& falſum dicunt. Vera dicentibus,neceſſarium:falſa diceotibus , id quod fieri non poteſt,attribuimus:Contingens igitur erit nullo modo.His reſpondemus,non per ſe ipſam totam uerum dicere:ex eo quod contradictionis naturam peruertamus:nam Cõtradictio affirmationis & negationis pugna eſt:quæ ſemper uerum à falſo diſiungit.Nec etiam concedimus,ut hæc pars uerum dicat,& alia omnino definitè mentiatur:ſed eius partes indefinitè uerum & falſum ſuſcipiuot:ut,Socrates lauabitur,Socrates non lauabitur.Poſſunt enim ambæ ueræ eſſe,& falſæ:ac donec lauabitur,una uera erit,& quouſque non lauabitur,falſa. Alterum eorum argumentum eſt.Si quæ nunc dicimus fiunt,ea futura prædicẽtes, uerè dicemus:& ſi hæc fore prædicentes uerum dicimus,quæ futura prædiximus,ea omnino euenient.Sed dicimus,Neceſſarium tribus modis capi:cùm ſignificat omnino,ut Deum iuſtum eſſe:neceſſarium eſt: uel uſq; dum ſubiectum ſit,ut Socratem reſpirare neceſſarium eſt:uel dooec dicatur,ut neceſſarium eſt Socratem lauari.Illi uerò in ſuo argumento tertia neceſſarii ſignificatione uſi ſunt , quod Socrates lauari poſsit, & non poſsit. Contingens quoq; triplici modo capitur:primùm,ut in pluribus,ut ars, & natura , in quibus affirmatio magis uerum dicit,quàm negatio:ut,Omnis homo quinq; digitos habet : atq; hoc fit natura,quod etiam ars accipiẽs illam imitatur.nam ſi in plurimiu non ualeret,eſſet quiddam artis expers:quippe quia ſi in paucioribus uerſaretur,uana ars,& non ars uerè diceretur. Dicitur item Contingens ex æquo in iis,quæ in nobis conſiſtunt:ut,Mouebor,aut non mouebor:deliberabo,aut nõ deliberabo. Dicitur etiã in paucis.ut ſunt Caſus,& Fortuna:quod enim eſt potius eligendum,Fortuna appellatur.quod uerò eligi non poteſt,Caſus eſt.Etenim ſi quiſpiam puteum fodiens theſaurum inueniat,is dicetur in theſaurũ illum forte incidiſſe:itemq́; ſi equus ſiti enectus in prælio ad bibendum accedens ſeruetur.Caſus autem erit,ſi lapis cadens ſedere cupienti ſedem parauerit. Tertium argumentum poteſt reiectum & confutatum uideri,nam cùm illorum propoſitum,& rationes confutauerimus, argumentum quoq; eſt reprehenſum. id tameo uiciſsim retro non commeat,ut Oratores facere ſolent:illi enim falſos teſtes adducunt,quorum dicta licet refellantur,rem tamẽ eis ſublaram,aut cecidiſſe cauſa noluot:ita etiam licet rationes ſint infirmatæ,propoſitum deſtruatur,neceſſe non eſt.Dicimus igitur,Si omnia,quæcunq; fiunt , ex neceſsitate fiunt, fruſtra quicquam deliberari.quooiam ſi ex neceſsitate fiunt,omnia definita ſunt:& ſi fruſtra deliberamus, indefinita omnia,Et ita ex ratione conſequitur eſſe definita,& non definita omnia,quo nihil obtuſius. Ad hæc dicimus,ſi omnia ex neceſsitate ſunt,fruſtra naturæ laborem tribuimus:quippe quia ipſa , nihil quicquam faciat,cùm fiant omnia neceſſariò. Nunc ad ipſa uerba declaranda noſtra ſe conuertat oratio , ut prædicta argumenta ſuo quæq; loco demonſtremus:atq; cum ait?

Nam ſi omnis affirmatio,aut negatio uera eſt,aut falſa,Hac utitur complexione. Si ut in præſenti & præterito,ita etiam in futuro uera eſſet,aut falſa negatio,uel affirmatio, omnia quæcunq; fiunt, ex neceſsitate fierent:& ita nihil fortè,temerè,& caſu fieri conſequeretur, Animum hoc loco aduertere debemus:Futurum in futuro propriè,& indefinitè ab Ariſtotele capi: quod uerò futurũ eſt , in eo quod omnino fiat,

no fiat, primum τὸ μέλλον, alterum τὸ ἐσόμενον dicitur. Cum igitur dicat, Si modo omnis affirmatio, aut negatio uera eſt, aut falſa, propterea quòd in eodem utrunq; ineſſe non poteſt. oſtendit in futuris contradictionem ueram, aut falſam inueniri non poſſe æquè, ac in illis, quæ indefinitæ ſunt, & quæ ſunt ſingillatim definitæ. Cùm uerò ſic pergat: Nam ſi quis aliquid eſſe album, aut non eſſe album uere dixerit: id eſſe album, aut non eſſe album neceſſitas cogit. Quatuor ſignificat, ueritatem orationum naturam rerum conſequi: & reliqua omnia, quæ paulo ante ſunt nobis dicta. Tum ait: Nihil igitur eſt, neq; fit ſorte, & caſu. Nobis palam facit Contingens tribus modis dici ſorte inquit, ut in paucis. à natura uerò, ut in maiori parte. quod uerò in utrãlibet partem cadit, æqualè appellauit. Tum ait: Præterea ſiquid album nunc eſt. Secundum argumentum, quod dicebant, Quæ nunc eueniunt, &c. nobis his uerbis indicat. Ita apertior & clarior fit omnis hæc doctrina. Nam ſi eſt, erit: ſi erit, patet etiam eſſe. Item cùm dicit: Quin neutrum uere dici poteſt, neq; futurum eſſe quicquam, neq; non futurum. Docet, non oportere nos oſtendere partes determinatæ contradictionis in contingenti & in futuro, uerum aut falſum ſignificare. Nam clarè uidemus, ſi affirmatio falſa ſit negationem quoq; falſam eſſe, & ita uiciſſim.

Tum ait: Si uerò neq; futurum eſt, neq; cras non futurum, id in alterutram partem non cadet. Niſi enim dicere poſſimus, Socrates cras lauabitur, aut non lauabitur, contingens non erit: & ſi uerum fuerit, ſi dixerimus lauabitur, aut nõ lauabitur, contingens erit. Tum ait, Atq; hæc, & alia huiuſmodi ſunt incommoda, quæ eueniunt. Argumentorum aduerſariorum momenta refellere aggreditur, & ratiocinationem, de qua feci ſupra mentionem, repetit. Si inquit omnia neceſſitate fiunt, omnis è uita tollitur deliberatio: quandoquidem ſi hoc faciamus, id eſt ſi conſulta uerimus, in qua parte plura bona ſint, cognoſcemus: ſi uerò omnia fiunt ex neceſſitate, bonum illi ipſi obuiam procedentes nec cognoſcemus, nec aſſequemur, ſed neceſſitati ſeruire cogemur. Ex quo fiet, ut ſi peccatum quid à nobis ſit, neceſſariò, & non ſponte noſtra peccauerimus. Ita fit, ut ſi conſultatio tollitur, nihil à brutis differamus. Quippe cùm ab illis differamus conſilio, & conſultandi facultate, ſi ea nobis facultas adimatur, nulla erit inter nos & beſtias differentia.

NIHIL enim prohibet, ad decem millia annorum hunc affirmare, hoc uel illud fore, alterum negare, ut ex neceſſitate eueniat, quod tum in alterutram partem uerè dicere poterat. Verùm nihil intereſt, ſiue dixerint aliqui contradictionem, ſiue non dixerint. cùm apertum ſit, res ita euenire, etiam ſi nihil euenturum nec hic confirmet, nec ille neget. Non enim res erit, aut non erit, quia confirmatum, aut negatum ſit aliquid fore: idq; nec magis ad decem millia annorum, quàm quouis tempore. Quare ſi ex æternitate ita ſe res habuit, ut una uera eſſet, eam fieri neceſſe fuit: ita rerum omnium ſemper fuit natura, ut ex neceſſitate fierent. Nam ſiquis aliquid fore uerè dixerit, id non poteſt non fieri: quodq; factũ eſt, id eſſe futurum ſemper uerum fuit: ſed hæc fieri non poſſunt. Videmus enim initium rerum futurarum & conſilio, & actione inueſtigari. atq; in iis omnino, quæ non ſemper agunt, illa duo æquè agere poſſunt, & non poſſunt: in quibus utrunq; eſt poſitum, & ut res ſit, & ut non ſit: ita, ut & fiat, & ut nõ fiat. Multaq;, quæ ita ſe habent nobis nota ſunt: ut ueſtis, hæc diſcindi poteſt, & non diſcindetur, ſed prius atteretur: ſimiliter fieri poteſt, ut non ſcindatur: non enim prius atteri poſſet, niſi poſſet fieri, ut ne diſcinderetur. Ita eorũ omnium, quæcunq; hanc eandem uim nanciſcuntur, ſimilis eſt ratio. Ex quo liquet, nec fieri, nec eſſe ex neceſſitate, quæcunq; fiant: ſed quædam huiuſmodi eſſe, ut æquè fieri poſſint, & nõ poſſint: nec affirmationem potius ueram eſſe, aut falſam, quàm negationẽ: alia eſſe, in quibus alterum magis, & plerunq; eueniat, alterum tamen euenire poſſe, alterum non poſſe.

CVM oſtenderimus quinq; incommoda, quæ ſuſcipere cogimur, ſi Contingens adimatur: uidelicet, Nos fruſtra de rebus conſultare, Fruſtraq; naturæ aliquod munus aſſignare: Nos nulla re à brutis differre: Omnem uitam tolli: Omnia definita eſſe. Ad ea nunc, quæ ſequuntur, oratio couertitur ita, ut primũ opiniones eorum, qui contingens eſſe negant, refellantur. Ac ne iuuenes Ariſtotelis ſtudioſi fortaſſe putent philoſophum illorum dictis aſſentiri, cùm illorum argumenta in mediũ adducat: eos ego admonitos uolo, ſibi id nõ perſuadeant: ſed ſciant falſam aduerſariorũ doctrinã confutari, dum ab Ariſtotele iiſdem ſuis rationibus conficiuntur. Primum igitur argumentum eſt, Quorum facultas oppoſitorum non eſt, neceſſaria ſunt, & quorum facultas oppoſitorum non eſt, ea ſunt contingentia, & nihil quicquam eſt præter hæc: ut ignis ob eam cauſam neceſſarium habet calorem, quòd frigidus fieri non poteſt. Socrates autem poteſt

lauari,& non lauari: & id Contingens appellatur. Secundum argumentum huiuſmodi eſt: Neceſſarii ſunt quatuor generaait ſimpliciter,id eſt,proprie:ur abſolutè,quod in iis eſt,quæ ſunt,uel futura ſunt: ut ex ſuppoſitis,quod duplex eſt,aut donec ſubiiciatur,aut donec dicatur. Cùm itaq; dicant, Quæ nunc eueniunt,ea euentura eſſe prædicentes uerum dicimus, ſi euentura dicentes uerum dicimus, quæ nunc eueniunt,eadem omnino eueniunt:ignorãt Neceſſatium dici ut futurum,& ut ſimpliciter. Cùm enim aiunt, quæ nunc eueniunt, Neceſſarium ſimpliciter, id eſt aliquod neceſſarium accipiunt: cùm uero dicunr, ea euentura eſſe prædicentes,capiunr futurum neceſſarium:quod dicir Ariſtoteles eſſe non poſſe ſine rerum euentu.nam cùm res eueniunt,tum eſt ſimpliciter neceſſarium.Quod enim eſt,id ueceſſarium eſt:quod uerò futurum eſt,id infinitum eſt,& minime neceſſarium. Tertium argumentum ſe habet hoc modo: Cõtradictio nec per ſe totam uera eſt,neq; per ſe totam eſt ſalſa:ne contradictionis effatum adimatur. atq; ne hac de cauſa omnia neceſſaria fiant,aur in ea conuertantur,quæ fieri non poſſunt:nam neq; in parte uerũ dicit,& definitè mentitur.Orationes enim aut ueræ,aut falſæ ſunt:atq; aut finiræ,aut infinitæ:ac ſi uerę,& finitę fuerint,res itidem ueræ,& finitæ erunt:ſi enim res ueræ & finitæ,orationes quoq; ita ſunt:ſiq; res ueræ & infinitæ,nõ ſecus ſe habẽt orationes.Quocirca res ueræ,& finitæ ſunt neceſſariæ:ueræ & infinitæ contingentes:Orationes enim pro rerum euentu uerum,aur falſum dicunr: quandoquidẽ ſunt tanquam effecta rerum,& non ut cauſæ,quo oriantur.Nam orationes ex rebus cõſequuntur:cùm uel maximè fieri poſſit,ut res etiam nobis ſilentibus eueniant.Si igitur eſſe,aut non eſſe contradictionem dicunt,res erunt, aut non erunt:Scire enim debemus orationes rerum eſſe notas,non tamẽ cauſas.Quippe quia ignis ſignum eſt calefacere,& urere:& cauſa,quæ in ipſo cõſiſtit,calor eſt,atq; ardor. Nihil enim,inquit,prohibet.Quia in ſuperioribus dictum eſt,prædicentes euentura eſſe,uerum dicimus:oſtendit in pręterito acceprũ fuiſſe. ac nihil quidem,inquit,impedimento eſt,quin poſt decem millia annorũ poſsit quis dicere ipſum pręteritum fuiſſe.In argumento igitur dicit neceſſaria non tanquam neceſſaria,ſed tanquã futura dicta eſſe:quoniam ſi dicatur,Hæc euentura eſſe,prædicentes uerum dicimus,futurum efficietur neceſſarium:ſed hoc futurum iam neceſſarium non eſt.Quod igitur neceſsitate fit, illud ante euentum rerum dicere non poſſumus. Tum ait:

Verùm nihil intereſt ſiue dixerint aliqui contradictionem,ſiue non dixerint. Ingreditur ad explicandum elterum argumentum,quod dicebat,Res non ex orationibus, ſed orationes ex rebus conſequi neceſſariò. Tũ ait: Idq; nec magis ad decem millia annorum,quàm quouis tempore.Id eſt, quod ait,licet quis diceret hoc longo poſt tempore,aut quouis tempore fore, non tamen ob eam cauſam res ex orationibus conſequerentur. Sequitur poſtea:Quare ſi ex æternitate ita ſe res habuit, ut una uera eſſet,eam fieri neceſſe fuit.Neceſſarii doctrinã hoc loco immiſcuit:ſi enim omnia quæcunq; fiunt,ex neceſsitate fiunt,fruſtra conſultamus.ſed non fruſtra conſultamus,cùm rerum futurarum initium cõſilio uideamus:id eſt,qua'nam ratione boni quid agamus.Omnia igitur ex neceſsitate non fiunt, ſed contingens eſt. Tum ait: Atq; in iis omnino,quæ non ſemper agunt quid,illa duo,&c.Quæ non ſemper agũt quid,appellat ſingularia,& quæ continenter oriuntur, & occidunt:in quibus eſſe & non eſſe conſtare poſſunt.Hic itaq; primi argumenti mentionem facit,quod ita erat:Quibus facultas contrariorum nõ eſt,contingens non eſt:quæ uerò apta ſunt ad contrariorum paria quæq; recipienda,contingentia ſunt.ut hæc ueſtis diſcindi poteſt.cùm eam uim nacta ſit,ut atteratur:quò ſit,ut niſi ita eſſet,ut atteri nõ poſſet, ne ſcindi quidem poſſet.Dicere igitur poſſumus,ipſam fractum iri,& non iri.Illi enim hanc ratiocinationem effecerunt:Neceſſariorum unus eſt euentus:ſi unus euentus,omnino eueniet.Ergo Ariſtoteles demonſtrat,cùm res acciperent,eos neceſſarias accepiſſe.Sed multa ſunt,quę unum non habent euentum,ut eſt in ueſte demõſtratum. Sed ait:Ita eorum omnium,quæcunq; hanc uim nanciſcuntur,ſimilis ratio eſt.Id eſt, in omnibus,quæ fiunt,in quibus oppoſita dici æquè poſſunt,eadem eſt ratio,ipſa uon futura eſſe ex neceſsitate. Hæc autem uerba,Quæcunq; eandem uim nanciſcuntur,addita ſunt, quoniam id quod fieri poteſt,& quod neceſſarium eſt,homonymè dicũtur. Tum ait:Ex quo liquet,nec eſſe,nec fieri ex neceſsitate,quæcunq; fiant.ſed quædam &c.Quæ æqualia ſunt nõ magis affirmationem, quàm negationem uerã habent. Tum ait,Alia eſſe,in quibus alterum magis,& plerunq; eueniat.Quæ plerunq; cõtingunt, magis affirmationem ueram habent,non tamen definitæ,quæ uerò fiunt rarò, potius negationem ueram habent.& propterea alterum proponitur,tanquam determinatum non ſit, quæ ex ipſis uera, & quæ falſa ſit.Eius uerò,quod ut raro euenit,non meminit,quoniam cùm dixerit, ut plerunq; id notum fecit,quod rarò accidit.aut quoniam potuit per hoc uerbum Plerunq;,ſignificare etiam rarò. ut plerunq; non eſt,ſimiliter etiam rarò:id quod plerunq;,& rarò non eſt. Ammonius propoſitiones contradictionis contingentis in ſingularibus ſimul falſas eſſe non poſſe affirmat:quia ſi res non fiat,affirmatio,quæ rem fore dicat,falſa erit: ac ſi fiet,negatio,quæ rem fore negauerit,erit falſa:& ita eadem res erit, & non erit,quo quid alienius? Nam Ex neceſsitate,bifariam dicitur:ſimpliciter,id eſt propriè,quod ſemper ineſt,ut in æternis,quando uidelicet Deum neceſſariò bonum eſſe dicimus:& donec ſubiiciatur, ut cùm hunc ignem eſſe dicimus calidum. Eadem ratio cernitur in eo, quod neceſsitate non eſt: partim ſimpliciter, ut Solem à proprio motu non quieſcere: partim uſque dum non fuerit terminus,qui dicat,ut aliquem ex neceſsitate non ambulare,cùm non ambularet. Ex iis autem,propoſitionum differentiæ per omnes materias declarantur.Illud enim,quod omnino eſt,neceſſarium ſignificat:quod autẽ ſimpliciter nõ eſt, id quod

fieri

fieri non poteſt: illud uerò quod ita ſe habet, donec fuerit terminus, qui dicatur, & id, quod non eſt, contingens erit.

ID IGITVR, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt, ut ſit: idq́; quod nõ eſt, quando non eſt, ut non ſit. Non tamen omne, quod eſt, eſſe: aut quod non eſt, non eſſe neceſſe eſt. Idem enim non eſt, quicquid eſt, quia ſit, ex neceſsitate eſſe, quod omnino eſſe ex neceſsitate: quod idem efficietur in eo, quod nõ eſt. Eadem etiam contradictionis eſt ratio, in qua neceſſe eſt omne uel eſſe, uel non eſſe: fore, uel nõ fore: non tamen neceſſe eſt, ut is, qui diſiungit, alterum fore affirmet: ut, Neceſſe eſt cras nauale bellum futurum eſſe, aut non eſſe: non tamen neceſſe eſt cras naualem pugnam geri, aut non geri: quamuis geri, aut non geri neceſſe ſit. Quoniã igitur orationes perinde ueræ ſunt, atq́; ipſæ res ſunt: perſpicuum eſt neceſſe eſſe, ut ea omnia, quæ alterutram in partem cadant, cõtrariaq́; recipiant, talem habeant contradictionem. Quod etiam in iis, quæ non ſemper ſunt, & quæ non ſemper nulla ſunt, uſu uenit. Ex his enim alteram contradictiouis partem ueram eſſe, alteram falſam neceſſe eſt: non tamen hanc, uel illam, ſed alterutram: & quanquam altera uerior eſt, tamen non iam uera eſt, aut falſa. Ita fit, ut non ſit neceſſe in affirmationibus, & negationibus oppoſitis alteram ueram, alteram falſam eſſe. Non enim eorum, quæ ſunt, & eorum, quæ non ſunt, eſſe autem uel non eſſe poſſunt, eadem eſt ratio: uerùm, ut antè dixi.

DVOBVS argumentis eorum, qui Contigens negabant, expoſitis, quorum primum ita ſe habēbat, Contradictio aut omnino uerum dicit, aut omnino mentitur: aut partim uerum dicit, partim falſa eſt. Alterum ſic: Quæ nunc eueniunt, ea prædicentes euentura eſſe, uerum dicimus. Deinde eorum opinione, qui contingens ſublatum uolebant, & omnia neceſſaria eſſe aſſerebant, iis uerbis, Si omnia neceſſaria ſunt, fruſtra conſulimus, reiecta, & confutata: quod reliquum erat, ad illorum argumenta refellenda ſe accingit: ac de primo quidem inquit, Contradictionem in contingenti materia nec ueram eſſe, nec falſam: ſed alteram eius partem ueram eſſe, alteram falſam: non quidem hanc, aut illam, ſed alterutram. Euenit enim, ut uel affirmatio, uel negatio uera ſit. Quandam præterea neceſſarii diuiſionem facit, & ait: Neceſſarium aut propriè, aut ſimpliciter dicitur: ac Propriè intelligitur in iis, quæ ſunt æterna, ut Deus bonus eſt: Simpliciter uerò eſt Contingens, ut, Socratem ambulare. Sed nos perfectam Neceſſarii diuiſionem trademus, ut id, de quo quæritur, illuſtrius reddatur. Neceſſarium quadripartitum facimus, Aut quod ſemper eſt, ut Deus ex omni æternitate bonus eſt. Aut quod futurum eſt, quod in æternis μέλλον appellatur, ueluti dicimus Solem in Ariete fore. id eſt, quia eſt futurũ, omnino erit: Vel in eo, quod ſemper eſt, & ſubiicitur, ut ſemper cum Socrates exiſtat, ipſum ſemper reſpirare, cõfirmamus: Vel quod quandoq; eſt, quandoq; non eſt, quoad ſubiectum fuerit, ut Socratem ambulare, cùm poſsit etiam non ambulare. In qua ſignificatione Ariſtoteles ſimpliciter, & omnino neceſſarium capit, quod quidem Contingens eſt: quod etiam definitè, & indefinitè accidit, nam Socrates non ſemper deambulabit, attamen deambulabit. Secundum argumentum illorum eſt, Quæ nunc eueniunt, ea prædicentes euentura eſſe, uerum dicimus: id nunc refellit: deinde quærit de eo termino, qui dicitur, utrum ſit indefinitus, an nõ ſit. Omnem enim, inquit, propoſitionem aut ex nomine, aut infinito nomine & uerbo, nunquam autem ſine uerbo conſtare neceſſe eſt. qua quidem in re nonnulli ſtatim ambigunt, & aiunt, Hæc, Socrates non deambulat, eſt'ne propoſitio? dicit enim Ariſtoteles propoſitionem ſine uerbo nullam eſſe. Iis hæc, opinor, reſponſio ſatisfaciet: Nũquid illud, Non deambulat, ut unam orationis partem, an ut duas, ita ut Non ſit una, & Ambulat, altera, dixiſtis? Quòd ſi ut unam orationis partem dixeritis, affirmatio erit ei termino, qui dicit, infinito. Si uerò, Non, ſeiunctum fuerit, erit ea, quæ huic opponitur, Socrates deambulat. Forte igitur fortuna cum Ariſtoteles infinitum uerbum dixit, ipſum uerbũ appellauit: hoc eſt id dixit, cum aliæ etiam propoſitiones ſint ex duobus nominibus conflatæ: ut hæc, Socrates animal, in quibus aut re ipſa, aut potentia uerbum Eſt, intelligitur. Vel ſine uerbo eſſe non poſſe ob eam cauſam dixit, quod terminum, qui dicitur, appellare uerbum cõſueuit. Tum ait:

In qua omne uel eſſe, uel non eſſe, uel fore, uel non fore &c. Primum illorum argumentum confutat hac ratione. Quod eſt, ſimpliciter neceſſarium dicitur: quod non eſt, non ſimpliciter, ſed futuri: quod non eſt neceſſarium, donec non ſit. & ita ipſum eſſe non neceſſe eſt, ſed euenit. Tum ait: Quoniam igitur orationes. &c. Quoniam, inquit, res factæ ueras de ſe ipſis orationes faciunt, rebus quæ in alterutram partem inclinent, id eſt, quæ æquales ſint, contraria etiam continentur, ut lauabitur, & non lauabitur.

Illud etiam non eſt ignorandum, Indefinitam, & eam, quæ in parte dicitur, opponi: & ſingularia tantummodo in futuro tempore ſibiipſis eſſe contraria. Tum ait: Quod etiam in iis quæ non ſemper ſunt, & quæ non ſemper nulla ſunt. Quæ enim ſemper exiſtunt, neceſſaria ſunt: & quæ non ſemper

 exiſtunt,

exiſtunt,ex iis ſunt,quę fieri non poſſunt:quorum duorum intermedia ſunt Futura. Quę non ſemper eſſe dixit,nõ ſemper agunt quid,horum partes ſunt Cõtingentes,non enim hæc uera eſt,illa falſa. Tum ait: Non enim eorum quæ ſunt &c. Nam non eſt eadem ratio eorum,quæ ſunt,id eſt Neceſſariorum,& Futurorum:quia in iis,quæ ſunt,alterum uerum ſit eſt neceſſe,in contrariis uerò,id eſt in futuris non ita. Non enim eorum,inquit,quæ ſunt;hoc eſt,Non æquè in præſenti præterito & futuro ſe res habet, ut in ea materia,quæ fieri non poteſt:ſic etiam in futuro erit. Illa enim in illis,quæ iam exacta ſunt , determinatam habent ueritatẽ:in his uero,non determinatam. Hæc etiam addidit,Eſſe autem,& non eſſe poſſunt. Quoniam quædam,quæ nunc non exiſtunt,neceſſario fiunt,ut temporum uiciſsitudines.

QVONIAM autem affirmatio quiddam de quodam dicit, idq́ue uel nomen eſt,uel uacat nomine:atq; id,quod in affirmatione eſt,unum,& de una re dici debet,(De nomine autem,& eo quod eſt uacãs nomine,diſſeruimus: nam Nõ homo,non nomen,ſed infinitum nomen uoco , quod nomẽ infinitum unũ quiddam ſignificare quodammodo uideatur: quemadmodum etiam Non curatur, non uerbum,ſed infinitum uerbum appello.) certè omnis affirmatio & negatio aut ex nomine & uerbo,aut ex infinito nomine,& uerbo conſtet neceſſe eſt. Nullum autem pronunciatum ſine uerbo eſſe poteſt. Eſt enim, uel Erat,uel Fuit, uel Erit,uel Fit,uel quæcunq; ſunt huius generis,ex iis ſunt,quibus nomina ſunt impoſita,quoniam tempus adſignificant. Erit igitur prima affirmatio, & negatio, Homo eſt,Nõ eſt homo:deinde,Non homo eſt,Non homo nõ eſt:tum,Omnis homo eſt,Non omnis homo eſt: poſtremò, Omnis non homo eſt , Non omnis non homo eſt. Eadem eſt ratio temporum,quæ extrinſecus adhibentur.

DVO hoc loco quæruntur,Num infinitum nomen, & infinitum uerbum efficere poſsint propoſitiones Primum omnium ſciendum eſt,omnem propoſitionem ex nomine uerboq́;,uel ex ſubiecto & termino,qui dicitur,qui utriq; uerba ſint,aut ex infinito nomine & uerbo conficı:eſſe autẽ ſine uerbo nulla poteſt enunciatio. De uerbo infinito pauloante diſſeruimus. Quod ſupereſt,quoniam nonnulli dixerunt Ariſtotelem de infiniro termino,qui dicit,nullam fecîſſe mentionem,aduerſatiorum ſententiam hac in re uideamus Dicunt autem,Non deambulat,ut Socrates non deambulat, rem planè non eſſe indicare. Socrati enim aiunt omnino non ineſſe,ur deambulet:atque ea de cauſa hoc non eſſe infinitum,ſed finitum uolunt ſignificare. Nam ſi quis dixerit Socrati non ineſſe,ut deambulet,determinatum aliquid dicet. Cùm itaque diceret Ariſtoteles.

Aut nomen eſt aut uacat nomine:ſubiectum determinatum oſtẽdit:quod uerò nomine caret, ut Nõ homo,infinitum uocari cenſuit. Tum ait:Atq; id,quod in affirmatione eſt unum,& de una re dici debet. Affirmatio de uno dicit,licet infinitum nomen ſit,& plura ſignificet:unum enim eſt,cum multa ſignificantur,uno ſublato,idq́; quod tollitur,unum eſt. Tum ait,Certè omnis affirmatio , & negatio. &c. Qui terminum,qui dicitur,negant,ſic exponunt: Ex infinito uerbo & nomine non fiunt affirmationes & negationes,ſed ex uerbo definito,& nomine infinito:atq; ea ratione illum terminũ reiiciunt , quòd cùm infinitus ſit,propoſitionem facere non poſsit. Tum ait: Eſt uel erat,uel fuit,uel erit. Si,inquit,hęc cum nomine definito,uel infinito copulentur,propoſitionem conficient.ſunt enim hęc quoq; ex uerbi definitione,& tempus adſignificant. Tum ait:Erit igitur prima affirmatio & negatio. Ariſtoteles primis non definitis pro exemplis uſus eſt , utpote quæ clam ſupponantur:deinde contrariis , & quæ liquido apparent:tum repugnanter oppoſitis,quippe quæ omnes aduerſæ eſſent , & perſpicuæ. Cùm igitur dicit, Non eſt homo,nonnulli dicunt,non eſſe negationem,nam negatio eſſet,inquiunt,ſi dixiſſet,Homo non eſt. Nos dicimus Ariſtotelem nõ eſſe admodum diligentem in exemplis ſupponendis:ſtudet enim ſolum, ut res nobis tradat:ueluti etiam in decem ſummis generibus fecit,in quibus,cùm de catulo loqueretur,Socratem exempli loco collocauit.

TERTIA PARS.

CVM uerò uerbum Eſt,tertiũ dicitur,tum bifariam oppoſitiones fiũt. Dico autem Eſt tertium nomen,aut uerbum adiungi, ut in hac affirmatione, Homo iuſtus eſt: quamobrem hæc quatuor erunt:quorum duo ad affirmationem , aut negationem affecta erunt, quaſi priuationes, alia duo non erunt, ipſum inquam Eſt aut iuſto addetur, aut non iuſto:

quod

quod idem in negatione fit: ſunt igitur quatuor. Sed quod dixi, ex hac deſcriptione intelligetur.

Homo iuſtus eſt, } Huius negatio { Homo non eſt iuſtus.

Homo non iuſtus eſt, } Huius negatio { Non iuſtus non eſt homo.

Hoc loco Eſt,& Non eſt, Iuſto,& non iuſto, adiunguntur. Atq; hæc quidem eo ordine ſunt diſtributa, quẽ in Analyticis explicauimus. Idem fiet, ſi nomine uniuerſo conſtet affirmatio, ut

Omnis homo iuſtus eſt, } Huius negatio { Non omnis homo iuſtus eſt.

Omnis homo nõ iuſtus eſt, } Huius negatio { Nõ omnis homo nõ iuſtus eſt.

præterquam quod eæ enunciationes, quæ rectis lineis ad perpendiculum inter ſe reſpondent, æquè ueræ ſimul eſſe non poſſunt. Sed tamen interdum ueræ ſunt.

CVM è diuiſione huius operis duas partes ad exitum planè perduxerimus, huic reſtat tertia: in cuius exordio mox quatuor eſſe quærenda cenſemus. Primum, quid illud ſit, quod Tertium dicatur: deinde ex hoc Tertio quot propoſitiones conficiantur: tum quomodo negationes ex affirmationibus fiant: poſtremò de proportione illarũ propoſitionũ loquemur. Tertium itaq; quod dicitur, eſt quod terminos propoſitionis colligat. Nunc ſi quiſpiam diceret, Omne, quodcunq; propoſitionis terminos connectit, eſſe id, quod nunc appellamus dici Tertium: ei nos reſponderemus, Huic noſtro Tertio eſſe natura comparatũ, ut poſſit coniungere, & quicquid colliget, non eſſe appellandum Tertium: ac ſemper id quod nos inſuper dici affirmamus, colligare. In hoc enim exemplo, Socrates ambulat: hoc uerbum Ambulat, colligat illud quidem, ſed non tertium dicitur. Ac nos quidẽ urgeremus illud, quod dicitur, tertium eſſe debere, quod in eo exemplo non eſt: diceremus tamen ſiquid tertium ſit, non eſſe item illud, quod nos tertium dici uolumus. quod ex hac enunciatione clarum fiet: Socrates iuſtus inambulat: in qua, Inambulat, tertium locum ſortitur non tamen inſuper dicitur. quamuis enim, Deambulat, enuncietur: Deambulare tamen non eſt tertium quod dicatur, ſed hoc uerbum eſt. Alio quoq; modo dicemus, Euenit ut Socrates iuſtus ſit, & non deambulet: id uerò, quod tertium dicitur, cum illis, quæ ab illo connectuntur, uerum dicit. Præterea affirmamus hoc nerbum eſt, eſſe, quod tertium dicatur, cùm tertium ſit. Cui quidem rei poſſet aliquis aduerſari, ac dicere, In hac enunciatione, Socrates philoſophus eſt: illud uerbum Eſt, eſſe tertium. Nos illud Eſt, adiacere negaremus, & de alio dici affirmaremus, cùm Philoſophus ſubiiciatur, id quod Græcis ὁ, articulus declarat. Illa igitur uera eius, quod Tertium dicitur, hæc eſt definitio: quod propoſitiones terminos colligat, & propoſitiones in unum contrahit, cum tertio loco ponitur, ut ante ſe terminum, qui dicitur, habeat: nam ipſius nomen id declarat maximè, ut ſemper apud illum terminum collocetur: ut, Homo iuſtus eſt: nam ſi dicatur, Socrates philoſophus iuſtus eſt: ſubiectus terminus fiet, & Eſt, de alio dicetur. quod ſi fuerit modus, Eſt etiam dicetur: ut, Socrates iuſtus fortuito eſt. tunc enim eo adiacente indigemus, cum propoſitio pro termino, qui dicitur aut nomen, aut infinitum uerbum habeat: ut, Socrates iuſtus, Socrates deambulare: utræq; enim hæ propoſitiones uerbo Eſt indigent: id quod in ſecunda ſignificat, poteſt. Atq; hoc quidem uerbum Eſt, aut actu propoſitionibus ineſt, ut Socrates iuſtus eſt: aut potentia, ut Socrates ambulat: quandoquidem ſi Ambulat, diſſoluatur in participium ſuum, Ambulans eſt, efficietur. De numero propoſitionum quærimus, & duplas earum eſſe dicimus, quæ in ſecunda particula fuerũt commemoratæ: nam ſi diuidatur ſubiectum in Finitum, & Infinitum, & poſtea diuidatur terminus, qui dicitur, in Definitũ, & Indefinitũ, hæcq; omnia cum tertio adiacente coniungantur, coniunctio atq; acceſsio eorum, quæ ſunt ex hoc tertio quod dicitur, cum termino qui dicit, infinito, duplas propoſitiones faciet. In ſecunda uero particula erant centum quadraginta quatuor, quæ duplicatæ ducentæ octoginta octo fiunt, contradictiones uerò centum quadraginta quatuor. Reſtat tertio loco quærendum, Quomodo negationes ex affirmationibus fiant. Pro qua re explicanda dicimus, Non negationem præſtantiori propoſitionis particulæ addendam eſſe. Sed cùm id, quod Tertium dicitur, ſit præſtantius, illi hoc uerbũ Non apponetur. quod quidem eſt ex eo perſpicuum, quod Eſt propoſitionis qualitatem declarat: nam quomodo ſubiectus terminus ei, qui dicitur inſit, explanat. quod ſi fuerit determinatio, & id etiam quod Tertium dicitur, in propoſitione, Non determinationi adiungendũ eſt uel ex eo, quod determinatio quantitatem propoſitionis explicat. In decem enim ſummis generibus Quantitatem eſſe antiquiorem, & præſtantiorẽ Qualitate demonſtratũ eſt à nobis. Vltimo loco de Propoſitionũ proportione nobis diſſerendum propoſuimus: pro qua re aperienda, Ariſtotelem tres Propoſitionis differentias feciſſe dicimus, Simplices, Priuantes, & eas quæ Non ſimplices ſunt, quas Græci ἐκ μεταθέσεως appellant: nos ex nominibus & uerbis traiectis & commutatis. Simplices, ut homo iuſtus eſt, Homo iuſtus nõ eſt. Ex nominibus cõmutatis, ut Homo nõ iuſtus eſt, Homo non iuſtus non eſt: eas Ariſtoteles Infinitas uocat. Ariſtotelis autẽ di-

ſcipuli, ac præſertim qui Theophraſti commilitones extitere, ea de cauſa ex oominibus & uerbis traiectis, & commutatis, dictas illas propoſitiones autumant, uel quòd propoſitionis termioos commutent, uel quòd hæc Græca diphthongus ου in propriis terminis non conſiſtat: uel quòd omnis propoſitio commutetur. Sed ut id, quod ait Ariſtoteles, cùm ait, **Quorum duo ad affirmationem uel negationem affecta ſunt**, percipiamus, quædam præcepta, quæ ad hanc rem maximè pertinent, extrinſecus aſſumemus. Quæ ſunt, & quæ ooo ſuot, in iis effinguntur: hæcq́; aut iuſta ſunt, aut iniuſta, aut media: aut ſuſcipere poſſunt, aut non poſſunt: ſicq́; oon poſsint, id duplici ratione efficietur: nam uel ut non ſunt ſuſcipere quicquam non poſſuot: uel ut ſunt, natura tamen non apta ſint ad ſuſcipiendum quid. Itemq́;, ſi affirmatio in uno horum quinq; oera eſt, in quatuor erit falſa negatio: Siq́; in duobus uerum diceret affirmatio, io reliquis tribus uera oegatio eſſet. At ſi affirmatio uerum in quatuor diceret, oegatio in una uera eſſet, atque in reliquis eodem modo. Siquis itaque dixerit, Homo iuſtus eſt, io uno uera erit affirmatio, in homine uidelicet ſolo: ſed ſi dixerit, Homo iuſtus non eſt. in quatuor uera erit negatio in homine iniuſto, in medio, in eo, qui poteſt iuſti particeps fieri, ueluti puer: & in eo, quod ſuſcipere iuſti nomen non poteſt, ut lapis, aut lignum: aut in eo, quod non eſt. In priuantibus autem hoc pacto, Homo ininſtus eſt, in uoo uerum dicit, in homine iniuſto: hæc uerò, Homo iniuſtus non eſt, in quatuor reliquis uerum dicet. In iis, quæ ex nominibus traiectis ſunt, ſic. Homo non iuſtus eſt, in tribus uerè dicitur, in iniuſto, in eo, quod ſuſcipere poteſt, in medio: at Homo non iuſtus non eſt, quæ eſt negatio ex commutatione, in reliquis duobus, iuſto uidelicet, &, quod non ſuſcipit, uerum dicit. Ariſtoteles igitur duos ordines conſtituit, in uno quorum ſimplicem affirmationem, quæ in uno uera eſt, collocauit, quam priuans negatio ſequeretur, quæ uera io quatuor exiſteret, & poſtea negationem ex cõmutatione, quæ ipſa quoque in duobus uera eſſet: In altero autem negationem ſimplicem, quæ uera eſſet in quatuor, poſuit, deinde priuantem affirmationem quam in uno ueram eſſe probatum eſt. Poſtremò affirmationem ex uerbis & nominibus traiectis & commutatis, quæ uera in tribus eſt. Par igitur eſt, uel æqua ratione reſpondet affirmatio ſimplex priuanti affirmationi, & ſimplex negatio priuanti negationi: &, ut uno uerbo concludam, affirmatio affirmationi, quandoquidem utræq; in uno uerum dicunt. Igitur inter ſe contrariæ in angulis ſitæ ſunt, ut in deſcriptione patefecimus. Ergo in primo ordine dicimus, Quo modo quatuor affecta ſunt ad duo, (nam quatuor duorum duplum eſt) eodem duo ad unum affecta erunt, cùm duo ſimili ratione unius dupla ſint. At non, Vt ſe habent quatuor ad duo, ita quatuor ad unum ſeſe habebunt: nam illud duplum eſt, hoc quadruplum: id quod etiam cauſa eſt, ut priuationes magis ad ſimplices, quàm eæ, quæ ſunt oon ſimplices, affectæ ſint. Eædem quoque propoſitiones ſic conferri poſſunt inter ſe: Veluti priuantes ad eas, quæ ſuot ex commutatione, affectæ ſunt, ſic etiam quæ ſunt ex commutatione ad ſimplices. At non, Vt priuantes ad eas quæ ex commutatione ſunt, ſic & priuantes ad ſimplices: nam hæ latius manant. Secundus itidem ordo eſt. ut ſimplex negatio in quatuor uera ſit, ita affirmatio priuans in uno tantum, & affirmatio ex commutatione in tribus. Eo igitur modo, quo ſe habet unum ad tria, (unum enim eſt trium particula) eo etiam tria ad quatuor: tria enim à quatuor uno ſuperantur. Non tamen, Vt ſe habet unum ad tria, ita unum ſe habebit ad quatuor: non enim late patet. In propoſitionibus quoq; idem fit: Veluti priuationes ad eas, quæ ſunt ex commutatione, ſic & quæ ſunt ex commutatione ad ſimplices affectæ ſunt. At non, Vt ſe habent priuationes ad eas, quæ ſunt ex commutatione, ad ſimplices, ita ſe habebunt, propterea quod minus patent: priuationes igitur maiori, & minori à ſimplicibus differunt.

Cùm autẽ uerbũ Eſt, tertiũ dicitur. Illud Eſt, tertium dixit, ut oſtenderet ipſum adhærere, quamprimum enim declarat Eſt tertiũ collocari: atq; etiã nõ ſolùm tertiũ, ſed etiã adiacere, atq; adhærere. Cùm præterea addit, **Tum bifariã oppoſitiones fiunt.** Propoſitionũ numerũ, quæ in ſecũda parte dictæ ſunt, ſi cum hoc tertio, de quo nunc diſputationẽ inſtituimus, adiungãtur, duplũ eſſe nobis declarat. Cùm uero inquit, **Homo iuſtus eſt.** tradit nobis illius tertii, quod dicitur, doctrinã. Sed animaduertendum eſt, nullã in exemplis eſſe differentiã: primũ enim ordinẽ adiacenti diſtribuit, cùm tantũmodo rerũ ſit. Verùm cum addit, **Nomen, aut uerbũ**; referat nobis uerbũ aliquid nominando nominis uim aſſequi poſſe, præſertim cùm omnis orationis pars nomẽ ſit. Tum ait: **Ipſum inquã Eſt aut iuſto, aut nõ iuſto addetur.** Id eſt, hoc uerbũ Eſt, ſimplicibus propoſitionibus, & iis, quæ ſunt ex cõmutatione additur, & ita ex eo fieri poteſt negatio: in his enim uerbis, Nõ eſt, negatio efficitur. Sed hæc eſt deſcriptio, ex qua facilius tota res intelligetur. Homo iuſtus eſt, Homo iuſtus nõ eſt: Homo iniuſtus non eſt, Homo iniuſtus eſt: Homo oõ iuſtus nõ eſt, Homo oon iuſtus eſt. Negatio ex cõmutatione, & negatio priuãs, atq; ſimplex affirmatio ſunt in eodem pares. Eæ igitur, quæ in ſecũdo ſunt ordine, uidelicet affirmatio ex cõmutatione, & priuans affirmario, ſimplexq́; negatio haud ſecus pares inuenientur. Hoc igitur eſt, quod aiebat Ariſtoteles. **Quorum duo ad affirmationem, uel negationem æqua portione quaſi priuationes affecta ſunt.** Quia hæc latius patent, ut in primo ordine, hæc minus, ut in ſecundo, id quod habent etiam priuationes, hæq́; minori & maiori differunt. At cũ dixit, **Duo uerò non erunt**: Oſtendit ea non reciprocari, quòd priuationes ex cõmutatione, & ſimplices reciprocentur. at enim maiori & minori ſupra ſunt, quàm quæ ſunt ex cõmutatione: ut in figura declaratũ eſt, & perſpicua facta fuit controuerſia. De iis etiã in fine Priorum uerba faciet. Atq; hæc quidem nos. Nonnulli uero, qui Ariſtoteli uitio dant, quòd hæc dixerit, aiunt ex

propoſi

propoſitionibus alias eſſe legitimas,alias ſimplices,alias nothas,alias priuantes,alias ex commutatione : & quemadmodum nothæ nothis ſunt pares,ita etiam nothæ legitimis : & hoc eſt,quod dixiſſe philoſophum contendunt.Qua quidem in re omnino mentiuntur.ut in Analyticis oſtendetur. Ammonius quidẽ priuantes propoſitiones dicit uel formæ abſentiã omnino ſignificatã non negatione illam quidem, ſed huius elementi α, quod uim priuantem habet,ut in Achillis,& Acherontis nomine perſpicuum eſt:aut alio nomine peiori,ut in malo:aut non contrario,ut in nudo:uel eam,quæ natura apta ſit,ut ad formam ſuam reuertatur,ut ἄμωνον, quemadmodũ in phyſicis dictum eſt:uel quæ redire non poſsit, ueluti in ſummis generibus de cæcitate diſſeritur. Ambigitur inter nonnullos,quid cauſæ fuerit, cur in iis propoſitionibus, quæ ex termino ſubiecto,& eo qui dicitur conſtant,terminum qui dicitur Infinitũ non appoſuerit, ut Socrates non deambulat. Nos itaq;,ut inter eos,qui ambigunt,conueniat quid ſit id,de quo agitur, ex eodem loco fieri negationem dicimus,ex quo fit,Socrates deambulat. Dicunt etiã,qua de cauſa in illis,quæ definitæ ſunt,eundem infinitum terminum non affixerit,ut fieret,Omnis homo non deambulat.Quibus dicimus,hanc eſſe iterationem inutilem,idq; eſſe nugatorium:quandoquidẽ hæc,Omnis homo non deambulat,idem ſignificabit,quod hæc,Nullus homo deambulat.Conſultius igitur fuerit propoſitiones iterare, ut nugari uideamur,quam ſemel modo eas præferre,ut ſerio,& ut uiros decet,loquamur. Sed de his hactenus. Nunc quædam ad propoſitum noſtrum pertinẽtia,repetenda ſunt neceſſario.Cùm itaq; inquit, **Tum bifariam oppoſitiones fiunt.** Id eſt,duo genera enunciatiouum oppoſitarum naſcuntur,propterea oppoſitiones dixit, quod terminus , qui dicitur aut determinatus eſt, & ita propoſitiones ſimplices ex eo fiunt, aut infinitus,& ita facit propoſitiones ex commutatione. Præterea cùm dixit, **Quorum duo ad affirmationem,& negationem affecta ſunt,** alii exponunt, ut etiã ſæpe hac explicatione uſus eſt Ariſtoteles.Quam,inquiunt,rationem priuantes ad eas,quæ ex commutatione ſunt,eandẽ illæ,quæ ſunt ex cõmutatione,ad ſimplices habent:atq; in primo ordine in maiori,in ſecundo,in minori. Non tamẽ,Qua ratione priuationes ad eas , quæ ſunt ex cõmutatione eadem ſimplices ad eas , quæ ex commutatione ſunt affectæ erunt.In primo ordine negatio priuans latius patet,quàm negatio ea,quæ ex commutatione eſt : ſimplex affirmatio negatione ex cõmutatione,minus patet.Sed in ſecundo ordine affirmatio priuans affirmatione ex commutatis uerbis , longe minus. Simplex negatio affirmatione quæ eſt ex commutatione manat latius:quod fuit in cauſa,ut addiderit, **Alia duo non erunt.** ſimplicia inquam.deinde ait, **Idem fiet,ſi nomine uniuerſo conſtet affirmatio. ut Omnis homo iuſtus eſt.** Scrutatur in primis Ariſtoteles,utrum propoſitiones cum nomine uniuerſo ueræ ſint,quemadmodũ indefinitæ:an non. Omnes enim indefinitas ſimul uerum dicere ſciendũ eſt.Eodem etiam modo priuantes,ſimplicesq;,& omnes, quæcũq; ex cõmutatione ſunt factæ:quæ recta linea inter ſe reſpondent,& iuxta eum ordinẽ, quem ſupra conſtituimus. Simplices igitur cum uniuerſali determinatione, & priuantes, & quæ ex commutatione ſunt , in aliqua parte cum infinitis cõmunes eſſe, & in aliqua ab illis differre affirmamus : ac commune quidem quid habent,ut quemadmodũ illæ,quæ ex commutatione ſunt indefinitæ, ad ſimplices ſe habẽt, ſic etiam illarum priuationes ad ſimplices ſe habebunt: ſed id nòn uiciſsim retro commeat:id quod eſt etiã cõmune iis,quæ nomine uniuerſo conſtant,atque etiam indefinitis.Hoc autem differunt,quòd illæ omnes indefinitæ recta linea ſimul uerum dicunt,hæ uerò nequaquam, quoniã affirmationes ex nomine uniuerſo conflatæ falſæ comperiuntur:negationes uerò ſimul ueræ ſunt:ut,Omnis homo iuſtus eſt,hæc enim eſt falſa : Non omnis homo iuſtus eſt,uera cenſetur.idq; in reliquis inuenitur. Inueſtigat ſecundo loco Ariſtoteles, utrũ cum affirmatio habuerit hoc uerbum, Eſt,non negatio ei termino,qui dicitur,adiungenda ſit:ut,Socrates ambulat, Socrates non ambulat.Soluit igitur,& dicit,ſi propoſitio non habeat Eſt,(dico uerò Eſt non tanquam terminum de alio dictum,ut in hac,Socrates eſt)tum dicere debemus, ſi ea ex ſubiecto termino,& eo, qui dicitur,conſtet,& Eſt actu non habeat,non negationẽ termino,qui dicitur,apponendam eſſe:quoniam ſi ille terminus interiret,ipſum Eſt,cum idem ſit,tolleretur. nam illi termino Eſt,potentia ineſt:eſt enim eiuſdẽ naturæ particeps : quandoquidem Socrates ambulat nihil aliud , præterquam Socratem eſſe ſignificat. & ob eam cauſam adiecimus,ſi non habeat uerbum Eſt re ipſa,facultate ei ineſſe. Quærit tertio, cùm ſubiectum fuerit infinitum,ut Non homo iuſtus eſt,utrum hoc uerbum Non,ad uerbum Eſt,adiungendũ ſit, ut dicatur,Homo iuſtus non eſt : an infinitũ ſubiectum ſeruandum ſit,& alia negatio illi uerbo Eſt, ſit addenda,ut ſic fiat negatio. Dicimus,ſi Non negationẽ adiunxerimus,treis ſe nobis rationes eſſe oppoſituras: quarum prima eſt,Negationem inueniri,quæ eiuſdem de eodem non ſit,ſed de alio,atq; alio:nam hæc,Nõ homo iuſtus eſt,& Homo iuſtus non eſt, de alio contradictionem faciunt. Secunda eſt hæc, Contradictionem non per ſeſe totam ueram eſſe oportere,& hic per ſe ipſam totam uerũ dicere inueniretur,quod maximè abſurdum eſſet. Tertia ratio , Si Non ex ſubiecto commutetur, contradictio partium finitarum, & infinitarum comperietur,quod ſanè abſonũ eſt.Enimuero in affirmatione propoſitio infinita cõceditur,in negatione uerò propoſitio determinata : alia igitur negatio Non addẽda eſt,ut fiat ex cõmutatione negatio hoc pacto.Nõ homo iuſtus,affirmatio,Nõ homo iuſtus nõ eſt,negatio. Quarto quęrit,Si cùm propoſitio dicta fuerit, alteram ei ſimilem inuenire poſsimus : ac dicimus, Si propoſitio eſt, & totum eſt, & partes habet: atq; ut totũ,quantum habet, & quale,ut partes, ſubiectum terminum , & eum , qui dicitur , in ſe continet. Si igitur in hac propoſitione , Omnis homo animal eſt , propoſitionis quantitatem ſeruabimus,ſubiectum quoq; conſeruabimus. Negationem igitur termino,qui dicitur,præponemus, & eius qualitatem

litatem mutabimus,& determinationem,quæ Omni par ſit,inueniemus,& ita propoſitionem efficiemus, Nullus homo non animal eſt. Qua uerò ratione hanc particulam Non,particulæ Omnis, non adiiciamus, quærentibus ſic uolumus reſponſum eſſe:hoc nos propterea feciſſe,ut ne propoſitionis quantitatem diminuentes falſam propoſitionem faceremus. Quod igitur nobis hoc loco propoſitum eſt,perficiamus: ex his enim uerbis, Idem fiet,ſi nomine uniuerſo conſtet affirmatio, prima quæſtio oritur, propoſitiones uidelicet determinatas æquè ſe habere in nonnulla parte, ac non determinatæ, & in aliqua parte non. Tum cùm ait, Omnis homo iuſtus eſt: eas, quæ ex nominibus & uerbis commutatis conſtant, nobis declarat, nam ſimplices indicauerat: Præterquam quod, inquit, eæ enunciationes, quæ rectis lineis ad perpendiculum inter ſe reſpondent, æquè ueræ ſimul eſſe non poſſunt: ſed tamen interdum ueræ ſunt. illi uerbo Aequè,addendum eſt, Semper: quoniam ut ſuperius in ordine illarum, quæ determinatæ non ſunt,principio ſimplicem affirmationem accepimus,deinde negationem priuantem,& eam,quæ ex commutatione fit,tum in altero ordine ſimplicem negationem, & reliquas affirmationes: ita etiam in determinatis ordinentur. Simplex affirmatio in rectis lineis falſa, ac deinceps negationes ueræ comperientur,atq; in ſecundo ordine negationem ſimplicem ueram eſſe, & affirmationes falſas inueniemus. atq; ea de cauſa dixit, Aequè ueræ ſimul eſſe non poſſunt,ſed tamen interdum ueræ ſunt. Quoniam illæ, quæ in angulis conſtituuntur,in iis ſimul ueræ ſunt.

ATQVE hæ quidem duæ inter ſe oppoſitæ ſunt: aliæ autem duæ cum hoc Non homo tanquam cum ſubiecto quodam coniuncto, ut Non homo iuſtus eſt,Non homo iuſtus non eſt,Non homo non iuſtus eſt, Non homo non iuſtus nõ eſt. hisq́ plures oppoſitiones non ſunt. hæcq́ ipſę inter ſe ſine illis pugnabunt,quod hoc Non homo tãquam nomine utuntur. Quibus autem uerbũ Eſt, non coniungitur, ut uerbis Valere, & Ambulare, idem facit, ſi ſic ponatur, ac ſi Eſt adderetur, ut Omnis homo ualet, Non ualet omnis homo, Valet omnis nõ homo, Non ualet omnis non homo. Non enim dicendũ eſt, Non omnis homo: ſed negatio ad hominis uerbum addenda eſt, quoniam Omnis nõ quiddam uniuerſum, ſed omnino ſignificat: quod ex his enunciationibus liquido apparet, Homo ualet, Homo non ualet: Non homo ualet, Non homo non ualet. Inter has enim & illas hoc intereſt, quòd in his nihil uniuerſum dicitur, in illis dicitur. Quare Omnis & nullus nihil aliud ſignificat, niſi nomen uniuerſè, & totum dici in affirmatione, aut negatione. Cætera igitur addenda ſunt omnia. Nam cùm huic affirmationi, Omne animal iuſtum eſt, ea ſit contraria negatio, quæ nullum animal eſſe iuſtum dicit, clarum eſt eas nunquam ſimul in eodem ueras eſſe: quæ uero his oppoſitæ ſunt, interdũ poſſunt: ut, Non omne animal eſt iuſtũ, & Aliquod animal eſt iuſtũ. Hæ porro enunciationes conſequuntur, hæc quidẽ Nullus homo eſt iuſtus, huic Omnis homo eſt non iuſtus: hæcq́, Eſt aliquis homo iuſtus: huic, Nõ omnis homo eſt nõ iuſtus. neceſſe enim eſt aliquẽ iuſtũ eſſe.

ID ait,ut propoſitiones,quæ ſubiectũ infinitũ habent,ſimiles iis eſſe declararet: & exẽpla attulit ſimplicium enunciationũ,quæ infinitum ſubiectũ habent, & quæ ſunt ex commutatione cõfectæ. Nam propoſitiones uel finitæ ſunt,uel infinitæ:ac propterea dixit,plures contradicẽtes his eſſe non poſſe. Porro ita dicemus:Propoſitiones aut ſubiectũ non determinatum,atq; eum terminũ qui dicitur,habent, & infinitæ ex commutatione appellantur:aut ſubiectũ non determinatum,& eum,qui dicitur,finitũ, & infinitæ propoſitiones uocãtur:aut determinatum ſubiectum,& terminum,qui dicitur,infinitum, & ſimplicium propoſitionum nomen ſortiuntur. Tum ait.

Quibus autem uerbum Eſt, non coniungitur. Hic habetur altera quæſtio. Non enim dicendum eſt, Non omnis homo, ſed Homo negationi Non, addi debet. Tertia etiam hinc oritur quæſtio. utrum uerbum Non poſtponendum ſit, an adiiciendum. Quoniam Omnis non quiddam uniuerſum, ſed omnino ſignificat. Hoc eò dictum eſt, quia ſi omnis uniuerſum, totumq́; ſignificaret, neceſſe eſſet in negatione aut hominem, aut ipſum uerbum Omnis refelli: uidemus tamen ipſum nomen Omnis uniuerſum ſignificare, licet uniuerſum non ſit. Perſpicuum igitur eſt, huic uerbo Omnis, hanc negationem Non, minime addi debere. Hoc etiam nomen Omnis non eſſe uniuerſum probatur ex iis, quæ determinatæ non ſunt. Homo ualet, ab hac, Omnis homo ualet, differt, quod Omnis uniuerſum totumq́; declarat, Homo uero uniuerſum nomen eſt. Cætera igitur addenda ſunt omnia. Id eſt, particulam Non,eſſe adiũgendã cenſeo. Tum ait: Nam cũ huic affirmationi omne animal iuſtũ eſt,ea ſit &c. Hæc eſt quarta controuerſia, quomodo pares propoſitiones inuenire poſſimus. ac quidem ait hæc

duo

duo nomina Omnis,& Nullus,ut ſunt contraria,ſimul uera eſſe non poſſe.at Aliquis,& Non omnis,quæ iis repugnant,nonnunquam ſimul uerum dicere.Cùm ergo inquit ea conſequi, nobis indicat has enunciationes,Omnis homo non iuſtus eſt:&,Nullus homo iuſtus eſt:eſſe ſimiles.itemq́; has, Aliquis homo eſt iuſtus:Non omnis homo non iuſtus eſt.Earum igitur, quæ determinationem habent, deſcriptio ita conficitur. Omnis homo iuſtus eſt,Non omnis homo iuſtus eſt:Non omnis homo iniuſtus eſt,Omnis homo iniuſtus eſt:Omnis homo non iuſtus eſt,Non omnis homo non iuſtus eſt.

ILLVD etiam patet,ſi is,qui rogatus ſit,uerè negare poteſt in ſingulis enũciationibus,eundẽ etiam poſſe uerè dicere:ut,Eſt'ne ſapiens Socrates? Non. Non eſt igitur ſapiens Socrates. In uniuerſis autem ea, quam dixi non ita uera eſt, ſed negatio, ut Eſt'ne omnis homo ſapiens? Non. Non eſt igitur ſapiens omnis homo:hoc enim falſum eſt. At illud, Non omnis igitur homo eſt ſapiẽs,uerũ: atq; hæc quidem illi repugnans, illa uerò cõtraria eſt. Quæ uerò ex nominibus & uerbis infinitis inter ſe repugnant, qualia ſunt, Non homo, & non iuſtus, eæ ſine nomine & uerbo tanquam negationes uideri poſſunt, ſed tamen ita non ſunt. Cùm enim neceſſe ſit negationem ſemper aut uerum, aut falſum aliquid ſignificare,qui hoc Non homo, dixerit,nihilo magis,quin minus etiam,quàm qui ſolum Hominis uerbum dixerit,uerè aut falsò quippiam dixerit,niſi aliquid adiungat. Enimuero hæc enunciatio,Eſt omnis non homo iuſtus:nõ idem ſignificat,quod illæ ſuperiores: ſed neq; illud quod huic repugnans eſt, Non eſt omnis non homo iuſtus. Hæc autem,Omnis non homo iuſtus eſt:idem quod,Nullus non homo iuſtus eſt,declarat. Nomina autem & uerba ſi tranſpon͂atur,idem ualent: ut,Eſt albus homo,Eſt homo albus. Sin ſecus,erunt multę unius rei negationes: at unam unius eſſe oportere demonſtrauimus. Huius enim,Eſt albus homo:negatio eſt,Non eſt albus homo. Huius autem,Eſt homo albus:ſi idem quod illa, Eſt albus homo,nõ ſignificet,negatio erit. Vel hæc,Non eſt nõ homo albus:uel illa,Non eſt homo albus. Sed hæc, Non eſt non homo albus,eſt huius negatio, Eſt non homo albus: altera autem huius, Eſt albus homo. Ex quo efficietur, ut duæ unius ſint.& ita,ſi nomen & uerbum traiiciantur, ac commutentur, clarum eſt eandem affirmationem & negationem fore. Vna autem affirmatio & negatio non ſolet dicere & negare unum aliquid multis, aut multa uni conuenire, niſi unum ex multis declaretur. Vnum autem appello,non ſi unum ſit impoſitum nomen, & ex illis unum aliquid non fiat,(uelut homo fortaſſe & animal eſt, & bipes, & cicur)ſed ſi unũ aliquid ex his efficiatur. Cùm itaq; ex Homine, & Albo, & Ambulatione nihil fiat, ſiquis aliquid de iis enunciet, non una enunciatio erit, ſed multæ: licet una uox eſſe uideatur: itemq́; ſi hæc omnia de uno quodam dicantur, multæ ſunt.

HOC nobis loco Ariſtoteles diſſerendi artem tradit: qua quidẽ in re non cogitandum eſt,hanc artem alium habere teſtem,alium iudicem,aliumq́; aduerſarium:quemadmodum in Rhetorica conſpicitur:quandoquidẽ in Dialectica eſt idẽ & teſtis,& iudex,& aduerſarius:ac teſtis quidẽ quia adeſt,iudex quia reſpondet,aduerſarius,quia repugnat. Primum quidem hoc caput eſt, & hæc princeps controuerſia, poſsit'ne in ſingularibus uera eſſe interrogatio, quæ ait, Eſt'ne Socrates iuſtus: an negatio, Non eſt Socrates iniuſtus. ac dicit,interrogationem,hoc eſt affirmationem eſſe falſam, negationem ueram: ut ſiquis interrogauerit, Socrates eſt'ne iniuſtus?negabo,& dicam,Non. Negatio igitur Non, in ſingulis ad eum terminum adiungenda eſt,qui dicitur,ut negatio uera efficiatur.ut Socrates iniuſtus eſt,Socrates nõ iniuſtus eſt. Et ut paulo ante eas,quæ ex commutatione ſunt, priuantibus pares eſſe dixit,ſic etiam in ſingulis pares ſunt, atque æquales: quoniã negatio in ſingulis uera affirmationem ex commutatione ueram facit. Nam hæc,Socrates nõ ſapiens eſt,affirmatio eſt uera ex uerbis,& nominibus commutatis,& traiectis.Neq; enim putandũ eſt,hunc librũ ita confectum eſſe, ut nobis eſſet aliorum interpres, atque explanator, ut quidam ſunt rati; quandoquidem eſt ſumma diligentia, ac mirabili artificio conſcriptus, tantisq́; difficultatibus inuolutus, uix ut intelligatur. Etenim, ut principio quoque declarauimus, cùm uniuerſales determinatas & non definitas priuantibus,& ſimplicibus pares,atq; æquales eſſe dixiſſet,uno & eodem modo in ſingulis quærendum

dum

dum cenſuit. Ac primùm ratione indagandum eſt, utrum in uniuerſis determinatis adiungēda ſit negatio termino, qui dicitur, ut fiat uera negatio, ueluti in ſingulis efficitur. Id quod nos fieri omnino negamus: uerum Non negationem determinationi adiunctam uolumus: ut, Omnis homo ſapiens eſt, cuius non eſt uera negatio hæc, Omnis homo non ſapiens eſt: ſed hæc, Non omnis homo eſt ſapiens. Atq; hoc ita fit, quia in ſingularibus erat una oppoſita, aut repugnans, at in uniuerſis duæ, contraria uidelicet, & ea, quæ repugnat. Cùm itaq; contrarias ſimul falſas eſſe oporteat, nosq́; uelimus ueram negationem facere, noo adiungemus oegationem Noo, termino qui dicitur, ſed determinationi, & fiet uera negatio. Atque hoc quidem de primo capite. Alterum caput in hoc uerſatur. Non homo, negatio eſſe uidetur: & non eſſe negationem, hac argumentatione comprobatur. Negatio uera eſt, & falſa: Non homo uerò nec uerum, nec falſum eſt: ergo Non homo, negatio non eſt. Item, ſi Non homo uerum & falſum ſignificet, multo magis hoc uerbum Homo ſimplex, & determinatum, uerum falſumq́; ſignificabit: nam hoc definitū primo res oſtendit, at Non homo in ſui ipſius negatione omnia, præter hominem introducit. Si igitur maius neq; uerum, neq; falſum ſignificat: neq; etiam minus ſignificabit. Determinatum enim maius eſt, Non determinatū certè mious. Atq; ita de ſecundo capite hactenus. Tertii capitis hæc eſt ſumma. Nomina & uerba traiecta, & commutata idem ualent. Cui rei nos addimus, terminos utroſq;, eum dico, qui ſubijcitur, & eum, qui dicitur, eſſe tranſpoſitos: quādoquidem neq; ſi determinatio, neq; ſi non negatio, aut articuli, qui determinationibus æquales ſint, traijciantur, eaſdem propoſitiones conſeruabunt. Quæſtionem itaque habemus, Quonam pacto nomina & uerba tranſponantur: utrum in ea mutatione ſubiectus terminus in eum, qui dicitur, permutetur: an contrà. Id quod fieri oegamus, ſed ſolùm eos tranſponi dicimus hoc pacto, Eſt homo albus, Eſt albus homo. In prima enim enunciatione ſubiectum terminum ei, qui dicitur, præpoſuimus: in ſecunda uerò eum, qui dicitur, ſubiecto: & tameo utræq; enunciationes conſeruatæ ſunt. Eaſdem uero propoſitiones tranſpoſitis nominibus & uerbis ſeruari, huiuſmodi complexione confirmat: Omnis homo albus eſt: huius negatio eſt, Omnis homo albus non eſt. Item, Eſt albus homo: huius negatio eſt, Homo nō albus eſt. Primæ igitur repugnaotiæ determinationes accipiuntur, & hæc affirmatio conficitur, Homo albus eſt: cuius negatio eſt, Homo albus oon eſt. At ſecundæ affirmationis, quæ dicit, Eſt albus homo: negatio eſt hæc, Eſt non albus homo. Quòd ſi huius, Eſt albus homo, aliæ negationes fuerint, præter hanc, Eſt non albus homo: profectò unius affirmationis multæ negationes erunt: quod & abſurdum eſt, & fieri nullo modo poteſt. Quòd ſi non diuerſæ, ſed idem ſignificent, una uni erit oppoſita, id quod nos quærebamus. Diximus enim determinationem & reliqua non eſſe tranſponenda: quoniam ſiquis diceret, Eſt homo omne rationis particeps, falſum enunciaret, cùm non ſolus homo ſit rationis particeps. Quartum caput erit, Vnam fieri propoſitionem, quando aut nomine, aut multitudine unum ſignificat. At in nomine obſcurè rem aliquam ſignificat, ſimili quoq; modo in multitudine, aut unum & clarè, ueluti πολυώνυμα, aut unum, & oon manifeſto, ut bomonyma: quemadmodum ipſe dicebat, equo & homini tunicæ oomen imponatur. In quibus rebus finem habeat oratio mea, ut ad uerba ipſa explicanda me poſſim conuertere. Ac primùm ſcire uos uelim, me in ratiocinatione, quæ de hoc uerbo Non homo, facta eſt, addidiſſe, illud uerbum nec uerum, nec falſum ſignificare. Dico igitur affirmationē hoc aduerbio Non, à negatione ſuperari, aliamq́; oegationem addeodam eſſe, ut negatio fiat: ut cùm ait,

Eſt'ne ſapiens Socrates? Non. Primum ratiocinationem dicit. Deinde dicimus, propter negligentiam in exemplis tradendis falſas propoſitiones eſſe poſitas, uel ex eo, quòd res ita nobis tradere uult, ut ſe habēt ordine naturæ. Atq; hæc quidem illi repugnans eſt. Id eſt illi repugnāter opponitur. Et huc uſq; prima ratiocinatio protenditur. Secundæ uerò initium eſt, cum ait: Quæ uerò ex nominibus & uerbis infinitis, &c. Nam qui dicit, Non bomo: nihilo magis, atq; adeo minus, quàm qui homo dixerit, uerum dicet aut falſum. Qui, inquam, determinatum quid proferens neq; uerū, neq; falſum dicit: multo minus non determinata enuncians ſignificabit, niſi quid adiungat, ut ſi Eſt, de Non homine dicatur. Enimuero hæc enunciatio, Eſt omnis non homo iuſtus, non idem ſignificat, quod illæ ſuperiores. Id eſt, quæ ſubiectum infinitum habent, æquales non ſunt iis, quibus ſubiectum finitum eſt. Hæc autem, Omnis non homo iuſtus eſt. idem quod Nullus non homo iuſtus eſt, ſignificat. Diximus ſuperius propoſitionem ut totum quantitatem, & qualitatem habere: ipſam igitur quantitatem obſeruantes alteram parem inuenire oportet. Hæc igitur determinatio Nullus, huic determinationi Omnis æqualis eſt. utræq; enim in uniuerſis ſunt. Nomina autem, & uerba ſi tranſponantur, idem ualent. Hoc eſt tertium caput, de quo recens uerba faciebam. Vna autem affirmatio & negatio non ſolet dicere & negare unum aliquid multis, aut multa uni conuenire, niſi unum ex multis declaretur. Quartum hoc caput eſt. Vnum uerò multis non cōuenire dicit, propter homonyma: aut multa uni, propter definitiones. ut homo fortaſſe animal eſt, & bipes, & cicur. uerbum illud ἴσως hoc loco aut pro æquè dictum eſt, homo enim æquè animal eſt, & bipes, & cicur: aut ἴσως, id eſt forte: eo quòd hæc definitio non ſit magis propria, quàm hæc, Homo eſt animal rationis particeps, mortale, aptū ad ſcientiam percipiendā. Tum ait. Non una enunciatio erit, ſed multæ, licet una uox eſſe uideatur. Hoc propter ambigua dictū eſt: eo quia tunica uoce unum ſit, ſignificatione uerò multa: quo fit, ut propoſitiones de ea multæ ſint. Similiter etiam in Aiace fiet: quæ quidem una eſt uox, at ſignificationes differentes. Ad quartum caput hoc etiam addendum eſt, Ariſtotelem in primo capite de interrogante diſſeruiſſe, & in quarto uerba

facere

facere de eo,qui reſpondendi partes tuetur. Is igitur,inquit,qui reſpondet,uni interrogationi, non multis reſpondeat. Poſtea cùm dictum ſit, qualem nam reſpondentem eſſe oporteat, aliud prætereaa caput erit adiungendum.

SI IGITVR dialectica interrogatio eſt reſponſionis petitio, ut uel propoſitio, uel altera repugnantiæ pars explicetur, propoſitio autem eſt unius repugnantiæ pars, unum reſponſum ad hæc adhiberi nunquam poteſt: quia ſi etiam uera ſit,una interrogatio non eſt.Sed de his in Topicis eſt dictum. Ex quo etiam patet, Quid eſt, dialecticam interrogationem nõ eſſe. Nam & optio dari debet, ut alter utrã uelit partẽ ex interrogatione eligat: atq; adeo ei,qui interrogat, ante definiendum eſt, utrum hoc ſit Homo,an non. Cùm autem alia coniuncta ſic dicantur,ut ex iis,quæ ſeparatim dicũtur, κατηγόρημα unum fiat, alia non:quærat aliquis, quæ'nam ea ſit differentia: nam & Animal de homine ſeparatim, & Bipes ſeparatim uerè dicitur,hæcq; pro uno habentur. Homo item & Albus, atq; hæc pro uno. At non ſiquis ſutor ſit,& bonus, ſutor bonus dicetur:nam ſi ambo coniuncta eſſe debeant,quòd utrũq; uerum ſit, multis incommodis afficiemur:cùm enim homo & album de homine uerè dicantur, ergo etiam omnia:prĳterea cùm albũ, etiam omnia. ita erit homo albus albus: in quo nullum exitũ reperiet oratio. Erit etiam muſicus albus ambulans, eaq; ſæpe repetita ad exitum nunquam perueniẽt. Si prĳterea Socrates,Socrates & homo ſit,erit etiã Socrates Socrates homo.Siq; homo ac bipes,erit etiã homo homo bipes. Quamobrẽ perſpicuum eſt,nos multa incõmoda ſuſcepturos,ſiquis omnino coniunctiones eſſe efficiendas uelit. Nunc uidendum eſt,quomodo hæc cõſtituenda ſint omnia. Eorum quidem quæ dicuntur, & eorum de quibus alia dicuntur, quæ ex accidenti dicuntur,aut de eodem,aut alterum de altero, ea non unum efficient. ut, Homo eſt albus & muſicus: in quo ex albo & muſico unum non fit,quia utrunq; accidẽs eſt. Sed neq; ſi muſicum album uerè dicatur, iccirco muſicum album unum erit: ex accidenti enim albus & muſicus quiſpiam dicitur: ita ex muſico & albo non unũ quid efficitur. Quapropter nec ſutor quidem bonus dicendus eſt,ſed animal bipes,quæ non ſunt accidentia. Item ex iis omnibus,quę in alio inſunt,non unũ quiddam fit: quocirca nec album iteratur, nec homo, Homo animal, uel bipes eſt, ſiquidem animal & bipes in homine continentur. Verè autem dicitur aliquis omnino homo eſſe homo, aut quidam homo albus, eſſe albus homo: non tamen ſemper. Sed tum non uerè,ſed falſò dicitur, cùm in adiuncto aliquid repugnans eſt, ex quo etiam repugnantia conſequatur,ut ſi mortuus homo, homo dicatur. At ſi nihil tale in adiuncto ſit,uerè dicetur:aut ſi aliquid tale ſit, id non ſemper uerum erit,ſi non adſit,nec tum quidem ſemper uerè dicetur,ut Homerus aliquid eſt,ut poëta: ſed quæſtio eſt,an ſit,nec'ne. Nam illud, Eſt,fortuito de Homero dicitur, Poëta eſt Homerus, non ſua ui, ac natura. Quare in iis dicendi rationibus,in quibus nulla eſt repugnãtia, ſi definitiones pro nominibus aſſumantur, & per ſe, & non ex accidenti dicatur, illud aliquid omnino & uerè dicetur. Quod autem non eſt,quia opinabile eſt,nõ uerè aliquid eſſe dicitur: quippe quia non opinamur id eſſe,ſed non eſſe omnino.

CV̀M in ſuperioribus docuerit ad quam propoſitionis partem is,qui interrogat, Non negationem debeat adiungere:& quãdo is,qui reſpondet,reſpõdere debeat,ad interrogationem explicandam aggreditur. Ac interrogatio quidem aut dialectica eſt,aut in percunctatione conſtituta. Dialectica eſt,in qua reſpondetur aut Etiam,aut Non:& motu capitis,cùm quis annuit,aut renuit:Ea uerò,quæ in percunctatione eſt poſita,ex tribus demonſtratur:nam percunctamur,quis terminus de ſubiecto dicatur,quidq; in eo inſit:ut ſi diceretur,Quis horum,qui hic adſunt,eſt Socrates. Interrogamus autem ea,quæ in termino, qui dicitur,

 inſunt,

inſunt, deq́; his, in quibus ipſe ineſt. Scire enim debemus dialecticam interrogationem eſſe, qua cum doctis & intelligentibus uiris utimur: illis enim aut affirmamus, aut negamus aliquid. Percunctationis uerò uſus eſt in diſcipulis interrogandis: ſiquidem ab eis quærimus, quis ſit is terminus, qui dicitur, ut uerbi cauſa, Socrates: & quid in eo inſit, ut Quis eorum, qui hic ſunt, Socrates eſt? cauſamq́; eius, qui dicitur, quiq́; ei ineſt, ut ſi dicas, Quænam cauſa eſt, quamobrem magnes ad ſe ferrum trahat? Eam interrogationẽ dialecticam Ariſtoteles, atq; Alexander propoſitionẽ uocant: at Iamblichus repugnãtiam. Sciendum enim eſt, Ariſtotelem & Iamblichum inter ſe non diſcrepare. Propoſitio enim eſt, cum utraq; interrogatio reſponſum habet, & planam rem facit ut hęc, Anima noſtra eſt'ne immortalis? Si immortalem eſſe dixerimus, perſpicuum erit eam non eſſe mortalem, quoniam ſi unum dictum ſit, ambo ſignificantur. Dialectica igitur interrogatio re ipſa una eſt, & facultate eſt repugnantia: atq; in his concluditur caput primum. Secundum uerò caput eſt, in quo quæritur, num propriè dicta ſimul etiam dicantur, ut Simo apud Platonem ſutor erat, & uir bonus: quem quidem propriè dicimus eſſe ſutorem, ut eſſe bonum: non tamen ſimul dicimus, eſſe ſutorẽ bonum: propterea quòd artem ſutoriam ignorabat, & uir bonus erat. Quærimus eodẽ modo, Num ſimul dicta propriè dicantur, ut Eſt Homerus poëta: uerum nec propriè, nec omnino eſt, cùm ſit mortuus. Rurſus in iis quæ propriè dicuntur, quæſtionem habemus, num ſimul dicantur, aut in iis, quæ coniuncta dicuntur, num dicantur propriè: num unam ſeruent propoſitionem, an non: nam muſicus, albus, & caluus, propriè de Socrate dicta coniunctè efferuntur, unam tamen propoſitionem non faciunt, ut Socrates muſicus albus & caluus eſt. ecce dicimus Socratem album, muſicum, & caluum, & hæc omnia unam propoſitionem non conficiunt, quoniam & albus, & muſicus, & caluus non ſolum de Socrate, ſed de aliis etiam permultis dicuntur. Propriè uerò dicta ſemper & coniunctè non dici probabimus hoc modo. Propriè dicta aut omnino ſubſtantiæ ſunt, ueluti definitiones, ut animal rationis particeps mortale: aut ſubſtantiæ cum accidente, ut Socrates albus eſt: aut omnino accidentia. Hæcq́; uel propinqua ſunt, uel longinqua: ſi propinqua, dupliciter: uno modo ut genus in partes diſtributa, ut color in candorem, & nigrorem: altero, ut genus in differentiam, ut ſutor & bonus: ars enim Sutoria genus eſt, & Bonus differentia. Ex iis igitur quinq;, quæ diximus, quatuor propriè dicta coniunctim etiam dicũtur: at quæ ut genus in differentiam diſtributa ſunt, non faciunt ut propriè dicta coniunctè quoq; dicantur: non enim dicere liceat Bonum ſutorem eſſe eum, qui ſutoris artem calleat. Addo ad hanc rem: Ex his quinq; tria propoſitionem efficiunt, & duo non faciunt. Ea enim, quæ quaſi genus in partes diuiduntur, unam propoſitionem non faciunt, quamuis & propriè, & coniunctè dicantur: ut eſt ex hoc perſpicuum, Color albus eſt: nomen enim Albi nõ ſolùm in colore dicitur, ſed in homine quoq;, & reliquis. Ea item, quæ tanquã genus in differentiam, præter quàm quod coniunctè non efferuntur, unam etiam propoſitionem non conficiunt, ut Sutor, & Bonus. Ad illud igitur noſtra ſe conuertat oratio, ut quæramus, utrum coniunctè dicta propriè etiam dicantur. Si Homerus poëta eſt, ipſum propriè & uerè eſſe licet dicere. Illud enim Eſt, in eo per intermediam poëſim intelligitur: ut etiam in ſtatua album ſtatuæ cauſam eſſe dicimus, non ex colore id quidem, qui cauſa ſit, ſed ex albo, id eſt ex homine, qui eam fingendi artem exerceat: ex accidẽti igitur album ſtatuæ cauſam eſſe dicimus. De illis uerò, quæ dicta ſunt, utrum ſimul dicta propriè ita dicãtur, dicimus terminos, qui dicuntur, aut oppoſitos eſſe, aut non eſſe: & ſi opponuntur, aut in oratione, aut in nomine opponuntur: ſi in nomine, ut Platonis ueſpertilio, quam in ſua Politia ait auem & non auem eſſe: pumicemq́; lapidem, & non lapidem: calamumq́; lignum, & non lignum: eunuchum denique inter homines, & non inter homines debere numerari: quæ omnia in nominibus palam opponuntur. Quæ uerò in oratione oppoſita ſunt, clam opponuntur, ut in mortuo uidetur: mortuum enim hominem, & non hominem eſſe dicimus, ſed definitio mortuum ab homine diſiungit. Quid enim eſt homo? animal. Quid mortuus? non animal. Sed aduertendum eſt, Ariſtotelem ea tantùm admittere, quæ in oratione opponuntur, quippe qui ad uictoriam ſolùm animum intendat, & ea, quæ in nominibus opponuntur, ſpernit. Plato uerò ea etiam tradit addiſcere cupientibus. Ad aliud nunc diuiſionis membrum tranſeundum eſt. Si nõ opponuntur, aut per ſe non opponuntur, aut ex accidenti, & fortuito. Per ſe non opponuntur definitiones, at caſu & temerè non opponuntur: ut, Eſt Homerus poëta: non enim eſt omnino. Ex iis igitur quatuor ea ſola, quæ ui ſua, atq; natura opponuntur, unam propoſitionem efficiunt, & coniunctè prolata propriè dicuntur. Ea uerò, quæ propriè dicuntur, non item ſimul dici, & quæ ſimul, non item propriè ſemper dici, eſt uel ex hoc perſpicuum, quòd is, qui opinatur, & negat, & nugatur: idq́; dupliciter, aut apertè, aut occultè: ſi apertè, uocabitur garrulus, genere ambiguus: ſi occultè, ea dicet, quæ omnium mentes aſpernabuntur, & reſpuent, ac mentietur quidem, ut in ſutore, & bono. Palam nugabitur, ſi dicat, Socrates eſt homo, & albus: nam & propriè homo, & propriè albus dicitur. Socrates igitur dicitur homo, homo albus, albus: hæcq́; repetendo regredimur in infinitum: Clam uerò, ut Socrates & homo & bipes: idq́; bipes homo bipes nullum exitum reperiet. Abſurdum etiam quid conſequitur, quoniam non tantùm Socrates bipes inuenitur, ſed alia quãplurima. Quin abſurda quoq; dicet, cùm aiat, Socrates albus: nam albus propriè multis modis dici ſolet. Socrates igitur albus albus erit quo nihil abſurdius: non enim Socrates eſt uniuerſum id, quod album eſt. Et in his ſecundum caput perficitur. Tertium caput ita ſe habet: Aiunt nonnulli, ſi ea, in quibus eſſe dicitur, ſunt, in hippocentauro eſſe dicitur, hippocentaurus igitur eſt. Quibus dicimus illud, Eſſe dicitur, non de eodem dici. quod enim non eſt hippocentaurus, eſſe dicitur hippocentauri:

præterea

præterea aliud eſt omnino, & aliud ex accidenti.nam ut in hac enunciatione Homerus poëta eſt, Eſt dicitur illud quidem,ſed tamen non eſt,ita etiam in hippocentauro fit, qui eſt per horum uerborum,Non eſt, intermedium,non tamen eſt omnino. Nos igitur ad ea transferamus, de quibus propoſitum eſt nobis, ne nimia opera uel contemplationi,uel diſputationi detur.

Si igitur dialectica interrogatio eſt reſponſionis petitio,Petimus enim à reſpondente,cùm ait, Vt uel propoſitio,uel altera repugnantiæ pars explicetur: uoluit oſtẽdere dialecticam interrogationem aut re ipſa propoſitionem eſſe,aut poteſtate repugnantiam. Tum ait, Propoſitio autem eſt unius repugnantiæ pars. Ex hoc patent ea,quæ unam propoſitionẽ nonfaciunt,ut Sutor & Bonus:nam ſi una eſſet propoſitio,& unius repugnantiæ pars, non eſſet omnino una adhibenda reſponſio: quippe quia ſubiectus terminus, & is,qui dicitur, aut communiter, aut priuatim repugnantia ſignificant. Tum inquit: Quin ſi etiam uera ſit,una interrogatio non eſt. Id eſt, ſiquis dixerit, Aiax ad Troiam caſtra locauit, non erit una reſponſio. non enim unus Aiax ad Troiam caſtra poſuit. Eſt igitur hæc uerior interrogatio, utrum ſolus Aiax cum Hectore manũ conſeruerit :nam illic non erat una propoſitio, ut neque etiam hic eſt:hic enim ſolus pugnauit, ille uerò non. Quin ſi uera ſit hæc propoſitio. ut in utroque Aiace. uterq; enim caſtrametatus eſt, non erit una propoſitio. Tum ait, Ex quo etiam patet, Quid eſt,non eſſe interrogationem dialecticam. Ea interrogatione quę in percunctatione conſiſtit,aptè & cõuenienter dicitur, quiſnam ſit terminus,qui dicatur: ac propterea Ariſtoteles ait, Quid eſt, non dici in dialectica, ut ex eo dici illud in percũctatione intelligamus. Tum ait, Vt alter utram uolet partem ex interrogatione eligat. Id eſt affirmationem, uel negationem. Tum ait. Atq; adeo ei,qui interrogat, ante definiendum eſt, utrum hoc ſit homo,an non. quæ dicit, hæc ſunt. Quid eſt dicitur etiam in dialectica, ſiquis ita loquatur, Quid eſt animal rationis particeps mortale? dicimus enim id hominem eſſe, aut non eſſe. Tum ait, Cùm autem alia coniuncta ſic dicantur. Hic ad ſecundum caput aggreſſus eſt, quod eſt eorum, quæ ſeparatim dicuntur: ac ſeparatim quidem dicuntur, ut bonus,& albus. Nam, inquit, & animal de homine ſeparatim,& bipes ſeparatim uerè dicitur. Hæc ait,ut ea explicet, quæ ut ſubſtantias,& accidentia diximus. At non ſiquis ſutor ſit & bonus, ſutor bonus dicetur. His uerbis ea declarat, quæ ut genus in differentiam diſtribuuntur. Tum ait: Sicq; homo & bipes, erit etiam homo homo bipes. Indicat hoc loco ea incommoda, quæ ſequuntur, & nugas inuolutas atque obſcuras, de quibus ante dixi. Eorum quidem, inquit, quæ dicuntur, & eorum de quibus alia dicuntur. Hæc ait, ut oſtendat, de iis, quæ dicuntur, alia itidem dici: ut Animal de homine dicitur, & Rationis particeps de animali, itemq; Mortale de rationis participe. Ea igitur indicat, quæ omnino ſubſtantiæ ſunt,quæq; omnino ad ſubſtantiam annituntur. Tum ait, Aut de eodem, aut alterum de altero. Eadem accidentia in uno homine dicuntur. uel alterum de altero ut id, quod album eſt, de muſico ex accidente: at accidens de accidente non dicitur, ſed ex eo, quod muſicum dicit, non muſicum quidem, ſed eum dicit, in quo muſice ineſt: ut Plato muſicus, cui additur etiam albus. Quo circa ex accidenti dicendum eſt, non quod accidens de accidente dicatur. Quapropter, inquit,ne ſutor quidem bonus dicendus eſt. Vt explicet unã propoſitionem de iis non fieri, quæ ut ſubſtantiæ, & accidentia ſunt. Tum ait: Item ex iis omnibus, quæ in alio inſunt. Id quod ait, huiuſmodi eſt, ſi hominem eſſe album coniunctè dixeris, album propriè dictum in infinitum regredietur ita, ut dicatur, Homo albus, albus, albus, & ita exitum nullum habebit. Hac igitur ratione Album in homine ineſt, & ſi in homine ineſt, nihil præter hominem album eſt. Docuit enim incommoda ea, quæ non perſpicua ſunt, ſequi ſiquis dicat, propriè dicta coniunctè efferri, quod ex hac exempli appoſitione clarum eſt: ſi enim animal & bipes homini inſunt, nihil præter hominem bipes erit, & animal. Tum ait, Vere autem dicitur aliquis omnino homo eſſe homo, aut quidam homo albus eſſe albus homo. Id eſt, omnino uerè dicimus de aliquo homine eſſe hominem,nam Socrates aliquis homo,& homo eſt. Non tamen, inquit, ſemper. Licet enim dicere poſsimus,quendam hominem eſſe hominem, non tamen ſemper uere dicemus: ut in mortuo, ſi mortuum hominem ſine adiuncto dicamus, at cum adiuncto non item. Adiunctum enim eſt, quod differentiam referat eorum,quæ opponuntur, cùm homo animal ſit, & mortuus animal non ſit. Præterea quidam homo ſingillatim dicitur, & omnino uniuersè: cùm igitur adiunctum fuerit, una non erit reſponſionis propoſitio. Tum ait, Aut ſi aliquid tale ſit, id non ſemper uerum erit. Aliud diuiſionis membrum aggreditur: uult enim declarare ea, quæ per ſe ſunt, dici omnino, & ſine adiuncto, & differentia, quæ nequaquam ineſſe affirmauit. Non itaq; uerum eſt, ea quæ inſunt, & quæ adiunctum quid habent, ſemper omnino dici. Addit etiam, Si quid tale ſit, id non ſemper uerum erit: ut illa quæ fortuita ſunt,referet: ex quibus non efficitur una reſponſio: quandoquidem & ſi Homerus eſt,non tamen omnino eſt. Tum ait,Quare in iis dicendi rationibus,in quibus nulla eſt repugnantia. Perorat hoc loco Ariſtoteles.Ea inquit,quæ repugnantiam non habent,& per ſe ſunt,unum reſponſum non habebunt. Si, inquit, definitiones pro nominibus adhibeantur. Hoc nimirum iure dixit,nam ſæpenumero in eiſdem nominibus adiũcti,& eius,cui adiungitur,obſcura oppoſitio eſt,& uſus definitionũ latet:hæc igitur addidit, ut differẽtiam adhibeamus, ut in homine mortuo & homine. Tum ait: Illud aliquid omnino & uerè dicetur, Illud aliquid dixit, propter ea,quibus nihil adiungitur,ſed per ſe exiſtunt. Nec etiã ignorandũ eſt,illud Aliquid in iis, quæ ſimpliciter efferũtur,& omnino in iis,quę coniunctè,intelligi debere. Tum ait: Quod autẽ non eſt,quia

opinabile eſt, non uerè aliquid eſſe dicitur. Hoc loco de tertio capite loquitur, de quo recens in noſtra diſputatione uerba faciebamus.

QVARTA PARS.

HIS autem explicatis, quomodo affirmationes, & negationes ſe habeant, quæ de eo dicunt, quod fieri poſsit ut ſit, aut non poſsit, deq́ꝫ eo quod contingit ut ſit, aut non contingit: de eo deniqꝫ quod impoſsibile eſt, & neceſſarium, conſiderandum eſt nobis: quam enim uim habeant magna quæſtio eſt. Si enim ex is, quæ illis coniunctæ ſunt, eæ ſunt oppoſitæ, & contradicentes, quæ ex uerbis Eſt, & Non eſt, conficiuntur: ueluti ſi huius, Eſt homo, negatio eſt, Non eſt homo, non illa, Eſt non homo: & ſi huius, Eſt homo albus, hæc, Non eſt homo albus, non illa, Eſt homo non albus (ſi enim de omni re uel affirmatio, uel negatio dicitur, uerum erit lignum hominē non album eſſe. Quod ſi ita eſt, in iis etiam omnibus, in quibus Eſt uerbum non ponitur, quod pro illo Eſt dicetur, idem efficiet: ut huius enunciationis, Homo ambulat, non hæc, Ambulat non homo, ſed illa, Non ambulat homo, erit negatio: quandoquidem utrum hominē ambulare, an ambulantē eſſe dicamus, nihil intereſt) ſi inquam ita ſe res in omnibus habeat, nimirum huius, Fieri poteſt, non hæc, Non poteſt fieri, ſed illa, Poteſt non fieri, eſt futura negatio. Atqui uidetur eandem rem & fieri, & non fieri poſſe: quoniam quidquid diuidi, & ambulare poteſt, id non diuidi etiam, & nō ambulare poteſt: cuius ratio eſt, quòd id omne quod ita fieri poteſt, non ſemper eſt, quamobrem ei etiā negatio conueniet: nam & quod uim ad ambulandum habet, poteſt non ambulare: & quod aſpectabile eſt, non cerni. At fieri non poteſt, ut enunciationes repugnantes de eodem uere dicantur. Huius igitur, Poteſt fieri, non illa, Poteſt non fieri, negatio eſt: efficitur enim ex his, ut aut idem de eodem ſimul dicamus, & negemus: aut ut affirmationes & negationes non fiant ex uerbis Eſt, & Non eſt, quæ adiunguntur. Quod ſi fieri nullo pacto poſsit, certè hoc ſequemur. Huius igitur, Poteſt fieri, non hæc, Poteſt non fieri, ſed illa, Non poteſt fieri, negatio eſt. Eius quod contingit, eadem ratio eſt: eius enim negatio eſt, Non contingit. Idem quoqꝫ in cæteris fit, cuiuſcemodi ſunt, Poteſt non fieri, neceſſariū fieri. Nam ut in illis Eſt, & Non eſt, additamenta ſunt, illa autem Homo, & Albus ſubiecta: ita in his Eſt, & Non eſt, tanquam ſubiecta efficiuntur. Hæc autem Poteſt, & Contingit additamenta ſunt, quæ non ſecus uerum, & falſum explicāt, quàm in illis Eſt, & Non eſt. Atqꝫ huius, Poteſt non fieri, non hæc, Non poteſt fieri, ſed hæc, Non poteſt non fieri, negatio eſt: & huius, Poteſt fieri, non illa, Poteſt non fieri, ſed hæc, Non poteſt fieri. Ex quo conficitur, ut quod fieri poteſt, & quod non fieri poteſt, alterum alteri conſequatur, propterea quòd idem & fieri, & non fieri poſsit. Non enim pugnant inter ſe, Quod fieri poteſt, & Quod non fieri poteſt: ſed Quod fieri poteſt, & Quod fieri non poteſt: quia, cùm opponantur, nonnunquam in eodem uerè dicuntur. Eadem habenda eſt ratio de his, Quod poteſt non fieri, & Quod non poteſt nō fieri. Huius itidem, Neceſſariū eſt, negatio eſt non illa quidē, Neceſſarium non eſt: ſed illa, Non neceſſarium eſt. Huius autem, Neceſſarium non eſt, illud, Non eſt nō neceſſarium. Atqꝫ huius, Impoſsibile eſt fieri, non illa, Impoſsibile eſt non fieri: ſed hæc, Non impoſsibile eſt fieri. Huius uerò, Impoſsibile eſt non fieri, hæc, Non impoſsibile eſt non fieri. Ad ſummam, Eſt, & Non eſt, ponenda ſunt, ut dixi, pro ſubiectis, quæ uerò negationem & affirmationem faciunt,

ciunt, ad Eſt, & Non eſt, addi debent. Illæ demum repugnantes & contradicentes enunciationes exiſtimandæ ſunt, in quibus Poteſt, & Non poteſt: Contingit & Non contingit: Impoſsibile eſt, & Non impoſsibile eſt: neceſſarium, & Non neceſſarium: Verum, & non uerum, ſtatuuntur.

CVM ad quartam huius operis partẽ aggrediamur, octo nobis quærenda proponuntur. Primùm Ordo illarum propoſitionũ quæ cum modo efferuntur. Deinde quid Modus ſit. Tum quot Modi ſint. Poſteà quo differat Modus à Materia. Itemq́;, Inſtans, quod Ineſſe uocatur, modum non eſſe. Sexto Solũ non eſſe modũ. Septimo quomodo ex affirmationibus cum modo negationes fiant. Poſtremò harum proportio, numerus inquam enunciationum, quæ cum modo proferuntur. Primum igitur de Ordine dicendum eſt: iure enim optimo hæ propoſitiones quartum locum ſortitæ ſunt: nam primùm ſimplices, deinde coniunctas eſſe oportet. Propoſitiones uerò, quæ ex termino ſubiecto, & eo, qui dicitur, atq; cum uerbum Eſt tertium dicitur, ſeu adiunctum quid eſt, ſimplices eſſe luce clarius apparet. Quoniam ſiquis dixerit, Socrates ambulat, aut Socrates iuſtus eſt, is ſimplicem rem ſignificauerit: at ſi dixerit, Socrates fortuito iuſtus eſt, coniunctionem quandam pronunciauerit: itemq́; ſi dixerit, Socrates neceſſariò reſpirat. & de Ordine Hactenus. De Modo quid ſit dicemus. Modus autem eſt uox, quæ explicat quomodo terminus ſubiectus ad eum, qui dicitur, affectus ſit: quam ſanè definitionẽ nonnulli improbantes aiunt, ſi ita eſt, quanã re à Determinatione differt, cùm ea idem ſignificet? Nos uerò reſpondemus, Determinationẽ propoſitionis quantitatem ſignificare: at Modum & ipſius formam, & propriam qualitatem. Quòd ſi quis nobis Adiunctum & Determinationem ſignificare qualitatem obiecerit: dicemus, nudam & ſimplicem qualitatẽ, non item formam, ab illis ſignificari. Nam cùm ſit propoſitio, quæ modum habeat, omnia quæcunq; in propoſitione ſunt, atq; adeo id quod adiunctum eſt materiæ rationem ſubeunt, modus uero formæ, & forma eſt longè præſtantior, quàm materia. Quærendum tertiò loco eſt, Quot Modi ſint: eos ego eſſe infinitos cenſeo. nam quot aduerbia qualitatem declarant, tot eſſe Modi comperiuntur, ut pulchrè, ut ſapienter, ut benè, ut malè, ut rectè, & cætera eiuſdẽ generis innumera: hæcq́; ut ſingularia, eſſe, atq; accidentia palam omnibus eſt. Modi enim, qui rei naturam indicant, tres ſunt, Neceſſarius, Contingens, Impoſsibilis: ut ſiquis diceret, omnem ſcientiam à ui, naturaq́; prouenire, & Grammaticam per ſe in ſingulis eſſe: omnes enim homines omnium ſcientiarum neceſſariò capaces eſſe dicimus: etenim eſt hominibus natura comparatum, ut apti ſint ad ſcientiam, & cognitionem percipiendam. Ex accidenti uerò, ut Socrates grammaticus ſit: nam euenit, ut aliam quandam ex ſcientiis ſciat. Quartò indagandum eſt, quo differat Modus à Materia: Materia enim & contingens eſt, & neceſſaria, & non fieri poteſt: Enunciatio igitur ſine Materia eſſe nullo pacto poteſt, at ſine Modo, poteſt. Præterea Materia ſola intelligentia cognoſcitur, ut Omnis homo eſt rationis particeps: nam aliquis id eſſe neceſſariò, cognoſcit. At modus tum cognoſcitur, cùm profertur oratio: ut, Socrates neceſſariò reſpirat, Socrates fortuitò uadit. Ad hæc Materia in ipſa natura rerum, quæ in propoſitione ſunt, ſpectatur: Neceſſe enim omnino eſt, terminũ qui dicitur, aut ſemper ineſſe in ſubiecto, aut nunquam: aut partim ineſſe, partim non ineſſe: Modum uerò in ipſa orationis pronunciatione ſolùm habere dicimus, ut per ſe conſtet, & cohæreat: quoniam accidit, ut propoſitiones in materia ueræ per modum falſæ fiant: ut Sol mouetur, uera enunciatio eſt, Sol fortuito caſu, & temerè mouetur, falſa. Conſequens eſt, ut oſtẽdamus, Inſtans nequaquam eſſe Modum. Nam, ut in ſua explicatione ſcriptũ reliquit Ammonius, ſi inſtans modus eſſet, inueniretur modus modum declarans, quod ſanè non eſt rationi cõſentaneum. Dicimus enim ſi in hac oratione, Socrati fortuito proficiſci ineſt, modus eſt Ineſſe, modum de modo dici. Si præterea Ineſſe modus eſt, duæ Ariſtotelicæ tractationes mancæ & mutilæ ſunt, ac quaſi decurtatæ, liber uidelicet de Interpretatione, & libri Priorum analyticorum. quandoquidem in illis propoſitiones quæ cum modo ſunt, explicans eas, quibus ineſſe adiungendũ fuiſſet, prætermiſiſſet. Sexto diſputandũ eſt, Solum non eſſe modum: fieri enim poteſt ut Solummodo à Solum deductũ modus ſit: at ut Solum modus ſit, non poteſt: quandoquidem Solum eſt acceſsio quædam, ut Omnis homo ſapientiæ capax eſt ſolum. Item Solum indicat repugnantiã, cùm enim dicimus, Homo ſolum ſapientiæ capax eſt; oſtẽdimus, id ſoli homini conuenire, & nulli præterquàm homini. Sed de Solo quęramus, utrum affirmationem, & negationem recipiat necne, quamq́; affirmationem, & negationem ſuſcipiat. Dicimus igitur, Solum accipere affirmationem ſemper rerum uniuerſarum, & negationem ſingularũ, & uniuerſarum: ac ſingularũ quidẽ cùm dicimus, Socrates ſolus eſt philoſophus. Septimum caput erat quomodo negationes cum modo ex affirmationibus fierent. Negationes quidem uniuerſales cum modo adiuncto fiunt, ſi modus auferatur, etiam ſi negatio fuerit determinata, atq; additamentum habeat: nam cùm potior pars ablata ſit, negatio fit, & modus utpote qui propoſitionis forma eſt, cæteris præſtat omnibus, cùm ea materiæ ratione quadam reſpondeant. Supereſt deniq; ut propoſitionum, quæ cum modo proferuntur, numerus palam fiat. Propoſitiones, quæ ex ſubiecto, & eo termino qui dicitur, conflatæ ſunt, aut utræq; ſunt determinatæ, aut neutra eſt determinata: aut altera definita, altera infinita, id quod uiciſsim retro commeat: quatuor igitur genera ſiunt. Ex tertio autem, ut aiunt, adiacente, & modo ſimiliter oriuntur. Aut enim tres definitæ ſunt, & una infinita: aut una definita, & tres infinitæ: aut duæ finitæ, & duæ infinitæ, quod etiam reci-

procatur. Fiunt igitur aliæ octo, & ita duodecim ſunt. & duodecim in quatuor, in uniuerſas cum uniuerſis, in ſingulas & uniuerſas non omnino, & uniuerſas cum ſingulis, & fiunt duæ de quinquaginta: & hæ in tribus temporibus CXLIIII. hæq; CXLIIII. in tribus materiis CCCCXXXII: atq; hæ in tribus modis M.CCXCVI. quæ ſunt propoſitiones cum modo prolatæ. Quod ſi quiſpiam omnes propoſitiones ſcire uoluerit, his addat LXXII, quæ ſunt ex ſubiecto termino, & eo, qui dicitur, repugnantiæ, & fient M.CCCLXVIII. addantur poſtea his omnibus CXLIIII. ex tertio additamento, & cunctæ repugnantiæ fient M.DXII. & nullæ præter has inueniuntur. At propoſitiones ſunt MMM.XXIIII. & hæc ſuot de quibus in hac noſtra diſputatione agendum eſt. Sed quia utile fore putamus, ſcire diſcrimen inter τὸ μέλλον, & τὸ ἐσόμενον, quod ſit illud explicabimus. τὸ μέλλον intelligitur in eo quod contingit, uel quod non poteſt euenire: at τὸ ἐσόμενον, in eo quod omnino, uel neceſſario euenturum eſt, ut ſi dixerimus, Erit hyems, uel æſtas. Nunc ad contextum orationis noſtra ſe conuertet oratio.

His autem, inquit, explicatis quomodo affirmationes & negationes ſe habeant, quæ de eo dicunt, quod fieri poſsit, &c. Id unum hoc loco præ omnibus ſciendum eſt, cùm octo ſint capita, duorum tantùm Ariſtotelē meminiſſe: quomodo ſcilicet negationes ex affirmationibus fiant, & proportionis propoſitionum. Hæc præterea quarta particula bifariam diuiditur. In prima enim parte huius quartæ ſectionis quærit, quonam pacto ex affirmationibus negationes fiant: in qua quidem tractatione Ariſtoteles falſum tuetur, atq; idipſum poſtea refellit, & deinde uerum defendit. Modorū, qui à ui, & natura proficiſcuntur, non autem eorum, qui aduenerint, mentionem fuiſſe ab Ariſtotele factam ſciendum eſt: quaſi hi ab illis, qui à natura proueniunt, contineantur. Si enim ex iis, quæ illis coniunguntur, eæ ſunt oppoſitæ. Ex his clarum eſt, Ariſtotelem falſitatem patrocinari, Nam inquit, ſi in iis, quæ acceſsionē habent, Non, acceſsioni apponimus, ut fiat negatio: quid cauſæ eſt, cur in iis etiam, quæ modum habēt, idem non faciamus, & neutiquam cōiungamus Non, his uerbis Eſſe, & Non eſſe, & fiat negatio? nam Eſſe & Non eſſe non adiunguntur, quoniam Eſt ſignificat eſſe. Nam ueluti in iis, quæ adiunctum habent Non, negationem alteri particulę propoſitionis copulare non poſſumus, dicimus enim Hominem album eſſe, & Hominem album non eſſe: at non, Eſſe non album hominē, quod ſimul uerum eſſet: itemq; in ligno affirmamus, cùm ipſum eſſe non album hominem dicimus: ita ob hanc ipſam cauſam in illis, quæ modum habent, erat faciendum, & Non, negatio adiuncto addenda erat: quoniam aut in omnibus, aut in nullis propoſitionibus id ſeruari debet: nam quæ ſors tulit has ita eſſe, alias nō eſſe? Quod ſi ita eſt, in iis etiam omnibus, in quibus Eſt, uerbum non ponitur, quod pro illo Eſt dicetur, idem efficiet. Hæc ait, ut oſtendat ſi in iis in quibus terminus de alio dictus huius uerbi Eſt, locum habebit, Non negatio eidem termino adiuncta negationem facit, multo magis in illis, quæ habent Eſt adiunctum eſſe facturam. Atqui uidetur eandem rem & fieri, & non fieri poſſe. His uerbis contingens oſtenditur, cùm fieri poſsit, ut quiſpiā ambulet, & non ambulet. Cuius ratio eſt, quod id omne, quod ita fieri poteſt, non ſemper eſt. Hæc dixit, propterea quòd nonnulli id quod fieri poteſt, & quod contingens eſt, idem eſſe putauerunt. Nam Ariſtoteles illud, quod fieri poteſt, in eo etiam quod neceſſarium eſt, collocat: id uerò quod contingit, non item: quod enim fieri poteſt, eſt eiuſdem poteſtatis, quod neceſſariū. Atq; Neceſſarium dupliciter dicitur: Vno modo quod omnino, & propriè ſignificat, quod ſemper ineſt: ut cùm in iis, quæ ex omni æternitate ſunt, Deum neceſſariò bonum dicimus. Altero, quod ſubiectam rem declarat: ut cùm hunc ignem calidum eſſe dicimus. Eadem ratio eſt in eo, quod ex neceſsitate non eſt, atq; omnino, ut Solem à motu ceſſare: & hoc quoad non fuerit dictum de quodam, aut quibuſdam, ut ex neceſsitate non ambulare, cùm quis non ambulet. Et ex his patefacta eſt propoſitionum differentia, quæ in materiis habetur. Nam quod omnino eſt, Neceſſarium ſignificat. quod uerò omnino non eſt, id quod non fieri poteſt, declarat. quod uero eſt, ſi id quod eſt de quodam dicatur, erit, ſi non fuerit, continget. Atqui fieri non poteſt, ut enunciationes repugnantes de eodem uerè dicantur. Hic falſum refellit. Si in adiuncto, inquit, Non illis propoſitionibus, quæ modum habent, adiungamus, ſimul de eodem ueræ erunt oppoſitæ enunciationes, id quod fieri non poteſt. ergo ſi illud non permittitur, hoc ſequemur, ut Non modo adiungamus. Hæc autem Poteſt, & Contingit, additamenta ſunt, quæ non ſecus uerum & falſum explicant, quàm in illis Eſt, & Non eſt. Quemadmodum in illis, quæ adiunctum habent, idem ipſum adiunctum affirmationem & negationem facit, & cæteræ propoſitionis partes materiæ uicem ſubeunt: ſic etiam illæ, quibus modus ineſt, ſiquidem modus affirmationem & negationem facit: reliqua autem, atque adeo ipſum adiunctum materiæ uim obtinent. Et huius, Poteſt fieri, non illa, Poteſt non fieri, ſed hæc, Non poteſt non fieri, negatio eſt. His uerbis propoſitiones modum habentes ex nominibus & uerbis traiectis & commutatis ſignificauit. Neceſſarium, inquit, & Non neceſſarium, Verum & Non uerum. Hic oſtendit modum etiam accidentis eſſe: dixit enim Verum, & Non uerum, propterea quod philoſophus uero utitur, ac falſum reprehendit. Et hucuſq; prima particula quartæ partis producta eſt. Propoſitionū igitur, quæ cum modo ſunt, deſcriptio hoc pacto conficitur. Huic, Contingit non eſſe, opponitur & modo, & qualitate hæc, Neceſſe eſt eſſe: conuenit autem hæc, Non neceſſe eſt eſſe: cui repugnat hæc, Contingit eſſe: congruit hæc, Non contingit eſſe. At huic, Nemini contingit, hæc, Neceſſe eſt aliquem, repugnat: cum qua, Non neceſſe eſt aliquem, conuenit. Item huic, Contingit non omni, hæc repugnat, Neceſſe eſt omni: concurrit autem hæc, Non neceſſe eſt omni. Rurſus huic, Neceſſe eſt nemini, hæc, Contingit alicui,

repugnat.

repugnat:concurrit,Non contingit alicui.Præterea huic,Neceſſe eſt non omni, hæc repugnat, Contingit omni:cum qua hæc,Omni non contingit,conuenit.

ATQVE harum conſequentiæ diſponendæ ſunt hoc pacto. Ei enim Quod fieri poteſt,illud Quod contingit ut ſit, conſequitur, retróq; dicitur: atque etiam Quod non impoſsibile eſt fieri,& Quod non neceſſe eſt fieri. Ex eo uero Quod non fieri poteſt,& Quod accidit ut non fiat,id Quod non neceſſe eſt non fieri,& Quod non impoſsibile eſt non fieri,conſequuntur. Ex eo quoq;, Quod non fieri poteſt ut ſit,& Quod non contingit ut ſit, id Quod neceſſe eſt non eſſe, & Quod impoſsibile eſt eſſe,conſequentia ſunt. Conſequuntur etiã ex eo Quod non poteſt non eſſe, & Quod non accidit non eſſe, id Quod neceſſe eſt eſſe, & Quod impoſsibile eſt non eſſe, id quod ex hac deſcriptione intelligetur.

Quod fieri poteſt ut ſit,	Quod fieri non poteſt,
Quod accidit ut ſit,	Quod non accidit ut ſit,
Non impoſsibile ut ſit,	Quod impoſsibile eſt eſſe,
Non neceſſarium eſſe,	Quod neceſſe eſt non eſſe.
Quod fieri poteſt,ut non ſit,	Quod non poteſt fieri quin ſit,
Quod accidit ut non ſit,	Quod non accidit ut non ſit,
Non impoſsibile non eſſe,	Quod impoſsibile eſt quin ſit,
Non neceſſarium non eſſe,	Quod neceſſe eſt eſſe.

Quod igitur fieri non poteſt ut ſit,&, Quod impoſsibile eſt eſſe, conſequentia ſunt ex contradicentibus eius, Quod accidit ut ſit,& Quod fieri poteſt ut ſit,& Quod non accidit ut ſit:& Quod poteſt fieri ut non ſit, atq; etiam uicißim retro commeant. Ei enim Quod poteſt fieri,negatio eius Quod fieri nõ poteſt,conſequitur ea eſt,Non impoſsibile eſt eſſe. Ex negatione uerò cõſequitur affirmatio:quandoquidem ex eo, Quod fieri non poteſt ut ſit, id Quod impoſsibile eſt eſſe,conſequens eſt. Hoc enim, Impoſsibile eſt eſſe,ait:illud autem,Non impoſsibile eſt eſſe,negat. Quomodo autẽ ſe habeat id,Quod neceſſe eſt eſſe,uideamus: atq; illud ſanè clarum eſt,in his non ita eſſe ut in illis:hícq; contrarias conſequi,contradicentes autem ſeparatim. Nam neq; huius, Neceſſe eſt non eſſe,illa Nõ neceſſe eſt eſſe,negatio eſt,quoniam utraq; uera eſſe de eodẽ poteſt.id enim, quod non eſſe neceſſe eſt,id non neceſſe eſt ut ſit. Cur autem enunciationes eius, Quod neceſſe eſt,non perinde atq; aliæ,altera ex altera conſequantur, cauſa eſt, quòd id quod impoſsibile eſt eſſe,quod eandẽ uim habet,ei quod neceſſariũ eſt, cõtrario nomine opponitur. Quod enim fieri nõ poteſt ut ſit,id neceſſe eſt non quidem eſſe,ſed non eſſe:at quod fieri nõ poteſt, quin ſit,id ſit eſt neceſſe. Quamobrem ſi illa eodẽ modo ex eo,quod poteſt eſſe,& nõ eſſe cõſequũtur, profecto in his cõtra fiet,propterea quòd id quod neceſſe eſt eſſe, & quod fieri non poteſt ut ſit,non idem ualent,ſed ut dictũ eſt. Ambigitur autẽ,utrum fieri non poſsit,ut repugnantiæ & contradictiones eius,quod neceſſe eſt,hoc modo conſtituantur: ei enim quod neceſſe eſt eſſe conſequitur id quod fieri poteſt ut ſit:ſin ſecus,conſequitur negatio:quãdoquidem neceſſe eſt affirmare aliquid,aut negare. Ita ſi non poſsit eſſe,impoſsibile eſt eſſe. Ergo quod fieri non poteſt ut ſit, id neceſſe erit eſſe:quod eſt perabſurdũ. At ex eo quod poteſt eſſe,conſequitur id quod nõ impoſsibile eſt eſſe:ex quo, id quod non neceſſe eſt eſſe. Quibus quidem ſit rebus, ut quod neceſſarium eſt,id non ſit neceſſe,ut ſit: quo nihil abſurdius. Sed neq; ex eo quod poteſt eſſe id,quod neceſſe eſt eſſe,aut non eſſe, efficitur. Cùm enim

hoc utrunq; accidere unà poſsit, & utrumlibet eorum uerum ſit, illa uera futura non ſunt: aliquid enim & eſſe, & non eſſe ſimul poteſt: nam ſi uel eſſe, uel non eſſe neceſſe ſit, utrunq; fieri non poterit. Reſtat igitur, ut id, quod non neceſſe eſt non eſſe ex eo, quod poteſt eſſe, conſequatur: quãdoquidem de eo etiam, quod neceſſe eſt eſſe, uerè dicitur, uel ex eo, quod hæc contradictio ex eo efficitur, quod fieri poteſt. Illi enim conſequens eſt id quod impoſsibile eſt eſſe, & quod neceſſe eſt non eſſe, cuius hæc eſt negatio, Non neceſſe eſt non eſſe. Hæc igitur alterum alteri conſequuntur, ut ante dixi. quibus ita diſpoſitis nihil repugnans concluditur.

HOC loco quærenda ſunt nobis capita quatuor. Quot ſint propoſitæ propoſitiones: Earum ordo: Apparens earum conſequentia, & uera conſecutio Ac de numero quidem, dicimus eas, quę modũ adiunctum habent, eſſe quatuor, Neceſſariam, Contingentem, Poſsibilem, & Impoſsibilem. Vna earum quæq; quadripartito effertur, ut ſimplex, deinde commutata, tum affirmatio, poſtremò negatio. Vt ſimplex affirmatio qualis eſt, Neceſſe eſt eſſe, cuius negatio eſt, Non neceſſe eſt eſſe. affirmatio commutata ſit, neceſſarium eſt, ut non ſit, cuius hæc erit negatio, Non neceſſe eſt, ut non ſit. In reliquis idem fit. Quatuor igitur quater ducta XVI, conficiunt. Duas etiam ob cauſas factum comperimus, ut Adiuncti & Modi tantummodo Ariſtoteles, non item termini qui ſubiicitur, & qui dicitur, meminerit. Primùm ut nobis optionem daret, utrum uellemus ſubiectum faceremus, uel terminum, qui dicitur. Secuodò horum duorum tantũ meminit, quia Adiunctum ſimplices propoſitiones conſtruit, & eas, quæ ex commutatione ſunt factæ. Modus uerò qualitatem indicat enũciationum, eaſq; uel aientes, uel oeganteis facit. Secundum caput de Ordine eſt. Fiunt itaq; duæ tabellæ, in quarum prima ſimplex affirmatio, quæ de eo dicit, quod fieri poteſt, collocatur, ex qua ſimplex affirmatio contingentis conſequitur, ex qua ſequitur negatio ſimplex eius, quod fieri non poteſt, ex qua ſimplex neceſſarii negatio conſequens eſt. Eodem modo in inferiori tabella ſita eſt affirmatio ex commutatione, quæ de eo dicit, quod fieri poteſt ut, Fieri poteſt ut non ſit, ex qua cõtingentis affirmatio conſequitur hæc, Contingit ut non ſit. ex hac negatio commutata eius, quod nõ fieri poteſt, efficitur hæc, Non fieri non poteſt ut non fit ex hac negatio commutata eius, quod neceſſarium eſt, hæc, Non neceſſe ut non ſit, conſequitur. Ad ſecundam itaq; tabellam noſtra ſe conuertat oratio, in cuius initio ponenda eſt ſimplex eius, quod fieri poteſt negatio hæc, Non fieri poteſt. deinde ſimplex negatio contingentis hæc, Non contingit eſſe. tum ſimplex eius, quod non fieri poteſt, affirmatio, Non fieri poteſt, ut ſit. poſtremò affirmatio eius, quod neceſſarium eſt, ex nominibus & uerbis traiectis, & commutatis conflata hęc, Neceſſe eſt ut non ſit, qua tabella expleta ad inferiorem eſt deſcendendũ, & in principio negatio commutata eius, quod fieri poteſt, collocatur, Non fieri poteſt, ut non ſit. poſtea negatio contingentis ex commutatione, Non contingit ut non ſit, deinceps eius, quod fieri non poteſt ex cõmutatione, affirmatio, Non fieri poteſt, quin ſit. deinde apponenda eſt ſimplex neceſſarii affirmatio, Neceſſe eſt, ut fit. & cùm hæc de illarum dicta ſint ordine, ita fieri poterit ſua deſcriptio.

APPARENS ENVNCIATIONVM CONSECVTIO.

Fieri poteſt ut ſit,	Non fieri poteſt,
Accidit ut ſit,	Non accidit,
Non fieri non poteſt ut ſit,	Non fieri poteſt,
Non neceſſe eſt eſſe,	Neceſſe eſt non eſſe.
Fieri poteſt ut non ſit,	Non fieri poteſt,
Accidit non eſſe,	Non accidit,
Non fieri non poteſt, quin ſit,	Non fieri poteſt,
Non neceſſe eſt non eſſe,	Neceſſarium eſt eſſe.

VERA EARVM DISPOSITIO.

Fieri poteſt ut ſit,	Non poteſt fieri,
Accidit eſſe,	Non accidit,
Non fieri non poteſt ut ſit,	Non fieri poteſt,
Non neceſſarium eſt ut non ſit,	Neceſſarium eſt,
Fieri poteſt ut non ſit,	Non poteſt fieri,
Accidit ut non ſit,	Non contingit,
Non fieri non poteſt quin ſit,	Non fieri poteſt,
Non neceſſe eſt eſſe,	Neceſſe eſt.

Dicendum igitur eſt de apparenti earum conſequentia. Omnes illæ, quæ primæ & ſecundæ tabellæ ſunt

ex aduer

ex aduerſo conſtitutæ,ſunt repugnantes,præter hanc ſolam,Non neceſſe eſt eſſe, quæ quarum prioris tabellæ locum occupat:& hanc,Neceſſe eſt non eſſe,quæ locata eſt in quarto aduerſæ tabulæ loco:quæ licet aduerſæ ſint conſtitutæ,inter ſe tamen non repugnant. Eodem etiam modo in reliquis tabellis contradicunt,tanquam contrariæ exiſtant.Hæc tamen,Non neceſſarium eſt ut non ſit,quæ quarto loco infra tabellam primam collocatur, & Neceſſarium eſt eſſe in extrema inferiori tabella conſtituta non repugnant. De uera ipſarum conſequentia dicimus unam tantum differentiam inter uerum & apparens uerſari. nam ex octo tabellæ primæ quartam unius,& quartam alterius proptie poſuimus. quæ omnes repugnantes & contradicentes ſunt.Illarum igitur uera diſpoſitio erit paulo ſuperius à dextris collocata,& explicata.Reliquum eſt,ut quam uim habeant faciamus palam.De illis igitur prioris tabellæ dicēdum eſt: Prima quidem æqualis eſt ſecundæ in qualitate & ſimplicitate:tertia & quarta etſi qualitate pares non ſunt, ſimplicitate tamen ſunt.Eodem modo affectæ ſunt inter ſe illæ,quæ inferiorem deſcriptionem tenent. De ſecunda tabula dicam ad hunc modum:Prima & ſecunda parem uim habent omnibus modis. tertia in puritate æqualis eſt illa quidem,ſed non qualitate:quandoquidem eſt affirmatio,licet apud Græcos α priuationem rei ſignificare uideatur:at quarta duabus primis nec qualitate, nec puritate æqualis eſt:uel ex eo, quòd eſt ex nominibus cōmutatis affirmatio. Simili quoque modo in tabella inferiori prima & ſecūda omnibus modis pares ſunt,atque æquales:quarta in qualitate diuerſa eſt. Ac quarta quidem cum duabus primis neque ex commutatione,neque in qualitate par eſt. Huius rei cauſa quærenda eſt: ac dicimus, duas primas antedictas,uidelicet Fieri poteſt,& Accidit,ex iis eſſe,quæ cum aliquo comparantur, & quæ cum aliquo conferuntur, ſunt æquales inter ſe:idem in reliquis tabellis cenſeo. Nam in inferiore tertia & quarta ſunt pares primis in prima tabella poſitis, propterea quòd illud quod fieri poteſt, & quod accidit, media ſunt neceſſarii,& eius,quod non fieri poteſt & media omnia ab extremorum negationibus ſemper dignoſcuntur:ut tepidum non eſſe calidum nec frigidum dicimus,& fuſcum neque album,neque nigrum eſſe.Sic itaq; de reliquis enunciationibus in tabella conſtitutis dicendum eſt. Quæſtio itaque patefacta eſt,quid cauſæ ſit,cur affirmationes ſint pares negationibus.Philoſophi igitur uerba legenda ſunt, ut illorum difficultas aperta,atq; illuſtris fiat.

Atq; harum,inquit,conſequentiæ diſponendæ ſunt hoc pacto. Quatuor tabularū deſcriptionem ſimplicium propoſitionum,& ex commutationibus oſtendit.In prima tabella ponendę ſunt perinde,ac in prima figura fuerant conſtitutæ,uidelicet,Fieri poteſt ut ſit,Accidit ut ſit,Non fieri nō poteſt ut ſit, Non neceſſe eſt eſſe.Tum eæ,quæ poſt has conſequuntur,quæ ex nominibus & uerbis traiectis, & commutatis conſtant,Fieri poteſt,ut non ſit,Accidit nō eſſe,Non fieri non poteſt,quin ſit,Nō neceſſe eſt non eſſe. Atq; in ſecunda tabella ſic:Non fieri poteſt,Non accidit,Non fieri poteſt,Neceſſe eſt non eſſe,præterea in inferiori hoc pacto,Non fieri poteſt,Non accidit,Non fieri poteſt,Neceſſarium eſt eſſe: & ita quatuor tabellæ fiunt,quæ ſunt ab Ariſtotele poſitæ,& à nobis explicatæ.

Quod igitur fieri non poteſt,ut ſit,& quod impoſsibile eſt eſſe.Id ait,quoniam id,quod fieri poteſt,& quod contingit,inter ſe repugnant,& oppoſita ſunt in tabella.eodem quoque modo: quod non impoſsibile eſt,& quod impoſsibile eſt,ſibi contradicunt,ſed contrario nomine:id quod ſit,quoniam affirmationi eius,quod fieri poteſt,& quod contingit,negatio eius quod impoſsibile eſt,opponitur.Similiter in ſecūda tabella:nam negationi eius,quod fieri poteſt,& quod contingit, affirmatio eius quod non fieri poteſt,contraria eſt. Contrario igitur nomine apponi dico,id eſt non ex ordine affirmationē, ſed cum negationes affirmationibus opponuntur.Nam ea affirmatio eſt,quæ inquit, Non fieri poteſt ut ſit:quandoquidem licet α priuationem ſignificet,negationem tamen non facit.

Quomodo autem ſe habeat id,quod neceſſarium eſt,uideamus. Cum de ſuperioribus repugnantiis dixerit,quærit quam uim habeat Neceſſarium:& ait,Neceſſarii repugnantiam ſecus,ac reliquas ſe habere.Nam huic enunciationi,Non neceſſe eſt eſſe,non hæc, Neceſſe eſt non eſſe,repugnat, quia ſimul uerè dicitur:& repugnantia nunquam ſimul uera eſt.Quòd ſi hæ,Neceſſe eſt non eſſe,&,Non neceſſe eſt, ſimul ueræ ſint:hæc,Non neceſſe eſt eſſe,erit par huic,Fieri poteſt ut ſit,& Fieri non poteſt ut ſit: quod ſanè abſurdum eſt. At cum ait,Hicq; ſequi contrarias:Id eſt,contrarias ſequi contrarias, non dicit eas, quæ poſsint ſimul ueræ eſſe,ſed quæ falſæ ſint:propterea quòd eas ſimul ueras eſſe ait. Ac Contrarias quidem uocat,ad hæc uerba Eſſe,& Non eſſe,animam attendens:nam Eſſe,& Non eſſe,contraria ſunt:ut, Non neceſſarium eſſe,&,Neceſſarium non eſſe.

Contradicentes autem ſeparatim.Id eſt,contradictiones eius,quod neceſſarium eſt: negatio enim in hac,Fieri poteſt ut ſit,conſtituitur:atq; hæc affirmatio,Neceſſe eſt ut ſit,in negationibus commutatis eius quod fieri poteſt,ut in hac,Non fieri poteſt ut non ſit.item huius,Neceſſe eſt ut non ſit,negatio in hac,Fieri poteſt,ut non ſit,collocatur:quare & ſeparatæ,& conuerſæ ſunt repugnantiæ.

Cur autem enunciationes eius, quod neceſſe eſt,non perinde, atque aliæ altera ex altera conſequantur,hæc cauſa eſt, &c. Cauſam hic nobis affert, cur Neceſſarii repugnantia non æquè,ac reliquæ propoſitiones,conſequatur: ea huiuſmodi eſt.Propoſitiones ab eo deriuatæ,quod fieri poteſt,& à neceſſario,eiuſdem ſunt poteſtatis,quando contrariæ ſint conſtitutæ:Contrario nomine dico in his uerbis Eſſe, & Non eſſe.ut Non neceſſe eſſe,Neceſſe non eſſe:nam propoſitio,quæ ab eo,quod fieri nō poteſt,efficitur, habet Eſſe: ea uerò, quæ à neceſſario, Non eſſe. Nam huic Non fieri poteſt ut non ſit, hæc Neceſſarium

rium eſſe,æqualis eſt:ac ratiocinatio quidem efficitur ſic:Si,Nõ neceſſarium eſt,idem eſt,atq;, Neceſſe eſt, & huic,Neceſſe eſt ut non ſit,par eſt hæc,Non fieri poteſt ut ſit:& huic , Non fieri poteſt ut ſit, æqualis eſt hæc,Non fieri poteſt ut non ſit:huic uero,Non fieri poteſt,ut non ſit,neceſſariũ eſt eſſe, quod neceſſarium eſt eſſe,erit impoſsibile,& non neceſſarium:quo nihil abſurdius.

Quamobrem ſi illa eodem modo ex eo quod poteſt eſſe,& non eſſe conſequuntur. Hęc ait,quia huic,Non neceſſe eſt eſſe,non hanc,Neceſſe eſt eſſe,ſed illam,Neceſſe eſt non eſſe,contrariam ſtatuimus:ut ex hoc cognoſcamus,ei quod non fieri poteſt non par eſſe neceſſarium:ſed,ut pauloante dicebamus,neceſſarii repugnantias contrario nomine opponi.

Propterea quod id quod neceſſarium eſt eſſe, & quod fieri non poteſt ut ſit,non idem ualent. Cùm uelit oſtendere,hanc,Non neceſſarium eſt eſſe,aptè & congruè affirmationi eius , quod fieri poteſt, & non huic,Neceſſarium ut ſit,eſſe oppoſitam,tali ratiocinatione utitur:Quod neceſſarium eſt eſſe, ex eo conſequitur,quod fieri poteſt:quòd ſi non,ex hac,Non fieri poteſt ut ſit,conſequetur:ſed ex hac,Non fieri poteſt ut ſit,non conſequitur propter eam cauſam,quam attulimus ſuprà,cùm priorem ratiocinationem componeremus:quoniam dici , Quod neceſſarium eſt eſſe,id eſſet impoſsibile . Quod igitur neceſſarium eſt,conſequitur ex eo,quod fieri poteſt.Nam, Fieri poteſt ut ſit,huic æqualis eſt,Non neceſſe eſt ut ſit.Neceſſe igitur eſt,ut ſit,huic,Non neceſſe eſt ut ſit,par erit:à qua ſententia nemo non abhorrett . Ergo hanc, Non neceſſe eſt ut ſit,huic,Fieri poteſt ut ſit,non rectè opponi declarat.ad cuius rei demonſtrationem præcepto,quod in lineis intelligitur,uſus eſt.Geometris enim hoc eſt effatum:Quæcunq; in eodẽ conueniunt, eadem inter ſe conueniunt.Ex eo igitur , quod fieri poteſt ut ſit , neceſſarium , & non neceſſarium conſequuntur:igitur non neceſſarium eſt ex neceſſario cõſequens.Sed id abſonum dictu eſt: quippe cùm omnino ita ſe res habeat,ut ſi primum ſecundo par ſit,& tertium ſecundo,tertium etiam primo æquale ſit futurum. Nam ſi neceſſarium ei,quod fieri poteſt,par eſt,& quod fieri poteſt,non neceſſario : non neceſſarium neceſſario erit certè par:quod eſt perabſurdum. Cùm itaq; binæ ſint repugnantiæ, uidelicet non neceſſarium ut non ſit,& neceſſarium ut ſit.itemq; neceſſarium ut non ſit,& non neceſſarium ut non ſit,oſtendit fieri non poſſe,ut ſimplex neceſſarii repugnantia huic,Fieri poteſt ut ſit,par inueniatur. Sed neque etiam affirmationem non ſimplicem ait poſſe,id quod ſit,ne neceſſarium ſit impoſsibile.Reſtat igitur , ut affirmationi Fieri poteſt ut ſit,negatio ex commutatione ſit æqualis:ut,Fieri poteſt ut ſit,Non neceſſe eſt, ut non ſit.quod in cauſa eſt,ut neceſſarii repugnantiæ ei,quæ Fieri poteſt,contrario nomine ſint æquales. At ſi hanc,Non neceſſarium ut non ſit,cum hac,Non neceſſe ut ſit,commutemus, erunt omnes repugnantes.Præterea cùm duæ repugnantiæ ſint,primæ repugnantiæ affirmationem negationi ſecundæ æqualem eſſe neceſſe eſt:ut,Fieri poteſt ut ſit,Non fieri poteſt ut ſit:Neceſſarium ut nõ ſit, Non neceſſarium ut non ſit.Ei enim Fieri poteſt ut ſit,hæc negatio,Non neceſſe eſt ut non ſit,cõſequitur. At ſi quis diceret.quid cauſæ ſit,cur affirmatio affirmationi par non ſit?Ei reſponderemus,affirmationem inuentum iri eius,quod fieri poteſt,& quod non poteſt,eſſe parem.Probatum enim eſt hanc,Neceſſarium ut non ſit,huic, Non fieri poteſt ut non ſit,æqualem eſſe:quod ſi eam huic,Fieri poteſt ut ſit,parem quoq; eſſe faceremus,repugnantia eius,quod fieri poteſt,& eius quod non poteſt,ſimul uera eſſet:quo nihil eſſet à ratione alienius.

POSSET autem quis dubitare, utrum ex eo,quod neceſſe eſt ut ſit , id quod fieri poteſt ut ſit , conſequatur . quod ſi hoc conſequens non ſit, contrarium, id quod fieri non poteſt, conſequetur . Verùm ſi quis hoc contradicens eſſe neget, cogetur is fateri id eſſe,quod fieri poteſt ut non ſit : quæ duo in eo quod neceſſarium eſt, falſa ſunt. At contrà idem uidetur ſecari poſſe, & non poſſe, eſſeq́ & non eſſe . atque ita id quod neceſſarium eſt , poterit non eſſe: id quod falſum eſt. Perſpicuum autem eſt,non quicquid poteſt eſſe , aut ambulare,poſſe etiam non eſſe, aut non ambulare , quandoquidem in nonnullis non uerè dicitur. Primùm in iis,quæ ſine ratione facere quid poſſunt , ut ignis uim caloris habet , ſed rationis expertem . Vires igitur , quæ ratione agunt quid,multa contraria poſſunt efficere,at rationis expertes non omnes.ſed ut dictum eſt de igne, qui natura ſua gignere & non gignere calorem non poteſt. Sed nec ea omnia,quę ſemper agunt. Et tamen quædã ſunt,quæ licet facultates rationis expertes habeant, poſſunt tamen ſimul recipere contraria. Id quod dixi, proptereà quod non omnis facultas apta eſt ad contrariorum paria recipienda: ne illæ quidem, quæ ſunt generis eiuſdẽ: quædam enim uires homonymæ ſunt. Quod enim poteſt aliquid efficere nõ uno modo dicitur: & aliud ob id dicitur poſſe, quòd iam re uera ſic agat: ut poſſe aliquẽ ambulare, quia ambulet, & omnino eſſe poſſe, quod re ipſa ſit id,

quod

quod poſſe eſſe dicitur. Aliud uerò, quòd futurum ſit, ut aliquando agat. quemadmodum aliquem ambulare dicimus, quia futurum ſit ut ambulet. Atq; hæc quidem facultas in iis tantùm ineſt, quæ ſuos habẽt motus: illa uerò, in iis etiam, quæ motu carent. nam & quod ambulat iam, & quod agit, & quod habet ambulandi facultatem uerè dicitur ambulare poſſe, & ambulans eſſe. Sed quod hoc pacto poteſt, in re neceſſaria non omnino uerè dici poteſt, alterum poteſt. Quare cùm genus ex parte cõſequatur, profectò ex eo, quod neceſſarium eſt, id quod fieri poteſt, conſequetur, ſed non omne. Fortaſſe enim quod eſſe & non eſſe neceſſe eſt, aliis ut ſint, uel ut non ſint, hic fons, hoc principium eſt: ita ut cætera ex eo ſpectanda ſint, quòd ex his conſequantur. Quocirca ex his, quæ diximus, perſpicuum eſt, id quod neceſſariò ſit, in actu eſſe: quamobrem ſi priora ſunt æterna, actus etiam eſt prior facultate. Cumq; alia nullam uim habeant, ut ſint, actus ſunt ut primæ ſubſtantiæ: alia uim habent, ut ſint, quæ ordine naturæ priora ſunt, poſteriora temporis: alia re uera nunquam ſunt, ſed eſſe tantummodo poſſunt.

QVAERIT hoc loco, Vtrum neceſſarium ex eo quod fieri poteſt, quodq; contingit, an ex eo quod fieri non poteſt, conſequens ſit. Et ex eo quidem quod fieri non poteſt, non conſequitur, quoniam neceſſarium eſt id, quod fieri poteſt, & non, id, quod non poteſt. Tum neceſſarium ex eo, quod accidit non ſequi manifeſtum eſt: nam id quod accidit, poteſt eſſe & non eſſe, neceſſarium non item. De eo igitur, quod fieri poteſt, utrum ex eo neceſſarium conſequatur, quæſtio eſt. Ex eo itaq; conſequi illud, & non conſequi affirmamus: nam tum non conſequitur, cùm id, quod fieri poteſt, contingens ſignificat: id quod fit, ne neceſſarium contingens ſit. Sequitur uerò tum, cùm id quod fieri poteſt latius patet, quàm uel neceſſariũ, uel contingens. Etenim id quod fieri poteſt, contingens & neceſſarium comprebendit. Ex quo igitur hæc ambo continet, conſequitur. Ita magnum ſcrupulum ex animo eorum euulſimus, qui aiunt, Ariſtotelem ſibi nõ conſtare, quòd ſuprà illud conſequi dixerit, hic neget. Alterum caput in hoc uerſatur, ut in eo declaretur, quomodo modus propoſitionum ſit in cõſequentibus apponendus: qua quidem in re pertractanda inueſtigamus, qua ratione collocare propoſitiones debeamus, ac dicimus, Propoſitionem quiddã eſſe, quod in parte intelligitur, Modum uerò totum quiddã & uniuerſum. Princeps igitur locus Neceſſario tribuetur: ſecundus ei, Quod fieri poteſt: tertius Contingenti: quartus ei, quod non fieri poteſt. Qua in re oritur dubitatio, Quid fit, cùm id, quod fieri poteſt, latius manet, ac ſerpat, quam neceſſarium, ex neceſſario ſit cõſequens: Id quod nos ob eam cauſam fieri dicimus, quia uniuerſa ex ſingulis conſequuntur. Nam dicimus hominem animal eſſe, & animal quod latius patet, ad pluraq; pertinet, homini conſequitur. Quid uero ſit in cauſa, ut Neceſſarium eo Quod fieri poteſt, & Contingenti prius ſit, exponam. Neceſſarium ſemper eſt, illa uerò quandoq; ſunt. Nam quod ſemper eſt, eo quod aliquando eſt, præſtantius & melius cenſetur.

At quartus locus datus eſt ei, quod fieri non poteſt, propterea quòd illud quod interdum eſt, potius eſt eo, quod nunquam exiſtit. Præterea Neceſſarium eſt ipſi actus, qui re uera ſunt: id uerò, Quod fieri poteſt, & Contingens, actus tantum: Quod autem fieri non poteſt, uis & facultas. Si igitur actus priores eſſe debent, ipſe actus prior erit, & actus ſecundum locum occupabit (id enim quod cõprehendit, eſt antiquius compræhenſo) uires ipſæ & facultates extremæ erunt: quibus etiam ſi actus poſteriores ſint ordine temporis, naturæ tamen ordine ſunt priores: nam quę in ortu & interitu uerſantur, uires & actiones habẽt: at quę materia uacant, & æterna ſunt, actus tantùm habent. Ex quo conficitur, ut actus naturæ ordine ſint priores. Tertium caput eſt, Vtrum negatio magis contraria ſit affirmationi, quàm affirmatio priuans affirmationi. qualis eſt hæc, Socrates iuſtus eſt, Socrates iuſtus non eſt, potius quàm hæc, Socrates iniuſtus eſt, quæ eſt affirmatio priuans. Atq; Ariſtoteles ait, in diſputationibus, non tamen in demonſtrationibus, negationem potius quàm affirmationem eſſe oppoſitam. Nam & in libris de prima philoſophia Repugnantiam quaſi contrario nomine, Affirmationem uerò non contrario opponi affirmat. & illud quaſi contrario nomine ſignificat, non ita uehementer, ſed paulo minus, quàm contrario nomine, quod alio uerbo dicitur, Remiſsè, & Minus intensè. Præterea dicimus hanc, Iuſtus non eſt, non omnino iniuſtum ſignificare, ſed intermedium, & alia etiam neque iuſta, neque iniuſta introducere. ita medium non multum à iuſto diſtat. Quæ autem inter ſe maximè diſtant, contraria ſunt, Iniuſtus uerò à Iuſto longo diſtat interuallo. Igitur Iniuſtus magis quàm Non iuſtus, iuſto opponitur, cùm ea inter ſe differant plurimum. Quemadmodum enim, Non album, ſignificat fuſcum, & reliqua intermedia: & Nigrum, id quod diuerſi generis eſt, & uerè contrarium, ſic etiam in his extrema ſunt dicenda contraria. Præterea dicimus Oppoſita, aut ut ea, quæ nulla ſunt, aut ut ea, quæ ſunt diuerſi generis, aut ut media opponi: at Negationes neque ut ea, quæ nulla ſunt, neque ut ea quæ ſunt alterius generis, opponuntur. Reſtat igitur ut tanquam media

opponantur,& media non longe ab extremis diſtant,& ob eam cauſam affirmationes potius opponũtur. Sed ut etiam opinionem eorum defenſitemus,qui magis affirmationes negationibus opponi aiebant, ita dicemus: Repugnantiæ & quæ ſunt,& quæ non ſunt,aſſumunt:at priuantes affirmationes ea tantùm, quę ſunt in rerum natura. Ea igitur quę latius patent,potius opponuntur,quàm ſingularia. Omnis item Categoria repugnantiam ſumit:& in omnibus Categoriis non facile eſt huiuſmodi affirmationes oppoſitas inuenire,cuiuſmodi ſunt priuantes:& ob eam cauſam neceſſe eſt,ut negationes magis opponantur. Idem in Menſuris & Numeris intelligitur:nam in ſummis generibus Magnum Paruo dixit eſſe contrarium:quæ nemo eſt qui dubitet,quin ex iis ſint,quæ ſub eandem cadunt rationem:& quæ ſub eandem rationem cadunt,neutiquam opponuntur. Itemq́; Duplum Dimidio contrarium eſt, quæ non propriè opponuntur: quamobrem hæc res neutiquam neglectui nobis debet eſſe. Sed tempus nos admonet,ut uerba philoſophi declaremus.

Poſſet autem, inquit, quis dubitare. Hic quærit, Vtrum Neceſſarium conſequatur ex eo, Quod fieri poteſt,aut non poteſt. Sed ſi ex eo,quod non fieri poteſt cõſequatur,idem erit Neceſſarium & Quod fieri non poteſt,ut ante dixi. Patet igitur Neceſſarium conſequi ex eo,quod fieri poteſt:non autem ex Contingenti quod fieri poſsit,atque adeo non ex eo,quod facultate quadam fieri poſsit, ſed quod re uera eſſe poſsit. Verùm ſi diceret aliquis,huius, Fieri poteſt ut ſit,hanc, Non fieri poteſt ut ſit,non eſſe negationẽ: ſed hanc, Fieri poteſt ut non ſit,neq; ita cõſequeretur id quod neceſſarium eſt eſſe,ex eo, quod fieri poteſt ut non ſit,ſed neq; ex eo quod non fieri poteſt,ut ſit.

At contra, inquit, idem uidetur ſecari poſſe,& non poſſe,eſſeq́; & non eſſe. His uerbis indicat neceſſarium non ex omni,quodcunque fieri poteſt, neque ex contingenti, quod etiam facultatem habeat, ut ſit, conſequi.

Perſpicuum autem eſt,non quicquid poteſt eſſe,aut ambulare, poſſe etiam non eſſe, aut non ambulare. Vt dicta percipiamus, quædam præcepta extrinſecus aſſumenda ſunt. Id quod fieri poteſt, quodq́; contingit,aut in iis,quæ rationem habent,aut in iis,quæ ſunt rationis expertia,aut in iis, quæ anima carent,inſunt:in iis uerò,quę rationem habent,omne quod fieri poteſt inuenitur. ſiquidem fieri poteſt, ut ambuletur,& ut nõ ambuletur. Idem in illis,quæ ratione carent,uſu uenit:canis enim latrare poteſt, & nõ latrare. At in illis,quæ inanima ſunt,duplex eſt uis:altera,quæ agit,altera,quæ patitur:& ea quæ patibilis eſt,omne,quod fieri poteſt,admittit:quoniam fieri poteſt,ut ueſtis ſcindatur, & non ſcindatur. Ea uerò,quæ agit,nequaquã omne,quod fieri poteſt,ſuſcipit. Fieri enim poteſt ut ignis adurat:ſed ut ad urendum ineptus ſit,fieri nullo pacto poteſt:quandoquidem neceſſarium id ſolum,quod fieri poteſt,& nõ fortuitum ſuſcipit:ut ignis ſemper adurit,nunquam frigidum reddit:& licet ſemper corpus ad comburẽdum aptum non adſit,tamen aëra ſibi proximum urit ſemper.

Primum in iis,quæ ſine ratione facere quid poſſunt. Hæc dixit, inanimara ſignificans. At rationis expertes non omnes. Vim & facultatem inanimatam rationis experti coniunctam eſſe his uerbis explicat Ariſtoteles: Sed nec ea omnia,quæ ſemper agunt. Hæc,ut ea oſtendat, quæ materia uacant: ſeu etiam niuem,& quæ omne,quod fieri poteſt,non recipiunt. Quæ in ortu ſunt,& interitu, actus & potentias habent. Aeterna uerò actus tantummodo poſsident,facultates non item.

Et tamen quædam ſunt,quæ licet facultates rationis expertes habeant, poſſunt tamen ſimul recipere contraria. Vt in iis,quæ anima carent. Sed ſunt rationis expertia,ut in iis, quæ inanimata ſunt, & patibilia: quemadmodum ueſtis,quæ poteſt ſcindi,& non ſcindi.

Ne ille quidem quæ ſunt generis eiuſdem. Ineſt,neq; omnes facultates, quæ ortui & interitui ſunt ſubiectæ,ex contraria ſimul recipiunt,uel faciunt,quandoquidem licet ignis in ortu,& interitu ſit,non tamen ſimul habet uires inter ſe contrarias.

Quædam enim uires homonymę ſunt. Vires enim ſunt partim ex habilitate,& proprietate,partim ex actione,& reuera:ut fieri poteſt,ut Socrates ambulet reuera, & ut eum ambulãtem ex habilitate dicamus.quoniam etſi actu non ambulat,attamen poteſt.

Atq; hæc quidem facultas in iis tantum ineſt,quæ ſuos habent motus. Id eſt in iis, quæ ſunt in ortu,atq; interitu:ſiquidem ea ſemper ſunt in motu. Tum ait: Illa uerò in iis etiam,quæ motu carent. Id eſt ea quæ ſunt expertia rationis,eo quòd locum nullũ habeant. Id quod ait, eſt, ut intelligamus actum & potentiam in iis eſſe,quæ oriuntur,& occidunt:æternis uerò actum ſolum. Vere, inquit, dicitur ambulare poſſe,& ambulans eſſe. Hoc eſt,in omnibus ſignificationibus eius quod fieri poteſt, negatio, quæ ait, Non fieri poteſt ut ſit,conſequetur ex ea,quæ ait Non impoſsibile eſt eſſe. Tum ait: Sed quod hoc pacto poteſt,in re neceſſaria non omnino uere dici poteſt,alterum poteſt. Id eſt, Neceſſarium non ſequitur ex omni eo,quod fieri poteſt:quia non conſequitur ex eo, quod contingens ſignificat: ſed ex eo, quod latius ſerpit,quàm neceſſarium:tanquam in ſeipſo neceſſarium comprehendat.

Quare cùm genus ex parte conſequatur. Declarat uniuerſas res ex ſingulis conſequi:dicimus enim hominem animal,in quo animal,quod in uniuerſis eſt,ex homine conſequitur. Quoniam igitur uniuerſalia ſequuntur ex ſingularibus,neceſſariumq́; eius quod fieri poteſt in parte eſt, igitur quod fieri poteſt, tanquam uniuerſum ex neceſſario conſequitur,at non omne.

Fortaſſe enim quod eſſe,& non eſſe neceſſe eſt. Ad ſecundum hic caput tranſit,ut oſtendat primas

Neceſſariò

Neceſſariò deſerendas eſſe ſecundo loco ponendum eſſe id,quod fieri poteſt.tertium atribui contingenti: quartum ab eo, quod non fieri poteſt occupari: qua de re hæc ratiocinatio conficitur. Si neceſſarium re ipſa eſt,quæ re ipſa ſunt,ęterna ſunt,ęterna ſunt priora,priora igitur neceſſaria Altera racionatio de ſecundo & tertio modo,qui prępoſiti ſunt quarto,eadem ferè eſt,ſit enim ſic:Quod fieri poteſt,& quod contingit re uera ſunt:quod uerò fieri non poteſt, potentia:quod autē reuera eſt,ordine naturæ prius eſt, quàm potentia,licet ſit temporis ordine poſterius: id igitur quod fieri poteſt, quodq́; contingit, quia actu & reuera ſunt,eo quod non fieri poteſt ſunt priora.

Cumq́; alia nullam uim habeant, ut ſint. Vt declaret ea, quæ materia uacant, quæq́; æterna ſunt, actus tantum eſſe, & non potentias.Demonſtrat etiam quod ſi neceſſarium actu ſolùm eſt, prius etiam eſſe debere,& ea quæ fieri poſſunt, & accidunt,ſecunda eſſe, quòd in ſe ipſis actus habeant, & facultates. Alia re uera nunquam ſunt. ut clarum nobis fiat id quod non fieri poteſt, quartum locum obtinere, ueluti quod ſolas habeat facultates.

Alia uim habent ut ſint, quæ ordine naturæ priora, poſteriora temporis. Et ſi inquit actus poſterior eſt ordine temporis,tamen eſt natura certè prior,ut pote qui ſit in æternis.Quoniam autem Ammonius in ſua explanatione diuiſionem quandam eius quod fieri poteſt, fecit, non iniucundum erit fortaſſe nos eam recenſere. Id,inquit,quod fieri poteſt,aut actu eſt,aut potentia:atq; Actu,ut cùm Solem micare dicimus poſſe: Potentia, ut ſedentem poſſe ambulare. Prȩterea quod actu eſt,tum eſt natum unà cū ſubiecta re, tum aduentitium eſt,& ſemper præſens.Illudq́; quod natura inſitum eſt, & formas procreat, tum æternum eſt,& in æternis eſt,& in æternis intelligitur,ut cœlum in orbem moueri, aut Deū bonum eſſe:tum nec æternum,nec in æternis conſideratum:cùm tamen ea ſubiecta fuerint,cum illis conſtabit, & cohærebit:ut cum ignem hunc poſſe calefacere dicimus. Præterea eius quod potentia eſt,hoc ad actū traduci poteſt,ut cùm dicimus,puerum poſſe exercitum ducere,niſi ei quid exterius ſit impedimento:hoc uerò nūquam traduci ad actum poteſt,ſed per ſe ſolum habet,ut eſſe poſsit,quod in infinita magnitudinum diuiſione intelligitur. Cùm igitur homonymiam, qua affectum eſt id, quod fieri poteſt ad neceſſarium, oſtenderit,ad perſpicuam eorum deſcriptionem tranſit:ea ita efficitur,

Neceſſarium ut ſit,	Non neceſſarium ut ſit,
Non impoſsibile quin ſit,	Fieri poteſt ut non ſit,
Non accidir ut non ſit,	Accidit ut non ſit,
Impoſsibile quin ſit,	Non impoſsibile quin ſit.
Neceſſe eſt non eſſe,	Non neceſſe eſt non eſſe,
Non poteſt eſſe,	Poteſt eſſe,
Non accidit eſſe,	Accidit eſſe,
Impoſsibile ut ſit,	Non impoſsibile ut ſit.

PARS QVINTA.

VTRVM autem affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi contraria ſit,itemq́; oratio orationi,ea quę omnem hominem iuſtum eſſe pronunciat,illi Nullus homo iuſtus eſt: an hæc, Omnis homo iuſtus eſt,illi,Omnis homo iniuſtus eſt, ueluti Callias iuſtus eſt, Callias iuſtus nō eſt,Callias iniuſtus eſt: quæ inquam ex his ſint inter ſe contrariæ,quæſtio eſt. Nam ſi uerba ex ſenſibus animi conſequuntur,in illis autem contraria ſententia de contrario eſt, ut hæc, Omnis homo iuſtus eſt, de illa, Omnis homo iniuſtus eſt, neceſſe quoque eſt ita rem ſe habere in iis enunciationibus, quæ uoce proferuntur. Quòd ſi illic de cōtrario minus contraria opinio eſt, neq; hic etiam affirmatio erit affirmationi contraria,ſed negatio ut dictū eſt. Ita ſit, ut quæ opinio falſa ueræ ſit contraria,ſit conſiderandum. ea'ne quæ neget, an quæ aiat. Atq; hinc initium ſumam. Eſt de bono opinio uera quædam,quę id bonum eſſe dicit: alia falſa,id non eſſe bonum: alia,id malum eſſe. Harum utra ueræ illi contraria ſit,ſicq; una ſit,utra ſit cōtraria, quęſtio eſt. Atq; illud quidem falſum eſt,ob eam cauſam iudicari contrarias ſententias eſſe,quòd ex cōtrariis ſint: propterea quòd illa opinio de bono,id eſſe bonum & de malo,id eſſe malum, eadem fortaſsis,

& uera eſt, ſiue multæ ſint, ſiue una. Hæc autem contraria ſunt, non quod ſint contrariorum contraria, ſed potius, quia contrario nomine opponantur. Itaq; ſi boni opinio eſt, id eſſe bonum, alia non eſſe bonum: & ſi eſt aliud quiddam, quod nec in bono inſit, nec poſsit ineſſe: neutra certè ex aliis, quæ dicunt ineſſe, quod non ineſt: & quod ineſt ineſſe negant, eſt ponenda contraria. (Hæ enim utræq; & quibus ineſſe quod abeſt affirmamus, & quibus abeſſe quod adeſt, infinitæ ſunt.) ſed eæ ſunt ponendæ, in quibus decipi ſolemus. Eæ autem ſunt, ex quibus ortus emanant: atqui ortus ex contrariis naſcuntur: ergo etiam fallaciæ. Si igitur bonum & bonum eſt, & non malum, alterumq; per ſe, fortuito alterum eſt, (accidit enim, ut nō ſit malum) uerior autem eſt de quaq; re enunciatio, quæ per ſe uera eſt, & falſior quæ eſt per ſe falſa, certè neceſſe eſt, ut falſa ſit tam ea opinio, qua bonum non eſſe bonum defenditur, quia de eo ſit, quod per ſe conſtat: quàm ea quæ bonum malum eſſe aſſerit, quod id inſit fortè & temerè. quibus quidem ſit rebus, ut ea ſententia, quę negationi contraria eſt, magis quàm ea, quę ex contrario eſt, falſa ſit. Nam is errat in unaquaq; re uehementer, qui contrariam & diuerſam habet opinionem. Quandoquidem contraria dicuntur, quæ in eodem genere differunt plurimum. Quod ſi harum altera contraria eſt, & ea, quæ negat magis eſt contraria, profectò hanc ipſam eſſe contrariam neceſſe eſt. Illa autem, quę bonum eſſe in malis confirmat, cùm ea coniuncta eſt, uel ex eo, quod neceſſe ſit, idem bonum non eſſe in bonis putare. Si pręterea in reliquis omnibus eodē modo rem ſe habere oporteat, ex hac etiam parte uere à nobis dictum uidetur. Aut enim in omnibus, aut in nullis relinquitur cōtradictionis locus. In quibus autem nulla ſunt contraria, in iis falſa illa opinio eſt, quæ ueræ opponitur. ut qui hominem non eſſe hominem putat, is fallitur. Ergo ſi hæ ſunt contrariæ negationes, etiam aliæ quæ contradicunt. Eſt quoque eadem ratio eius, quæ bonum eſſe bonum confirmat, & eius, quæ non bonum eſſe non bonum dicit, itemq; eius, quæ bonum in non bonis, & eius, quæ non bonum in bonis ponit. Ei igitur opinioni ueræ, quæ non bona in non bonis collocat, quænam erit contraria? non ea ſanè, quæ non bona in malis putat, quandoquidem interdum ſimul uera eſt, & uera ueræ cōtraria eſſe nullo pacto poteſt: aliquid enim quod non bonum eſt, malum eſt, atque ita ſimul ueræ eſſe poſſunt. Sed nec ea quidem erit contraria, quæ non bona in malis collocat: quoniam hæc quoque uera eſt, & ſimul eſſe poſſunt. Supereſt igitur, ut eius, quæ non bona in bonis ponit, illa, quæ non bona in bonis ſtatuit, quæ falſa eſt, ſit contraria ſententia. Ex quo ſit, ut huius, Bonum non eſt bonum, hæc, Bonum eſt bonum, ſit contraria. Illud autem perſpicuum eſt, nihil intereſſe, utrum, Omnis, in affirmatione ponatur, necne: nam uniuerſa negatio contraria erit: ut illi opinioni, Omne quod bonum eſt, in bonis eſt: hæc repugnat, Nullum bonum, eſt bonum. Atque ea quidem ſententia, qua bonum in bonis numeratur, ſi bonum uniuerſe dicatur, idem quod hæc, Quod bonum eſt, id eſt bonum, ualet. Hæc enim nihil ab illa differt, Omne quod bonum eſt, eſt in bonis. id quod in eo quoque quod non eſt bonum, uſu uenit. Quod ſi ita in ſententia eſt, enunciationesq; quę uoce exprimuntur, animi notiones indicant, profectò neceſſe etiam eſt affirmationi contraria ſit ea negatio, qua idem à toto genere penitus auſertur. ut huic, Omne quod bonum eſt, in bonis eſt, uel, Omnis homo eſt bonus, ea in qua Nullus, uel Nemo ponitur, contrario nomine eſt oppoſita. repugnanter autem ea, in qua Non omne, uel Non omnis eſt. Iam uerò perſpicuum

ſpicuum eſt, ueram opinionẽ, aut repugnantiam uerę non eſſe contrariam. Nam & ex contrariis aduerſa conſtant, de quibus idem poteſt uerè dicere, & aduerſa in eodem ſimul ineſſe nullo modo poſſunt.

ARISTOTELES quærit hoc loco, Negatio'ne potius, an Affirmatio affirmationi ſit contraria. Illud uos ſcire uelim dictum à nobis ſupra fuiſſe, hæc ab Ariſtotele nunc tractari, non eo quidem more, quo uti ſolet, cùm præcepta uult tradere: ſed magis adeo, ut ea quæ loquitur ad artem eloquendi, ac diſſerendi pertinere uideantur. Ac ſex quidem rationum momenta inuenit. quibus negationem potius eſſe contrariam affirmatur. Eorum omnium hoc eſt primum. Quæ nunquam ſimul uera ſunt, ea magis contratia ſunt, quàm quæ ſunt interdum: at negatio & affirmatio nunquam ſimul ueræ ſunt, affirmatioq; cum affirmatione quandoque ſimul uera eſt: negatio igitut cùm nunquam ſimul cum affirmatione uera ſit, potius opponitur. Veluti huic enunciationi, Temperantia eſt in bonis, repugnat hæc negatio, Temperantia non in bonis eſt: atque hæc affirmatio, Intemperantia in malis eſt. Ergo cum affirmationes in aliqua materia ſimul ueras inueniamus, negationes uerò nũquam: perſpicuum eſt, negationem magis, quàm affirmationem eſſe affirmationi certe contrariam. Sed nos ad hæc reſpondebimus quàm breuiſsimè, ac primùm dicemus, Affirmationes bic non de eodem, ſed de alio, atque alio acceptas fuiſſe: ex quo factum eſt, ut argumentum fallaciter concluſum fuerit. Iam enim illud ignorandum non eſt, etiam ſi affirmatio, qua temperantiam in bonis eſſe, & qua intemperantiam eſſe in malis affirmatur, ſimul ueræ ſint, eiuſdem tamen de eodem non eſſe repugnantiam: quandoquidem hę ſunt enunciationes contrariæ. Atqui in contrariis ii termini propoſitionum qui enunciantur, ſunt ita conſeruandi, atque illi duntaxat mutandi, qui ſubiiciuntur: ita ut huic enunciationi, Temperantia eſt in bonis, contraria hæc ſit, Intemperantia in bonis eſt. Sed cum ipſe malum bono contrarium ſtatuetit, captioſo argumentationis genere uſus eſt. Secundæ rationis hoc eſt momentum. Affirmationi, qua bonum in bonis numeratut, negatio, quæ ait, Bonum in bonis non eſt, itemq; affirmatio, qua bonum in malis eſſe affirmatut, opponitut. Ac negatio quidem hæc, Bonum in bonis non eſt, concludit bonum non eſſe expetendum, nõ eſſe utile, non eſſe iuſtum: at affirmatio, quæ dicit, Bonum in malis eſt, concludit iniuſtum, & fugiendum eſſe, & alia permulta huius generis. Eſt igitut ex hoc perſpicuum, multas affirmationes, multasq; negationes uni affirmationi contrarias eſſe: uerum id perabſurdum eſt. & hoc pacto probat negationem debere magis repugnare, quia cætera omnia, bonum inquam non eſſe, expetendum, non eſſe iuſtum, una contineat. Hanc nos rationem triplici reſponſione refellimus. Ac primùm, Si dicit negationem magis aduerſari, utpote quæ reliqua comprehendat, illud idem, ex quo negatio dicitur multa comprehẽdere, efficit, ut multa uni affirmationi repugnent: quod eſt abſonum, ut ante dixi. Altera eſt, Si falſitatem ex multis conflatam ex affirmatione eſſe inqnis, falſitasq; magis contraria eſt deceptioni, deceptio uerò ex contrariis non fit, ſed ex ſimilibus, patet ſi ex negatione naſcatur deceptio, ex ſimilibus eſſe conſecuturam. at negatio non amplius erit magis contraria. Deceptionem uerò ex ſimilibus exiſtere, uel ex hoc clarum eſt, quòd interdum errore ducti palumbum eſſe columbã, & lupum canem dicimus, quæ contraria non ſunt. Tertia noſtra ratio Ariſtotelis rationi aduerſaria eſt hæc: Ehodum Ariſtoteles, duo principia affirmationem & negationem, quæ multa principia introducunt, mihi oppoſuiſti: nunc qua ratione unum ſilentio inuoluens, affirmationem dico, alterius, negationis uidelicet, meminiſti? Nam ex hoc perſpicuum eſt, te non ratiocinationem, ſed captioſam concluſionem effeciſſe. Tertia ratio hæc eſt: Affirmatio, qua bonum in bonis ponitur, ex ſe, & per ſe uera eſt: itemq; negatio, quæ dicit, Bonum in bonis non eſt, ui ſua falſa eſt. Simili quoque modo affirmatio, qua bonum eſſe in malis affirmatur, caſu & fortuito falſa eſt. id quod fit, quia cùm dicimus Bonum in malis eſſe: intelligimus, ſi malum ſit, bonum non eſſe. Eodem modo eius negatio, quæ dicit Bonum malum non eſt, caſu & fortuitu eſt uera. nam cum dicimus, Si malum non eſt, hoc introducimus, bonum eſt. Cùm igitur quatuor enunciationes ſint, ei, quæ per ſe uera eſt, illa, quæ eſt per ſe falſa, magis opponitur: cùm præſertim fieri nequeat: ut ei quæ per ſe eſt, illa quæ ſortuito fit, opponatur. Ea autem per ſe falſa eſt, qua dicitur, Bonum bonum non eſt: itaq; negatio, quæ ait Bonum non eſſe bonum, magis aduerſatur. Hæc ratio poteſt ita reprehendi. Harum quatuor propoſitionum nulla caſu & fortuito eſt: quandoquidem omnes per ſe contrariæ ſunt, & ea fortuito opponi dicuntur, quæ differunt plurimum, non quæ ſunt ſerè conſimilia. ueluti in albis, & nigris, & quæ accidenti opponuntur, intelligi poteſt. Si ergo hæ omnes non ex accidenti, ſed per ſe, & ſua ui opponuntur, certè negatio non erit magis contraria. Quarta ratio eſt: Cùm ſint quatuor enunciationes, una qua id quod bonum eſt, bonum eſſe dicitur, atque eius negatio: alia quæ bonum eſſe malum dicit, ac negatio eius: duæ ſimplices ſunt, uidelicet prima affirmatio, & prima negatio, & duæ compoſitæ, ſecunda affirmatio, & ſecunda negatio. Nam ſi quis dixerit Bonum eſſe in malis, is inſeret Bonum non eſſe. Oportet igitur ſimplicem ſimplici magis opponi, non compoſitam ſimplici: atque ſi prima negatio ſimplex eſt, ea magis aduerſatur. Confutamus hanc rationem hoc modo: Ex his quatuor nulla coniuncta eſt. quamuis enim obiicias, cùm dicitut Bonum in malis eſſe, inſerri bonum non eſſe, tamen multo magis ipſa opponitur affirmatio. Nam contraria per omnia media tranſeant, ad extremaq; perueniant, & ita extrema fiant,

contrariaq́; ſint neceſſe eſt. Igitur id, quod malum eſt, per omnia boni media trāſiens effectum eſt malum. Eadem ratio eſt in albis & nigris: ſiquidem alba cùm per pallida & obſcura iter fecerint, in nigra conuertentur. Quinta ratiocinatio Ariſtotelis eſt hæc: Si id, quod ſemper eſt, eo maius eſt, quod interdum eſt, quod ſemper eſt negatio eſt, quoniam ſemper aduerſatur, & quod interdum eſt, illud eſt affirmatio, quia in omnibus talis affirmatio non reperitur, profectò id quod ſemper eſt, magis aduerſabitur. Sed quonam fato fieri dicam, ut in iis, quæ affirmationes non habent, contraria ſit negatio, & iis, quæ habent, non ſit contraria? Huius rationis in promptu eſt reſponſio: Non dicimus magis aduerſari, niſi in iis, quæ oppoſitas affirmationes habent. Nam cùm duo contraria ſint, quod magis contrarium eſt, in iis quæritur. Ita nihil mirum eſt, ſi in iis, quæ huiuſmodi affirmationes non habent, contraria ſit negatio. Quare dicendum eſt, negationem magis aduerſari, affirmationem tamen uehementius. De ſexta ratione deinceps dicam. Hæc ab Ariſtotele dicta eſſe ob tres cauſas ſcire uos uelim. Nam in præcedentibus duas eſſe contrarias determinationes aſſeruit, eæ ſunt Omnis, & Nullus: itemq́; affirmationes priuantes eſſe, atque effici poſſe ut repugnantiæ ſimul ueræ ſint in aliqua materia, ſiquidem in medis ſint ſimul ueræ, ut in pari, & impari. ueluti, Par eſt, Par non eſt, quæ enunciationes utræq; pro medus conſtitutæ ueræ ſunt. Nonnulli etiam ſunt, qui hanc quintam huius opuſculi partem ab Ariſtotele conſcriptam negant, eo argumēto ducti, quòd Porphyrius cùm reliquas parteis ſuis commentariis illuſtraſſet, de hac quinta nullum uerbum fecerit. Sed ad uerba explicanda accedamus. Cùm igitur ait, Nam ſi uerba ex ſenſibus animi conſequuntur: ſignificat, Si oratio eſt mentis interpres, & uerba notæ ſunt eorum, quæ in animo habemus, quales ſunt orationes, talis erit etiam ipſa mens. Ergo ſi oratio affirmationem magis cōtrariam ſuſpicetur, mentem quoque ita opinari perſpicuum eſt. Siq́; orationes negationem magis eſſe contrariam exprimant, mens itidem non ſecus opinabitur. Tum inquit, Ita fit, ut quæ opinio falſa ueræ ſit contraria, ſit conſiderandū: ut oſtendat, quænam falſa opinio ſit ueræ contraria. Affirmationi enim, quæ ſimul uera ſit, negatio falſa contraria eſt. Tum ait, Eſt de bono opinio uera quædam, quæ id bonum eſſe dicit. Primam hoc loco rationem proponit. Si inquit, ei quæ dicit, bonum in bonis eſt, ea opponitur, quæ dicit, Bonum in bonis non eſt, aut hæc Bonum in malis eſt, & eæ, quæ nunquam ſimul ueræ ſunt, magis contrariæ ſunt: certè ea, qua bonum in bonis non eſſe dicitur, magis contraria erit. Nos autem dicimus Ariſtotelem accipere ſimul eas, quæ ſimul ueræ ſunt, in differentibus cauſis contrariis, & ipſas pro una acceptas fuiſſe. Per utram igitur harum erit contraria? an ex ea, quę ait, Bonum in bonis eſt, an per eam, qua bonum in malis eſſe affirmatur? Tum ait, Atq; illud quidem falſum eſt, ob eam cauſam iudicari cōtrarias ſententias eſſe, quòd ex contrariis ſint. Hoc eſt falſa pronunciabit is, qui de contrariis affirmationibus loquens eas magis contrarias eſſe dicet. Tum ait, Propterea quod illa opinio de bono id eſſe bonum, & de malo id eſſe malum fortaſsis uera atque eadem eſt, ſiue multæ ſint, ſiue una. Addidit, Fortaſsis, quia affirmationes in eiſdem contrariis ſimul ueræ non ſunt, ſed in iis demum contrariis ſunt ueræ, quæ diſsimilia ſunt: ut paulo ante dictum eſt: nam altera in temperantia, altera in intempetātia uera eſt. Hæc autem, inquit, contraria ſunt, non quòd ſint contrariorum. id eſt Duę eæ affirmationes cōtrariæ ſunt illæ quidem, ſed non ſunt magis contrariæ contrariis, ſiquidem eſt magis contraria negatio. Sed potius, inquit, quia contrario nomine opponuntur. Id eſt utræq; affirmationes contrariæ ſunt: ac non magis contrariæ ſunt, quàm negationes. Itaque, inquit, ſi boni opinio eſt, id eſſe bonum, alia non eſſe bonum. De ſecunda ratione hic uerba facit, in qua oſtenditur multas negationes, multasq́; affirmationes uni affirmationi contrarias eſſe. Negatio igitur magis contraria ſit oportet. Etſi, inquit, eſt aliud quiddam, quod nec in bonis ſit. Veluti ſi diceret quis bonum in bonis non eſſe, inferret, neque optabile eſſe, neq; utile: ita cùm diceret bonum in malis eſſe, malum in bono ineſſe concluderet. Neutra certè ex aliis, quæ dicunt ineſſe quod non ineſt, & quod ineſt ineſſe negant, eſt ponenda contraria. Id eſt, neutra falſarum, quæ in affirmatione & negatione ſimul continentur. Sed eæ, inquit, ſunt ponendæ, in quibus decipi ſolemus. In quibus, inquit, cunq; fallaciæ ſunt, eæ ſunt contrariæ. Fallacias enim eſſe negationes dico.

Eæ autem ſunt, ex quibus ortus emanant. Hoc argumentum ita ſe habet, omnia, quæcunq; ſunt origines fallaciarum, contraria ſunt, negationes ſunt fallaciarum principia: negationes igitur ſunt contrariæ. Scire etiam hoc loco debemus, Ariſtotelem falsò argumentationis genere uſum fuiſſe, quandoquidem fallaciæ non ex contrariis illæ quidem, ſed ex ſimilibus oriuntur, ut in palumbo, & columba dictum eſt nobis. Si igitur bonum & bonum eſt, & non malum. Hæc eſt ratio tertia. Ait enim, eam enunciationem, quæ per ſe falſa eſt, magis eſſe contrariam ei, qua bonum in bonis eſſe affirmatur: Siquidem ea ſunt habenda magis contraria, quæ inter ſe plurimum differunt. Verior autem eſt de quaq; re enunciatio, quæ per ſe uera eſt, & falſior quæ eſt per ſe falſa. Hæc ait, ut declaret, ex iis quæ ueræ ſunt, alias per ſe, alias fortuito ueras eſſe: ex falſis ſimili modo. Nam qua dicitur bonum eſſe in malis, bonum auferendo malum introducitur, eaq́; falſa eſt caſu & fortuito: atq; hoc pacto bonum tollit, Si bonum eſt in malis, nimirum bonum non eſt, Si non bonum eſt, accidit ei, ut malum ſit. Certe, inquit, neceſſe eſt, ut falſa ſit tam ea opinio, qua bonum non eſſe bonum defenditur, quia de eo ſit, quod per ſe conſtat. Id eſt, Si affirmatio uera ſit, falſa erit negatio. ac falſum eſt uerò magis contrarium: ita negatio magis opponetur. Nam is errat in unaquaq; re uehemēter, qui diuerſam habet opinionem. talis enim eſt negatio. Illa autem, inquit, quæ bonum eſſe in malis confirmat, cum ea coniuncta eſt. Vt hæc percipiamus, ſcire

omnes

omnes uelim, Ariſtotelem hic in quartam ſuam rationem ingredi. in qua affirmationem contrariam compoſitam eſſe conrluſit: quandoquidem ea, quæ dicir bonum in malis eſſe, non bonum eſſe infert. ac fieri nullo pacto poteſt, ut compoſita ſimplici ſir contraria. ex quo confiritur, ur contraria non ſit affirmario. Si præterea in reliquis omnibus eodẽ modo rem ſe habere oporteat. Id eſt, in omnibus alus enunciationibus negatio magis contraria eſſe debet: Nam uel in omnibus, uel in nullis ita ſit oportet. In quibus autem nulla ſunt contraria, in iis falſa illa opinio eſt, quæ ueræ opponitur. Hæc eſt quinta ratio, qua probatur id quod ſemper eſt, melius & antiquius eſſe eo, quod ſit interdum, id quod ita probat: Si in omnibus cnunciationibus, in quibus affirmatio contraria non eſt, negatio aduerſatur, perſpicuum eſt in quibuſcunq; affirmatio ſit, contrariam negationem magis aduerſari. Nos autem ante diximus, illud magis tunc eſſe intelligendum, cùm ſit contraria affirmatio. Eſt quoque, inquit, eadem ratio eius, quæ bonum eſſe bonum confirmat, & eius, quæ non bonum eſſe non bonum dicit. Diſputat hoc loco de ſexto argumento, quud ex deſcriptione quadam demonſtrat. ei enim probandum eſt negationem magis contrariam eſſe quàm ſit oppoſita affirmatio, id quod ita affirmat: Eſt una affirmatio, quæ bonum in bonis eſſe dicit, eſtq; eius uegatio hæc, Bonum in bonis non eſt: harum utraq; ex definito ſubiecto conficitur. His accedunt aliæ duæ enunciationes ex ſubiecto infinito conflatæ, una eſt affirmatio, qua non bonum in bonis eſſe dicitur, altera eius negatio eſt, qua non bonum in bonis non eſſe concluditur. Nam ut affecta eſt affirmatio quæ ex definito ſubiecto conſtat, ita etiam infiniti ſubiecti negario erit affecta: ſiquidem utræq; ſimul ueræ ſunt: nam quæ dicit bonum in bonis eſſe, id quod eſt eſſe dicit, quæ uerò non bonum non eſſe in bonis ait, id quod non eſt non eſſe dicit: ita ambæ ſimul ueræ ſunr, & in angulis conſtrutæ. Quocirca ſi ſimul ueræ ſunt, patet, quomodo negatio ex ſubiecto definito ad affirmationem affecta ſit, ita quoq; affirmationem ex definito ſubiecto ad negationem ex ſubiecto definiro affectam fore. Nam neſcii eſſe non debemus, negationi ex infinito ſubiecto nihil eſſe contrariũ: qua enim dicitur, Bonum in malis eſt, ea cum illa uera eſt, quæ non bonum in bonis non eſſe dicit: id quod ſit in ea materia, quæ & manca eſt, & nullam utilitatem pręſtat. Ea item, quæ dicit, Non bonum in malis non eſſe, cum ea negatione, qua non bonum in bonis non eſſe dicitur, uera eſt: atque id quidem in media materia. Pueri enim nec boni nec mali ſunr, cùm mediæ materiæ ſint participes. Quòd ſi negatio infinita ita ſe habeat, ut definita affirmatio, certè perſpicuum eſt, negationem affirmationi determinatæ ſolùm eſſe contrariam, nõ ſecus ac affirmatio infinita negationi infinitæ ſolùm contraria eſt. Ad quæ nos reſpondemus: nos eas enunciationes accipere tum, cùm ſimul ueræ ſunt, non quando contraria non habent. Nam & affirmatio definita, & negatio infinita ſimul ueræ ſunt. Sed ſciendum eſt, affirmatiooem non ita ueram eſſe cum affirmatione, quæ determinatum ſubiectum habeat: affirmationem inquam, qua bonum in malis eſſe affirmatur, & qua bonum in malis nõ eſſe dicitur, ut cum negatione uera eſt: illa enim id, quod eſt, eſſe dicit: hæ uerò id, quod non eſt, non eſſe ennnciant. In oppoſitis igitur definita affirmatio, & negatio infinita pares non ſunt. Hæc autẽ eſt earum enunciationum tota deſcriptio:

A	B
Bonum in bonis eſt,	Bonum non in bonis eſt,
Bonum in malis eſt,	Bonum non malum eſt.
Non bonum in bonis eſt,	Non bonum non eſt in bonis,
Non bonum in malis eſt,	Non bonum in malis non eſt.

Caput ſecundum huiuſmodi eſt: Si orationes ſunt animi ſenſuum notę, quemadmodum erunt orationes, ſic etiam ſenſus animi ſe habebunt: atque ſi ſenſa animi opinentur negarionem magis opponi, orationes quoque, utpote, quæ in animi ſenſibus uerſentur, ſic opinari conſtat inter omnes. Nunc ad alia tria capita explicanda aggreditur, eorum hoc eſt primum: Si demonſtrationes ex determinatis propoſitionibus probare ſit propoſitum, nihil intereſt etiamſi ex non determinatis demonſtrentur. Articulus enim ſingularis uniuerſali ſigno æqualis eſt. atque uniuerſarum rerũ nota propria eſt, & communis. Vnum igitur ſignificando articulus ei determinationi eſt certè par. Diximus enim ſingularem articulum, quoniam numerus, quem Græci ἀνὴρ uocant, duo ſignificat: ac præterea numerus multitudinis non ſignificat uniuerſum, id quod uel ex eo perſpicuum eſt, quod cùm Demoſthenes dixiſſet Deos rogamus, uniuerſos, atque uniuerſas, adiunxit. Præterea dicere ſolemus Athenienſes prudentes, cum tamen omnes prudenres non ſuit. Secundum caput hac ratiocinatione concluditur. Si contraria opponuntur, oppoſita autem ſimul uera non ſunt, ſequitur ut contraria ſimul uera non ſuit. Tertium capur ea argumentatione continetur, quæ antecedens appellatur, quoniam primæ ratiocinationis concluſio principium ſecundæ facit: ea ita eſt, Oppoſita non ſunt ſimul uera, non determinatæ ſimul ueræ ſunt: non determinatæ igitur non opponuntur: atque hic finem habet tractatio. Verum cum ait, Eſt quoq; eadem ratio eius, quæ bonum eſſe bonum confirmat, & eius, quæ non bonum eſſe non bonum dicit. de ſexto argumeoto diſputat. & primùm ſermo habetur de iis, quæ in angulis ſunt. Ait igitur: Vt ſe habet ad negationem affirmatio, ita etiam negatio ad affirmationem. Quod ſi ita eſt, ut ſe habet negatio ad affirmationem, ſic affirmatio quo-

quę ad negationem affecta erit. At cum inquit:Non ea ſane, quæ non bona in malis ponit, quandoquidem interdum ſimul uera eſt. oſtendit hanc, Non bonum in malis eſt, & hanc, Non bonum in bonis eſt, negationi infinitę non eſſe contrarias. Quod ſi ita eſt, negationem affirmationi contrariam eſſe perſpicuum eſt. Tum ait, Illud autem perſpicuum eſt, nihil intereſſe, utrum Omnis in affirmatione ponatur. Ad ſecundum argumentum tranſitum facit: ſingularemq́; articulum uniuerſali determinationi parem dicit eſſe. Et ait, Quod ſi ita in ſententia eſt. Hic demonſtrare uult negationem magis eſſe contrariam: quod ipſe quarto loco conſtituit, & nos quinto collocaueramus, atque in præfatione noſtra ſecundas ei detuleramus. Dicit ergo, ſi orationes ſunt mentis interpretes, orationesq́; aiunt negationem eſſe magis contrariam, profectò clarum eſt, ita etiam eſſe ſententiam. In qua, inquit, Nullus, uel Nemo ponitur. Id eſt in repugnanti. nam de Omni, & Non omni, fecerat ſupra mentionem. Tum ait. Iam uero perſpicuum eſt, ueram opinionem, aut repugnantiam ueræ non eſſe contrariam.

Hoc loco de prima ratiocinatione uerba facit, qua concludebatur, quæ ſimul uera ſunt, ea contraria nō eſſe, non determinatasq́; enunciationes ſimul ueras eſſe, atq; ita non determinatas contrarias non eſſe. Nam, inquit, & ex contrariis aduerſa conſtant. Hęc eſt antecedens ratiocinatio, qua probatur contraria ſimul uera non eſſe, & cętera omnia, quę paulo ante, quæq́; proxime explicauimus.

FINIS.

MAGENTINI IN PRIORA ARISTOTELIS ANALYTICA EXPLANATIO.

Ioanne Baptiſta Raſario interprete.

HOC loco Ariſtoteli propoſitum eſt, tribus in figuris docere, quomodo ratiocinatio ſimpliciter, & omnino componatur: quanam inquam ratione propoſitiones coniungendæ ſint, ut ex iis efficiatur ratiocinatio: ac qualis, quantaq́; concluſio ab huiuſmodi coniunctione propoſitionum inferatur. Sed ut claram faciamus orationem hanc noſtram, quaſdam ratiocinationes in medium adducemus. Ex duarum uniuerſalium aientium coagmentatione ratiocinatio, Omni concludens orietur: ut, A omni B, & B omni C ineſt: igitur A omni C inerit. Ex copulatione uniuerſalis negantis, uniuerſaliſq; aientis, cum maior propoſitio uniuerſalis negans ſit, ratiocinatio Nulli cõcluſionem inferẽs euadet: ut A nulli B, & B omni C ineſt, A igitur nulli C inerit. At ſi maior uniuerſalis aiens, minor uniuerſalis negans accipiatur, ratiocinatio non fiet. Simili quoque modo, ſi duas uniuerſales negantes coniungere uolueris, nullam ratiocinationem conficies. Hæc tractatio utilis ad demonſtrationem eſt: id quod etiam in cauſa fuit, ut à Philoſopho componeretur. Etenim in iis, quæ ad Logicen ſpectant, Ariſtoteli propoſitum eſt, ut de ratiocinatione demonſtratiua nos doceat, quoniam illa eſt, quæ nobis ſcientiam tradit. non enim poterat nos eam docere prius, quàm de ratiocinatione in uniuerſo docuiſſet: ut compertum haberemus quomodo ratiocinatio omnino fieret, & ex quot, quibuſq; propoſitionibus efficeretur. cuius inquàm ratiocinationis uniuerſæ doctrinam in tribus figuris præbet, eamq́; duabus è propoſitionibus inquit conflari: atque ex duabus uniuerſalibus aientibus in prima figura, uel ex maiori uniuerſali negante, minori uniuerſali aienti, quippe cùm etiam fieri nequeat, ut quis bene ſcribere prius diſcat, quàm ſimplici quodammodo ſcribere didicerit: uel ut bene legat, antequam ſimpliciter, & nulla penitus arte legere perceperit. Lectionis ordo uarius, ac diuerſus eſt. hæc tamen tractatio ratiocinationem, quæ ſimpliciter, & uniuerſe fit, nos docet, id eſt, quonã pacto propoſitiones cõponere, ratiocinationeſq́; formare oporteat. Vtilis eſt ad demonſtronẽ. atq; illud quidẽ, cuius ope in alicuius rei cognitionẽ deuenimus, prius, quàm eandẽ rem illã, edoceamur neceſſe eſt. In primis quid Reſolutio ſit, ac deinceps de Inſcriptione dicemus. Reſolutio eſt reuerſio quædã è cõpoſito ad ſimplicia, ex quibus fuerat conflatũ. nã qui naturalia corpora, quæ ex cõpoſitione facta ſunt, diſſoluere ſtudet, ad quatuor elementa recurrit, ex quibus ſunt conglutinata: ita etiam qui ratiocinationẽ, quæ cõpoſita eſt, diſſoluere uoluerit ad eas propoſitiones inueniẽdas, ex quibus facta fuerat, regredietur. Oritur dubitatio, ſi in tribus figuris de ratiocinationis uniuerſalis compoſitione nobis doctrinã præbet, quid cauſæ fuerit, cur tres figuras reſolutiones, non autem de compoſitione inſcripſerit: quam nos hoc pacto tollemus. In hoc libro, in quo componendarum ratiocinationum uiam nos docet, tres partes ſunt: in quarum una, tribus uidelicet in figuris docet quot propoſitionibus opus ſit ad ratiocinationem efficiendam, atque ex quibus propoſitionibus concluſio Omni, & ex quibus Nulli poſsit inferri, deq́; aliis multis. In altera propoſitionũ copiam nobis declarat, hoc eſt uiam & rationem ſuppeditat, per quam propoſitiones inuenientes componamus, & ratiocinationem efficiamus. In tertia de reſolutionibus ratiocinationum agit, quanam ſcilicet ratione quiſpiam in legendis Philoſophorum libris ratiocinationes inueniens poſsit reſoluere, & propoſitiones, ex quibus conflatæ ſunt, inuenire: ex quo fiet manifeſtum, utrum in prima, an in ſecunda, an in tertia componatur. Reſoluere igitur difficilius eſt, quàm componere, hominiſq; docti, ac ſapientis reſoluere intereſt. Videmus enim plebeios quoſdam, qui cùm aliquos alloquantur orationes componunt: eaſdem tamen in dictiones, eaſq́; in ſyllabas, & eas demum in elementa diſſoluere neſciunt. Nonnulli quoq; faciunt ratiocinationes artis expertes, qui ratiocinationem in propoſitiones, & terminos reſoluere minime norunt. Sola igitur difficultas in reſolutione uerſatur, eamq́; ob cauſam compoſitione pręſtantior cenſetur: atq; ex ea parte, quæ præſtabilior eſſet, toti libro inſcriptionem impoſuit: & has tres tractationes, uidelicet Tres figuras, Propoſitionum copiam, & Ratiocinationum reſolutionem, Priores reſolutiones nominauit, quas uelut ad demonſtrationem utiles ante demonſtrationem declarandas ſuſcepit. Quòd autem prius de tribus figuris, quàm de propoſitionibus uerba fecerit, demonſtrationemq́; poſteriores reſolutiones appellauerit, hoc fuit in cauſa: Genera priora ſunt Formis natura, quemadmodum anima natura prius eſt homine, & equo: ſed Formæ ſunt Genere poſteriores ordine naturæ. Cùm igitur in tribus figuris de ſimplici, uniuerſaliq́; ratiocinatione doceat, quæ tanquàm genus in ſpecies, demonſtratiuã uideli-

cet, dialecticamq́; & ſophiſticam diſtribuitur, iure optimo tres figuras priores nuncupauit. Tractationem hanc ab Ariſtotele confectam eſſe hinc perſpici poteſt, quòd in uetuſtis bibliothecis quadraginta reſolutionum libri fuerunt inuenti, ex quibus uiri eruditi, ac prudentes hos tantùm, uidelicet Tres figuras, de Propoſitionum facultatẽ, deq́; Ratiocinationũm reſolutione, & demonſtratione, quæ reſolutiones inſcriptæ ſunt, Ariſtotelis eſſe cenſuerunt: de iis præterea in aliis libris Ariſtoteles mentionem fecit. Cùmq́; quatuor docendi generibus uti ſoleat, nunc duobus tantùm utitur, Definitiuo, & eo, quod in Diuiſione uerſatur. Propoſitiones enim in Vniuerſas & Singulas diducit. Ratiocinationes itidem in Vniuerſas & Singulas diſtribuit: quidq́; Propoſitio, quid Terminus, & quid Ratiocinatio ſit, definit. Diuiditur in tria capita, id eſt in partes treis: & in primis de Terminis, qui reciprocantur, ac de propoſitionibus diſſerit, quæ magno nobis ad doctrinam ſunt adiumẽto. Eaſdem deinde in ratiocinationum doctrinam partitur. poſtea ratiocinationes omnes ad duos primæ figuræ modos primum & ſecundum adducit, ac reuocat, poſtremò hæc tractatio ſub logica conſtituitur, quam eſſe philoſophiæ partem cenſemus.

DE TRIBVS FIGVRIS.

QVA in re tractatio hæc noſtra uerſetur, & quam ad facultatem referatur, primum dicamus: nam in demonſtratione uerſatur, & ad ſcientiam demonſtratiuam refertur. Deinde quid Propoſitio, Terminusq́; & Ratiocinatio, quæ perfecta, quæq́; imperfecta ſit, definiamus; tum quid in toto eſſe, uel non eſſe hoc in hoc, quidq́; de Omni, uel de Nullo enunciari dicamus.

EXTRINSECVS aſſumendum eſt Oportet, ut Atticis in more poſitum comperimus. primùm, inquit, in qua re noſtra tractatio uerſetur, & quam ad facultatem referatur, dicamus oportet. Cùm enim ait, Qua in re: ut declaret quid uelit innuere, ſubiungit, In demonſtratione. Cùm autem inquit, Ad quam: ſtatim addit, Demonſtratiuam ſcientiam. Inter Demonſtrationem, & Demonſtratiuam ſcientiam hoc intereſt, quòd Scientia demonſtratiua eſt demonſtrationis habitus, qui in anima noſtra ineſt: Demonſtratio autem eſt ipſa actio, quæ à ſcientia, atque habitu, qui in anima noſtra eſt, procedit. Dicitur enim Demonſtratio, cùm ita ratiocinamur: Anima ſeſe mouet: quod à ſe mouetur, ſemper in motu eſt: quod ſemper mouetur, æternum eſt: anima igitur æterna eſt. Poteſt autem quiſpiam uim habitumq́; demonſtrationis habere etiam, quando in anima nihil facit. quòd ſi fortè fortuna nonnulli quærent, quanam ratione Ariſtoteles in hoc libro de demonſtratione ſibi propoſitum eſſe dixerit, cùm non de ea, ſed de ratiocinatione, quæ ſimplici quodam modo fit, uerba faciat: Dicemus, haud temerè factum. Nam cùm ad illud, quod ſibi propoſuerat, animum intenderet, inquit, In demonſtratione, cuius gratia hanc de ſimplici ratiocinatione doctrinam fecit: cùm præſertim fieri nequeat, ut demonſtrationem aſſequi poſſimus, niſi prius ratiocinationem ſimpliciter didicerimus.

Definiamus, id eſt, definitione explicandum eſt, quid propoſitio ſit. Exiſtit autem hoc loco, quædam quæſtio: Si terminus eſt propoſitione ſimplicior, (nam ſimplicia ſunt coniunctis præponenda) quid cauſæ fuerit, cur in ordine prius terminum, quàm propoſitionem non cõſtituerit. Nos pro quæſtione tollenda, Propoſitionem prius eſſe locatam dicimus, ut ea, quæ magis cognita nobis ſit: nam in libro qui περὶ ἑρμηνείας inſcribitur, de propoſitione diſſeruit, & ea ſemper anteponuntur, quæ ſunt nobis notiora. Vel etiam id fecit Ariſtoteles, hac motus ratione: Quæ in definitione aſſumuntur, notiora eſſe debent: cùm igitur in termini, ratiocinationisq́; definitione propoſitionem accipiat, prius de illa doctrinam traderet, erat omnino neceſſe. Præterea terminum priorem ratiocinatione conſtituit, tanquam ſimplicior ſit.

Quæ perfecta. Ratiocinationes perfectæ ſunt, quæ in prima figura fiunt, ac ſi ex ſeſe fide dignæ habeantur: Imperfectæ ſunt in ſecunda, & tertia figura, quippe quæ concluſionem non demonſtratiuam, & minus ualidam inducant.

Quid Propoſitio, Terminusq́;. Vt enim Terminus, ſimplex uox, nomen, & uerbum eadem ſubiecto ſunt, habitudine, rationeq́; differunt: ſic etiam Quæſtio, Propoſitio, Concluſio, Refutatio, & Enunciatio eædem ſunt ſubiecto, habitudine tamen, ac ratione diuerſæ ſunt. Quemadmodum ſi dicatur Anima immortalis: appellabitur Quæſtio, ſi quis ab eo, qui cum ſermocinatur, poſtulet, ut, quare anima æterna ſit, demonſtret. Quòd ſi ut ratiocinationis pars accepta fuerit, Propoſitio dicetur: ut, Anima immortalis eſt, immortale interitus expers eſt, anima igitur interitus expers. Concluſio ea uocanda eſt, quæ à ratiocinatione quadam inferatur: ut, Anima ſemper mouetur, quod ſemper mouetur, immortale, anima ergo immortalis. Refutatio eſt, cùm is, qui ſermocinatur, animam mortalem dicat, inficietur, ac reſiſtat alter, animamq́; eſſe dicat immortalem. Enunciatio eſt, quando idem per ſe iis uerbis enunciat, Anima immortalis eſt.

In toto eſſe, uel non eſſe hoc in hoc: quidq́; de Omni, uel de Nullo. Omnem propoſitionẽ, uelut homo animal eſt, duas habere relationes, atq; habitudines affirmamus: alterã ab eo termino, qui de ſubiecto dicitur, ad ſubiectũ: alteram à ſubiecto ad eum, qui de ſubiecto enunciatur. Atq; ſi collationem ſubiecti ad alterum terminum conſideraueris, dices Hominem in toto eſſe animali: animal enim quoddã totũ eſt, illius pars homo, bos, equus, & reliqua. Quòd ſi eum reſpectũ, qui à termino, qui de ſubiecto dicitur, ad ſub-

iectum

iectum eſt,ſpectaueris, Animal dices de omni homine exiſtere: dices,inquam, de omnibus hominis partibus enunciari. Sunt enim partes hominis Socrates,Plato,& cæteri ſingillatim. Præterea cùm inquit,

In toto non eſſe,relationem ſubiecti ad eum terminum,qui enunciatur,accipit: ut,Homo in omni lapide non eſt. quippe cùm lapis hominem non comprehendat adeo , ut eum totum lapidem dicas. Si uerò rationem illius termini,qui enunciatur ad ſubiectum, cõtempleris, lapidem de nullo homine dici inquies. Quòd ſi ita ſe res habet,neq; de Platone,neq; de quouis alio dici poterit.

Eſt igitur Propoſitio alicuius de aliquo aiens, uel negans oratio : atq; hæc uel Vniuerſalis eſt, uel Particularis,uel Indefinita. Vniuerſalem dico, cùm aliquid aut omni aut nulli ineſt: Particularem,cùm alicui, aut non alicui, aut non omni ineſt: Indefinitam, cùm quid abſq; uniuerſali, & particulari ineſt, uel non ineſt: ut, eandem eſſe contrariorum ſcientiam, aut uoluptatem non eſſe in bonis.

PROPOSITIONEM, ut pollicitus erat, definit, quam eſſe orationem ait alicuius de aliquo aientẽ, uel negantem. In nonnullis codicibus additur etiam Alicuius ab aliquo: at in aliquibus ea uerba non extant. Quæritur,ſi propoſitio aliquid de aliquo affirmat,uel negat, quid cauſæ fuerit, cur illius definitioni, Aliquid ab aliquo,non ſubiunxerit,ut etiam negationem referaret. Nos uerò dicimus, Ariſtotelẽ iis uerbis, Alicuius de aliquo, & affirmationem, & negationẽ declaraſſe:omnis enim affirmatio,uel negatio ex termino,qui enunciatur,& ex ſubiecto eſt conflata. Cumq; dixerit, Alicuius,terminũ qui enunciatur,clarum fecit,cùm uerò, De aliquo, addiderit,ſubiectum declarauit. Orationẽ loco generis accepit.

Minimè latere nos debet,hanc non definitionem,ſed deſcriptionem eſſe:quoniam in definitionibus disiunctio non habet locum. Aiens,autẽ,uel Negans oratio tunc uniuerſalis eſt, cùm ei determinatio uniuerſalis Omnis,uel Nullus adiacet.ut,Omnis homo animal eſt: aut, Nullus homo animal eſt. Particularis aiens uel negans oratio eſt,cùm particulares determinationes,quales ſunt Aliquis, & Nõ omnis,habet adiunctas.ut, Aliquis homo albus eſt,& non omnis homo albus eſt. Indefinita propoſitio eſt, cui nulla,nec uniuerſalis,nec particularis determinatio adhæret.ut,Homo albus eſt,uel homo albus non eſt.

Particularem,hoc eſt demonſtrationes quæ de ſingulis rebus fiunt.

Alicui,aut non alicui,aut non omni ineſt. Sciſcitantur nonnulli,quare in libro ſuperiore,qui de Interpretatione inſcriptus eſt, determinationes particulares duas tantùm dixerit eſſe, atq; hic treis, uidelicet Aliquis,Non aliquis,& Non omnis ſtatuerit. Quibus dicimus,has Non aliquis, & Nõ omnis & ſi differũt uerbo,eaſdem tamen eſſe ratione ſubiecti,non ſecus,atq; hominem & uirum, enſemq; ac gladium:qui nominis impoſitione duo uidentur, ſed quo ad ſubiectum , unus tantùm: quippe cùm hanc , Omnis , abolere uoluerimus: hanc , Non omnis , quæ illi repugnat , dicemus. Cumq; obuiam itur huic, Aliquis: dicitur , Non Aliquis. Reſtat igitur , ut hoc in loco duæ particulares determinationes ſint , etſi Ariſtoteles tres dixiſſe uideatur: quippe cùm Non omnis, & Non aliquis eædem ſubiecto ſint. Indefinitam inquit eſſe propoſitionem,quæ ſolùm ineſſe,& non ineſſe abſq; ulla determinatione ſignificat.ut, Homo grãmaticus eſt,uel,Homo grammaticus non eſt. Cùm autem indefinitæ propoſitionis eſſet exempla daturus, ea non admodum diligenter appoſuit. Ariſtotelis enim in dandis exemplis diligentiam plerunque deſideramus. Etenim ſi in libro de interpretatione ait, Articulos,ſi cũ uocibus uniuerſalibus eiungantur,pares determinationibus uniuerſalibus eſſe: ut ſi quis dixerit,Homo ambulat,idẽ ſit,atq; Omnis homo ambulat: ſequetur, ut cùm dicat, Contrariorum eſſe eandẽ ſcientiã, idem ſignificet,ac ſi dixiſſet, Omnium contrariorum eandem ſcientiam eſſe: quod cùm ipſe quoque parum idoneum exemplum eſſe cognouiſſet,alterum ſubiunxit: Voluptatem inquit,non eſſe in bonis:in quo intelligendum non eſt, Omnem uoluptatem bonum non eſſe,quoniam falſa eſſet propoſitio:cùm neq; uoluptas omnis bonum non ſit,ſed illa ſola bonũ non eſt,qua pueri meritorii,atq; intemperantes,aſotiq; fruuntur: at ea,quæ ex cognitione,quæq; propter uirtutis actionem prouenit,atq; uſum,bonum eſt. Non enim ſi dicat quiſpiam,Homo albus eſt, uel grammaticus,homo pro omni homine capi poterit, propterea quòd album,uel grammaticus ex ui, atq; natura de homine nequaquam enunciantur,ut ob id de quibuſdam dici, de quibuſdam minime dici poſsint. Verùm qui hominem animal ait eſſe, omnem hominem animal eſſe ſignificat: & uera illius oratio eſt, quoniam animal per naturam de omni homine dicitur.

Dialectica propoſitio à Demonſtratiua differt,quòd Demonſtratiua alteram repugnãtiæ partem accipiat:non enim interrogat,ſed ſumit is, qui quicquam demonſtrat. Dialectica uerò ſit interrogatio repugnantiæ;uerùm ad ratiocinationem ex utraque gignendam,nihil ab illa intereſt. Nam & qui demonſtrat,& qui interrogat,cùm ſumat aliquid,de aliquo ineſſe,uel non ineſſe,ratiocinatur. Quare propoſitio,qua ratiocinatio conſtituitur, abſolute alicuius de aliquo affirmatio eſt, uel negatio,ut dictum eſt. Demonſtratiua eſt, ſi uera ſit, & ex iis,quæ poſita à principio ſunt, accepta fuerit: at Dialectica eſt interrogatio repugnantiæ, cùm quiſpiam interrogat, cùm ratiocinatur, ſumptio eius, quod apparet, & probabile eſt, quemadmodum in Topicis diximus. Quid igitur Propoſitio ſit, quidq; inter Ratiocinatiuam,Demonſtratiuam,& Dialecticam interſit,in ſequentibus accuratè diſſeremus: quantum uerò ad præſentem rem ſpectat, ſatis nunc à nobis definitum ſit.

CVM principio præfatus ſit, ſibi de ratiocinatione demonſtratiua diſſerere propoſitum eſſe, cuius

gratia de ſimplici primùm uerba facere neceſſe putauit, cùm per deſcriptionem quid propoſitio, qua ratiocinatio conſtituitur, ſit, & quæ uniuerſalis, docuerit: alliciens nunc ad ſe auditorem, patuum admodum Demonſtratiuæ, & Dialecticæ propoſitionis diſcrimen in medium profert: nam de iis diligentius, & perfectius in demonſtatiua, & dialectica tractatione dicturus eſt. Primum itaq; ab ipſa Demonſtratiuæ, & Dialecticæ propoſitionis natura initium ſumens, inter eas inquit differentiam uerſari ex eo, quòd Demonſtratiua uera ſit, Dialectica probabilis, uidelicet, quæ ei, qui cum diſſeritur, talis appareat. Aliud quoque diſcrimen tradit, quod Demonſtratiua non interroget, Dialectica uerò, roget, ac ſcitetur: cuius rei hæc eſt cauſa. Ille, quidemonſtat, non exteriorem orationem, quam in diſputatione ſpectamus, ſed ad eam, quæ in anima eſt, ratiocinatur: quo fit, ut ueritatem ſtudeat inuenire. ut ſi repugnantiæ partem, affirmationem deinde, & poſtea negationem ueram inuenerit, eam partem ad demonſtrationem ſumit, etſi ea nequaquam uera eſſe auditoribus uidetur: ut, Solem eſſe terra maiorem: quæ tamen uera eſt, & apud omnes pro explorata habetur, quãuis nonnulli pedalem exiſtiment. Dialecticus autem gloriæ cupidus, poſtquam ad exteriorem orationem, & ſecum diſſerentem ratiocinatus eſt, cùm uelit eum, cum quo diſſerit, decipere, inq; repugnantiam compellere, ut contraria fateatur iis, quæ dixerit, repugnantiam interrogat, illamq́; partem ſumit, quam diſſerens conceſſerat, cuius beneficio eidem aduerſando eò deducit, ut iis, quæ prædixerit, contraria fateri cogatur. Quòd ſi eas propoſitiones, quas ſermocinans conceſſerat, non acceperit, ſed quas uoluerit, licebit tunc diſſerenti, qui iam ad contraria dicenda cogebatur, dicere, repugnantiam ex eo non inferri, quod ipſe prædixerat, ſed ex propoſitionibus, quas dialecticus interrogans aſſumpſerat. Verum quod diximus, exemplo clarum faciamus. Si is qui diſſerit, animam immortalem aiat eſſe, dialecticus hoc pacto procedet, Animáne ſpecies eſt ex materia? Quod ex materia eſt, nónne interitui ſubiacet? quod interitui ſubiacet, nónne mortale? ergo anima mortalis eſt. Quòd ſi alter immortalem nõ eſſe confirmet, cõtra ſic dialecticus argumẽtabitur: Anima mouetur à ſe, quod ſeſe mouet, nunquã ne moueri quidẽ deſinit: quod ſemper mouetur, æternũ eſt: æternũ autẽ nec occidit quidem unquã: igitur anima immortalis eſt. Demonſtratiua eſt, quæ alterum repugnãtiæ membrũ aſſumit: nam repugnãtia duas partes habet, affirmationem & negationem, inter quas magnum certamen uerſatur: quiq́; unam illius partem demonſtrat, eam, quæ uera eſt, capit: non enim rogat, ut propoſitionem ab interrogato conceſſam capiat, ſed in illum ratiocinationes componens, ueritatisq; ſtudioſus ſuſcipit ueram propoſitionem.

Dialectica ſit interrogatio repugnantiæ. Videtur hoc loco Philoſophus illis contraria dicere, quæ aſſeruit in libro de Interpretatione. Hic enim ait, Dialecticum totam repugnantiam interrogare: at illic dixit, Dialecticũ unã repugnantiæ partẽ rogare. Illic enim Dialectica, inquit, propoſitio eſt, una repugnantiæ pars. Dicimus igitur, hæc non ut contraria, ſed tanquam eadẽ dicta fuiſſe. Nam in ſuperiore libro unã repugnantiæ partẽ actu inquit interrogari, alteram poteſtate inferri: cumq́; hic aiat dialecticũ totam interrogare repugnantiam, non dicit eum affirmationem, & negationem actu rogare, uerùm hanc re ipſa interrogare, hanc uerò poteſtate inferre. Fieri enim non poteſt, ut utræq; re ipſa ſimul dicantur. Quapropter is, qui dialecticè interrogatur, nihil habet ab ipſa arte, ut plura uerba reſpõdeat, ſed ſolùm aut Etiã, aut Non. Ita ſiquis interrogarit, Anima immortalis eſt, an non? & ſi Etiã reſpondet, ignorabitur tamen utrũ affirmauerit, an negauerit. Quòd ſi dixerit, Non, erit non minus obſcurum, quam propoſitionem conceſſerit. Si autem actu una è propoſitionibus interrogabitur, & Etiam, reſpondeatur: propoſitio, quæ rogata fuerat, conceſſa uidebitur. Si uerò reſpõderit Non: uidebitur non interrogatam, ſed eam, quam poteſtate unà introducit, negationem uidelicet, reddidiſſe. At qui rogat, reſpondentem cogit pluribus uerbis reſpondere, ut

Qui genus? unde domo? qui te genuere parentes?

alter uero ſic reſpondet,

A Troia ad Ciconum uexit me littora uentus.

Differt itaq; Demonſtratiua à Dialectica propoſitione, quòd hæc uera ſit, illa probabilis, quæ uidelicet ei, qui cum diſſeritur, appareat: quodq́; hæc interrogetur, illa accipiatur.

Verum ad ratiocinationem ex utraq; gignendam. Id eſt, ad demonſtratiuam, & dialecticam ratiocinationem conficiendam,

Nihil intereſt. Id eſt, nihil differt: nam neq; is, qui demonſtrat, ſine propoſitionibus ratiocinatur: neque is, qui interrogat, dialecticus inquam, abſq; propoſitionibus ratiocinationem componit, ſed utriq; cùm ratiocinantur, uel duas propoſitiones aientes, ſeu unam maiorem negantem, & minorem aientem accipiunt. Atq; illis uerbis, Aliquid de aliquo, aientẽ reſerauit: cùm uerò addidit, Non ineſſe, negantẽ patefecit. Ratiocinatrix enim uniuerſalis propoſitio eſt, affirmatio, uel negatio alicuius de aliquo, uel alicuius ab aliquo, eo modo, quo dictum eſt: Illę uidelicet propoſitiones uniuerſales ſunt, uel particulares, uel indefinitæ. Demonſtratiua autẽ propoſitio eſt, quæ uera eſt, quæq́; ex iis, quæ à principio poſita ſunt, capitur. Poſita à principio intelliges cõmunes, & per ſe fide dignas notiones. Illæ enim apud omnes & ſapiẽtes, & inſipiẽtes, pro claris ac perſpicuis habẽtur, quemadmodũ eſt, de omni re affirmatio eſt, uel negatio. Itẽ ſi æqualia ab æqualibus demãtur, quæ ſuperſunt, æqualia ſunt. Notiones enim cõmunes ſunt demonſtrationibus meliores, & præſtãtiores: quippe cùm notiones ita ſint ex ſe, quibus fides adhibeatur, & demonſtrationes fidẽ habeãt cõmuniũ notionũ beneficio. Vel per ea, quæ à principio poſita ſunt, intelligit propoſitiones ab uniuſcuiuſq; ſciẽtiæ principiis acceptas. Vna enim quæq; ſciẽtia propria habet principia, ut Grãmatica quatuor

& uigin

& uiginti elementa,quę in Vocales,& Conſonantes,& alia multa diducit:Geometriæ principia ſunt,Punctũ,Linea,Superficies:Arithmetices,Vnum.Quo fit,ut demonſtratiua propoſitio non ſolùm uera eſſe debeat(hoc enim habet etiam dialectica)ſed notio cõmunis,uel ab uniuſcuiuſq; ſcientiæ principiis ſumpta. Dialectica propoſitio eſt interrogatio repugnantiæ cùm dialecticus interrogat,& quærit:at cùm ratiocinatur,ſumptio eius quod apparet,& ei uidetur,qui cum diſſeritur.

Quod apparet,id eſt quod probetur,& uideatur ei,qui dixerit.

In ſequentibus accuratè diſſerimus. Nam cùm de demonſtratione,& dialectica docebimus,tunc quid dialectica,quidq́; demonſtratiua propoſitio ſit,dicemus.

Quantum uerò ad rem præſentem ſpectat,id eſt quantum ad hanc attinet tractationem,ſatis de iis,demonſtratiua inquam,& dialectica propoſitione docuimus.

Terminum uoco,in quem propoſitio diſſoluitur:ut is,qui de ſubiecto enunciatur,isq́; de quo adiecto,uel ſeparato eſſe,uel non eſſe dicitur.

Terminum definit,quod nomen ipſe formauit,& Terminum uocari uoluit,cùm apud ueteres non eſſet:omnis enim propoſitio ex termino,qui ſubiicitur,atq; ex eo,qui de ſubiecto dicitur compoſita,rurſus in eoſdem terminos reſoluitur.

De quo dicitur. Ob eam enim cauſam Terminum appellauit,quoniam reſolutio procedit,quoad in ſubiectum,& alterum uerbum de ſubiecto dictum deſinat:quò cùm peruenerit,ita à termino cohibetur,ut longius progredi non poſsit. Ratiocinatio enim in propoſitiones reſoluitur,propoſitionesq́; in terminos ſubiectum,& de ſubiecto dictum:nec latius manat reſolutio. At cùm inquit,Adiecto eſſe:affirmationem reſerauit:cùm uerò addidiſſet,Vel ſeparato non eſſe:negationem indicauit.In hac enim,Homo iuſtus eſt:illud uerbũ EST,utroſq; terminos connectit:& in hac,Homo iuſtus nõ eſt:illud NON EST,terminos diſiungit. Hoc loco uidetur Ariſtoteles,dum propoſitiones ex ſubiecto termino,& eo,qui de ſubiecto dicitur,tertioq́; adiuncto conſtant,& eas quæ cum modo ſunt,commemorat,illas,quæ ex ſubiecto termino,& eo,qui de ſubiecto dicitur,prætermiſiſſe:cuius rei magna quæſtio eſt.Nos tamen dicimus,ipſum EST huiuſmodi propoſitioni poteſtate adhærere,ut huic,Homo ambulat,quippe cùm omne uerbum in EST & participium reducatur. Quo fit,ut cùm dixerit,Adiecto eſſe:eas quoq; propoſitiones,quæ ex ſubiecto termino,& eo,qui de ſubiecto dicitur,efficiuntur,acceperit,in quibus EST poteſtate ineſt,quemadmodum in hac,Homo non ambulat,quæ eſt negatio,ponetur,Non eſt,& ſic reſoluetur,Homo ambulans non eſt. Præterea cùm appoſuit.Non eſſe;negationes accepit quæ ex ſubiecto termino,& eo qui enunciatur,conflantur.

Ratiocinatio eſt oratio,in qua poſitis quibuſdam,aliud quiddam ab iis,quæ poſita ſunt,neceſſariò efficitur,eo quòd hæc ſint. Dico autem,Eo quòd hæc ſint:id eſt,propterea quòd hæc eueniant:propterea autem quòd hæc eueniant,nullius termini extrinſecus ad neceſſarium efficiendum indigere.

Io primis Terminum,tanquam ſimplicem,definiuit:deinde de Ratiocinatione,quæ compoſita eſt,docet.Simplicia enim compoſitis ſunt priora.Orationem loco generis accepit.

In qua poſitis quibuſdam orationibus:Quibuſdam inquit,non Quadam,in ſingulari numero:ut clarum faceret,omnem ratiocinationem è duabus propoſitionibus,non autem ex unà confici.Atq; ut Ratiocinationem diſtingueret ab illis,quæ μονολήμματα,id eſt ſolius ſumptionis,dicuntur. Oratores enim unam minorem propoſitionem aſſumunt,& ſtatim concluſionem inducunt:maioremq́; propoſitionem prætermittuot,ut,Hic comptus eſt,Mœchus igitur:eſt concluſio. Maior propoſitio,uidelicet,Omnis comptus mœchus eſt,relicta fuit. Item,Hic noctu errat,igitur fur,maior ſilentio inuoluitur,Omnis uidelicet noctu errans fur eſt. Eodem modo,Hic reſpirat,igitur uiuit,maior propoſitio,Omnis reſpirans uiuit,non aſſumitur.Oratores uerò hanc ob cauſam maiorem propoſitionem relinquunt:Mos erat,ut in iudicio ad clepſydram dicerent:non enim eis tempus concedebatur,ut quantum libuiſſet,dicere poſſent:uerùm ut primùm cauſam defendere incipiebant,tunc aqua in clepſydra fluere incipiebat:atque ne aqua tota prius defluxiſſet,quàm neceſſaria ad cauſam tuendam dixiſſent,& deſiſtere cogerentur,maiorem propoſitionem prætermittebant,præſertim cùm ius ſuum plenè,& perfectè in medium proferre ſtuderent.

Vel maiorẽ propoſitionẽ taciti præteribãt,ut iudicibus cogitandã relinquerẽt,& ea ratione illis adularentur,innuere uolentes,dialecticas rationes iudicibus eſſe cognitas,ut illos ad ſuã ſententiã perducerent.

Poſitis,Id eſt,confeſsis,& exploratis:nam in ratiocinatione non ambiguas propoſitiones,ſed cognitas,& perſpectas aſſumere debemus. Adiecit autem Poſitis,ut ratiocinationem à ratiocinationibus connexis diſcerneret,in quibus propoſitiones non ut conceſſæ,ſed per ſubiectionem ponuntur. ut,Si Deus iuſtus eſt,bona facit:ſi bona facit,æterna facit:ſi Deus igitur iuſtus,eſt æterna facit. Præterea Aliud,appoſuit,ut ratiocinationem à ratiocinationibus bis idem repetentibus,quas ἀδιαφορουμένους uocant,ſepararet:illæ enim ſunt,in quibus eadem eſt & propoſitio & concluſio:ut,Si dies eſt,dies eſt:ſed dies eſt:poſtea concluditur,ergo dies eſt. Nam in ratiocinationibus diuerſa eſt à propoſitionibus cõcluſio.ut Subſtãtia omni animali ineſt,animal omni homini,ſubſtãtia omni homini.Cõcluſionem uero à propoſitionibus diuerſam eſſe oportere,hinc perſpicuũ eſt,quod illud quod rei alicuius eſt cauſa,diſsimile eſt ab ea re,cuius cauſa eſt. ut clauus cauſa nauis eſt,& nauis eſt,cuius gratia clauus fit. ita diuerſus eſt clauus à naui. Propoſitiones

itidem

itidem cauſa concluſionis accipiuntur,& concluſio eſt, cuius gratia propoſitiones ſumuntur:diuerſa igitur eſt à propoſitionibus concluſio. Addidit Quiddam, ut oſtenderet illatam concluſionem determinatam eſſe.nam Omni ſolum, uel Nulli,uel Alicui, uel Non omni infertur. etenim Quiddam, determinatum aliquid ſignificat. Ex quo fit,ut cùm Quiddam, dixerit, ratiocinationem ab inutilibus ratiocinationibus ſecreuerit,in quibus nihil,nec omni,nec nulli,nec alicui,nec non omni determinatum inducitur.

Neceſſariò. Hoc uerbum poſitum eſt,ut indicaret omnem concluſionem neceſſariè ſequi:quippe cùm datæ, & conceſſæ huiuſmodi propoſitiones ſint, ex neceſsitate ſequitur, ut talis concluſio debeat inferri. Nam poſtea quàm aliquis ſubſtantiam omni animali ineſſe, animalq́; omni homini, faſſus ſit uelit nolit, concluſionem hanc, uidelicet Subſtaotia omni homini,dare cogetur. Ratiocinationem quoque ab eo genere ratiocinationum diſtinguit,quæ ab exemplo, & inductione ſumuntur, in quibus concluſio ex neceſſitate non infertur. Ratiocinatio ab exemplo tunc fit,cùm æquale ex æquali confirmatur, id eſt ſingulare è ſingulari: ut, Zeno nauigans naufragium fecit: tu itaque ſi nauigabis, naufragium facies. Hoc in loco concluſio neceſſaria oon eſt, non enim etſi Zeno nauigans naufragium fecit, neceſſe eſt, ut ſi quis nauiget, idem patiatur. Diodorus etiam, cùm nocturno tempore uagaretur, incidit in fures,tu itaque nocturno tempore uagans furibus obuiabis. Per inductionem tunc fit ratiocinatio, cùm res uniuerſæ rerum ſingularium inductione concluduntur: ut, Si omne animal inferiorem oris partem mouet,demonſtret tunc ex iis uerbis quiſpiam, etenim & equus, & bos, & leo, & nonnulla animalia inferiorem oris partem mouent,in hac ſanè ratiocinatione concluſio, nec neceſsitatem habet, nec fidem, propterea quòd fieri nequit, ut ſingula animalia,cùm præſertim infinita ſint,dinumerentur:neceſſe enim eſt eum, qui numerat,aliqua animalia prætermittere,quæ inferiorem maxillam non moueant.

Eo quòd hæc ſint. quoniam id obſcurum erat,ut clarum redderet, ait, Eo inquam,quòd hæc ſint: in qua propter Hæc,id eſt propoſitiones aſſumptas,concluſio efficitur. Sed quoniã id erat non minus obſcurum,ſubiunxit,Propter hæc dico:id eſt,à propoſitionibus poſitis concluſionem inferri,& nullius extrinſecus indigere,ut neceſſarium,hoc eſt concluſio euadat.Hæc enim ratiocinatio imperfecta eſt, indigetq́; termini extrinſecus accipiendi,nec concluſionem à propoſitionibus ſumptis infert. Hæc inquam,Anima à ſe mouetur,quod ſeſe mouet,ſemper mouetur,anima igitur æterna eſt. Nam à propoſitionibus, quæ poſitæ ſunt,animam æternam eſſe non inducitur,quoniam Aeternum in ratiocinatione non fuerat ſumptum:ſed infertur,Anima ſemper mouetur.Quòd ſi quis illaturus eſt,Anima igitur æterna eſt:neceſſe eſt,ut Aeternum in ratiocinatione capiat: ſicq́; ratiocinetur, Anima à ſe mouetur: quòd à ſe mouetur,ſemper mouetur:quod ſemper mouetur æternum eſt:anima igitur æterna eſt.

Perfectam igitur ratiocinationem uoco,quæ nullius indiget,præter ea,quę ſumpta fuerint,ut neceſſariũ appareat.Imperfectã uerò,quæ unius,pluriumúe eget, quæ quantũ ad ſubiectos terminos pertinet,neceſſaria quidẽ ſunt,in propoſitionibus tamen ſumpta non ſunt. Idẽ enim eſt in toto alterũ in altero ineſſe, ac de omni alterũ altero enunciari. De omni inquam enunciari tum dico,cùm nihil è ſubiecto ſumi poteſt, de quo alterum non dicatur:eodẽ quoq; modo de Nullo.

QVID perfecta ratiocinatio ſit,nunc docet. Perfectas dicit eſſe ratiocinationes, quæ in prima figura concluſionem ab acceptis propoſitionibus inducunt.

Nullius,id eſt,conuerſionum.

Vt neceſſarium appareat,id eſt,ut concluſio neceſſaria uideatur: nam concluſio,quæ in prima figura infertur,per reciprocationem,nõ perficitur, ſed ab illatis propoſitionibus habet in ſe firmum, & dignum, cui fides habeatur. Imperfectæ ratiocinationes ſunt in ſecunda & tertia figura: ex quibus nonnullæ concluſionem ab acceptis propoſitionibus non inferunt, ſed una conuerſione, uel pluribus, uidelicet duabus indigent, ut concluſionem firmam, & neceſſariam demonſtrent. Quædam uerò conuerſiones neceſſariæ ſunt, quæ ſub acceptis terminis latent, nam nec ſumptæ ſunt, nec palàm in acceptis terminis, propoſitionibusq́; ponuntur: ſed uiro erudito opus eſt, ut terminorum mutatiooe claræ & manifeſtæ reddantur. Vt igitur perſpicuum id fiat, hæc ratiocinatio proponetur. In ſecunda figura: Animal nulli lapidi, Aoimal omni homini ineſt, lapis igitur nulli homini ineſt. Quòd ſi rogarit quiſpiam, unde manifeſtum ſit, lapidem nulli homini ineſſe: (nam à propoſitionibus aſſumptis firmam concluſionem non acquirit) neceſſe erit, ut reciprocatione utatur, dicatq́;, Si animal nulli lapidi, & lapis nulli homini, animal omni homini, lapis igitur nulli homini ineſt.Si uerò dicatur, non eſſe imperfectam ratiocinationem, quæ termino extrinſecus ad concluſionem inducendam egeat, illi reſpondebimus, huiuſmodi non omnino ratiocinationem eſſe appellandam. Hæc, In toto uidelicet, & De omni, eadem ſunt ſubiecto, ratione tamen, habitudineq́; differuot. Si igitur propoſitio: Homo animal eſt, in qua ſi hominem acceperis, homo in toto animali erit, hoc eſt ab ipſo, ut à toto continebitur: At ſi ab animali incipias, dicetur animal de omni homine. De omni enim tunc eſt, cùm nulla eſt ſubiecti hominis pars, de qua animal non dicatur. hominis pars ſinguli homines ſunt. ſimili etiam modo, In toto, & de nullo, eadem ſubiecto ſunt, & habitudine diuerſa, ut hac propoſitione manifeſto apparet, Animal nulli lapidi eſt, ſi à lapide ad animal aſcenderis, dicetur lapis in nullo eſſe animali, quoniam lapis animalis pars non eſt: ſi ab animali ad lapidem aſcenderis, dicetur, animal de nullo lapide enunciari. De nullo dicitur, quia nulla eſt lapidis pars, à qua animal non procul abſit.

Quoniam propoſitio omnis eſt, uel ut extet, uel ut neceſſariò inſit, uel ut ineſſe contingat: atq; ex ijs aliæ Aientes, aliæ Negantes in unaquaq; addictione ſunt: Aientium quoq;, ac Negantium aliæ Vniuerſales, aliæ Particulares, aliæ indefinitæ: Vniuerſalem priuantem, quæ ineſſe ſignificat, terminis ipſis reciprocari neceſſe eſt. ut, Si nulla uoluptas eſt bonum, neq; bonum ullum uoluptas erit. Ea uerò, quæ enunciatur, neceſſe eſt reciprocetur, non tamen uniuerſè, ſed in parte. ut, Si uoluptas omnis bonum eſt, & bonum aliquod eſt uoluptas. At è particularibus aientem in parte reciprocari neceſsitas cogit: nam ſi qua uoluptas bonum eſt, bonum etiam aliquod erit uoluptas. Priuantem, neceſſe non eſt: non enim ſi homo animali cuidam non ineſt, animal quoque cuidam homini non ineſt.

CVM ratiocinationes in ſecuuda, & tertia figura per reciprocationem abſoluantur, propterea de ea doctrinam præbet. Reciprocatio enim ἀντιστροφὴ dicitur, in quo uocabulo illa præpoſitio ἀντὶ, etſi contra ſignificat, & contrarium notat, quandam tamen uiciſsitudinem declarat, & pro æquali ſumenda eſt, quippe cum reciprocatio ſit quædam æqua uerſio, adeo ut & reciprocata propoſitio, & ea, quæ ex reciprocatione deinde fit, in æqualibus, & in eiſdem uocibus, uerſentur: ut animal omni homini, & homo cuidam animali ineſt. Eſt autem Reciprocatio duarum propoſitionum, quę utriſq; terminis accommodatę ſint, communio, in qua eadem qualitas ſeruatur, terminorum tamen ordo ita inuertitur, ut ſimul uerum dicatur. Hoc autem, Duarum propoſitionum quæ utriſq; terminis accommodatæ ſint, communio: pro genere acceptum eſt, & reliqua differentiarum loco. Communicant enim inter ſe hæ duæ propoſitiones, Animal omni homini: & Homo cuidam animali, & ſimul uerum enunciant: mutata tamen in iis eſt terminorum diſpoſitio. Quatenus autem animal omni homini, Animal pro termino, qui enunciatur, & Homo pro ſubiecto intelligitur. At cùm dicimus, Hominem cuidam animali ineſſe: Homo fit terminus, qui enunciatur, & Animal ut ſubiectum habebimus, atq; eadem qualitas propoſitionis reciprocatæ ſeruatur: utræq; enim aientes ſunt, nam qualitas in propoſitionibus aiens eſt, uel negans: quantitas autem, aut uniuerſalis, aut particularis. Illa præterea uerba, quæ ſunt in definitione, eadem uidelicet qualitas ſeruatur, conuerſionem ab ea conuerſione, quæ ex uerbis traiectis & commutatis conſtat, diſtinguunt, Ae uerborum quidem commutatorum reciprocatio fit, quando conuertens termino ſubiecto, & ei qui enunciatur, contrarium ſumit. Incipit autem is, qui conuertit, à termino qui enunciatur hoc pacto, Homo animal eſt: non, Animal homo non eſt. At ſi à ſubiecto inceperit, dixeritq;, Non homo animal non eſt, mentietur: quoniam equus, & ſi homo non eſt, tamen eſt animal. Additur etiam (terminorum tamen ordo ita inuertitur) propter conuerſionem materiæ contingentis, quæ terminos non mutat. nam ſi album omni homini ineſſe contingit, nulli etiam continget: ſiq; alicui lauari contingit, non omni etiam continget. Apponitur demum (ut ſimul uerum dicatur) propter illam conuerſionem, quæ has omnes conuerſionis habet obſeruationes: uidelicet in qua communitas eſt duarum propoſitionum utriſq; terminis accommodata, eademq́; qualitas ſeruatur, ac termini cõmutantur: ſolùm tamen id ei deeſt, ut ſimul in ea propoſitiones ac termini uerum dicant, uelut hæc, omnis homo animal eſt, uera eſt. at hæc, quæ eſt eius conuerſio, Omne animal eſt homo, falſa eſt.

Quoniam omnis propoſitio eſt, uel quod inſit, uel quod neceſſariò inſit, uel ineſſe contingat. Hoc loco Explanator contendit quatuor ſolum modos eſſe, Neceſſarium, Impoſsibile, Poſsibile, & Contingens, quorum quatuor tantum in libro de Interpretatione, ut ipſe inquit, mentio facta eſt: nam negat INESSE modum eſſe, quoniam Ariſtoteles in libro de Interpretatione eius non meminit, idq́; hac ratione confirmat. Cùm dicat, Propoſitio omnis eſt, uel quòd inſit: propoſitiones, inquit, quæ ſine modo ſunt, indicauit: cumq́; dicat, Vel quod neceſſariò inſit, uel contingat: Id eſt, neceſſaria eſt, uel contingens, eas quæ cum modo ſunt, ſignificauit. Ego autem ipſum INESSE modum eſſe aio: Non enim dixit in libro de Interpretatione modos quatuor tantum eſſe, quod ex ipſiuſmet Philoſophi uerbis clarum, & perſpicuum eſt: illic enim inquit: Impoſsibile, Non impoſsibile, Neceſſarium, Non neceſſarium modos eſſe: quibus non contentus, Verum, & Non uerum adiunxit, ut innueret, infinitos eſſe modos poſſe. Atqui cùm de modorum miſtione diſſerit, nonnunquam Neceſſarium Contingenti miſcet, nonnũquam ei, qui ineſt. Cùm itaque de Neceſſario modo mentionem faciat, Impoſsibilem prætermitit, quoniam inter ſe repugnant. Neceſſarium infert id, quod ineſt: poſsibile autem quod non ineſt. Quod ineſt, & quod non ineſt, contraria ſunt: contrariorum eſt eadem ſcientia. Si quis tamen rogaret, Quam ob cauſam impoſsibilis non meminerit? Eidem reſponderemus, Neceſſarium præſtantius eſſe eo, quod fieri nequit, quippe cùm id, quod ineſt, inducat. Eius præterea, quod fieri poteſt, nullam mentionem facit, propterea quòd propriè Contingens cùm eo idem eſt. Cùm itaq; dixerit, Contingat, id quod fieri poteſt, ſimul aſſumpſit.

In unaquaq; adiectione. Id eſt, in unaquaq; modi appoſitione, etenim in neceſſario, ac reliquis omnibus modis, & aientes, & negantes propoſitiones uniuerſaleſq́;, & particulares, & indefinitas comperies.

Vniuerſalem priuantem, quæ in exiſtendo eſt. Id eſt, Ea propoſitio, in qua eſt Nullus, in ſeipſam reciprocatur. Terminis, id eſt terminorum ordine mutato.

Si nulla uoluptas eſt bonum. Captioſè hic nonnulli agũt, & cauillantur: aiunt enim hanc Nullus, in ſeipſam non cõuerti, hocq́; utũtur argumento: Nullus paries in palo eſt, eius cõuerſa eſt falſa, Nullus palus in pariete: error in eo factus eſt, quòd totũ id, quod enũciatur, non ut ſubiectũ captũ eſt: nam in hac, Nullus paries in palo eſt paries ſubiicitur, in palo autẽ enunciatur. totũ igitur illud, quod enũciatur, in cõuerſione

ſumptum noo ſuit, propterea quòd omiſſum fuit EST. Debebat enim is, qui conuertebat, ſic dicere, Et nullum quod in palo ſit, paries eſt. Nulla item cucurbita gladinm ſecat: falſa eius eſt conuerſio, Nullus gladius cucurbitam ſecat: eo quòd totum id, quod ennnciatur, non aſſumitur, tanquam ſubiectum: id enim quod enũciatur erat, Cucurbita ſecat. Hoc itaq; modo dici oportebat, Nihil ſecans gladium, cucurbita eſt. Nullus urceus in uino eſt, falſam habet conuerſionem: ut in ſuperioribus dicebamus. Præterea, ſi Omnis, quia quod ineſt, inducit, præſtantior eſt, quàm Nullus: quid fuit in cauſa, cur hæc præponeretur. Quoniam ſcilicet ea, quæ in ſe conuertitur præſtantior eſt, quã ea, quæ in hanc, Aliquis, reciprocatur: neceſſe autem eſt, ut Omnis conuertatur, Non tamen uniuerſe: Id eſt, non in ſeipſam uniuerſalem: Sed in parte: Id eſt in Aliquis, quæ particularis eſt.

Etenim ſi uoluptas omnis bonum eſt, & bonum aliquid eſt uoluptas. Omnis uoluptas intelligenda eſt, quæ nobis ex cognitione peruenit, atq; uirtutis actione, & uſu. Bonum non tantum de hac uoluptate dicitur: ſed etiam in ſubſtantia, in quanto, in quali bonum ſpectatur. E particularibus antẽ determinationibus hãc Aliquis, quæ aiens particularis eſt, in ſeipſam cõuerti neceſſe eſt. Nam ſi qua uoluptas bonum eſt, bonum etiã aliquid erit uoluptas. Quandã inquit uoluptatem bonum eſſe, de qua feci ſupra mentionem: Illa autem puerotum meritoriorum non bonum eſt. Poteris quoq; obiicere, Ariſtotelẽ in dandis exẽplis diligẽtia nequaquã uti: ſed hanc, Aliquis, huic Non omnis, præpoſuit: quoniã Aliquis determinata in ſeipſam in omni materia reciprocatur, & Non omnis Non alicui, ideſt non omni animali ineſt.

Animal cuidam homini non ineſt. Hoc eſt, nequaquam Non omni, ſed Omni ineſt: in ea autem materia, quæ fieri non poteſt, in Nullus conuertitur. Etenim ſi homo non omni pennato, pennatũ quoq; nulli homini inerit. At in contingenti materia, uel in ſeſe reciprocatur, uel in Aliquis tranſmutatur: nam ſi album non omni homini ineſt, hominem oel non omni albo, uel alicui ineſſe affirmabis. In Ariſtotelẽ dicentem hanc Omnis, in hanc Aliquis, reciprocari, nonnulli oſtendentes Omnis in Aliquis non conuerti, fallaces quaſdam concluſiunculas contorqueo t: ut, Omnis ſenex iuuenis prius erat, non uera hæc erit, Aliquis iuuenis prius ſenex erat. Fallacia in eo eſt, quòd id, quod enunciatur, eſt, iuuenis erat, ut totum ſubiectum non fuit aſſumptum: quod ſi capiatur, uera erit conuerſio: quoniam aliquis prius iuuenis cùm eſſet, ſenex eſt. Rurſus, Omois mulier erat uirgo, non uetum erit, ſi dicatur, Aliqua uirgo mulier erat: ſed ita dicendum eſt, Aliqua prius uirgo, mulier eſt. Mulier enim hoc loco matrimonio locatam ſignificat.

Primum igitur ſit A B uniuerſalis priuans propoſitio: ſi ergo A nulli B ineſt, neque A cuiquam B inerit: nam ſi alicui, uelut C ineſt, nulli B ineſſe A uerum erit. Nam C pars quædam ipſius B eſt. Quòd ſi omni B ineſt, A, & B alicui A inerit: ſi nulli, neque A ulli B inerit: ſed omni ineſſe poſitum fuerat.

CV̀M exemplis, quomodo determinationes reciprocentur, indicarit, idem euidentius eſt demonſtraturus. Elementa autem capit, propterea quòd ſi terminos acciperet, quomodoq́; conuertantur oſtenderet, huiuſmodi conuerſionem ex terminis ſumptis fieri quiſpiam dicere poſſet. at ſi ut aliud ſit, termini capiantur, hæc, Nullus, in ſeſe noo reciprocabitur: quod in cauſa eſt, ut elementa accipiat, ut libertatem det auditori, quos uoluerit, terminos accipiendi. Vniuerſalis negantis, quæ eſt Nullus, nobis doctrinam primùm præbet, quoniam ea adiumento eſt ad reliquatum determinationum reciprocationis demonſtrationem. Si enim A uidelicet animal, nulli eorum, quæ ſunt B, id eſt nulli lapidi ineſt: B lapis ſcilicet, nulli A, nulli inquam animali inerit. At ſi quis diceret, illum mentiri, qui B nulli A ineſſe aſſeruit, uerumq́; dicere eum, qui B alicui C: reliquum erit, ut hæc quoq; ptopoſitio, Animal nulli lapidi ineſt, falſa ſit: quæ quomodo falſa ſit, animaduerte. Lapis enim, ut tu inquiſti, nulli animali non ineſt, ſed alicui animalis particulam, uidelicet equum accipias, de quo lapis enuncietur: equus igitur & animalis pars eſt, & lapidis, ut dixiſti. Etenim ſi lapis de equo dicitur, omne autem, quod de alio dicitur, tanquam totũ illud ipſum, de quo dicitur, comprehendit, hoc eſt ex ui, & natura, & non ſoris, ac fortuitu eounciatur: ut homo de Socrate, tanquam totum de illo dicitur: equus igitur eſt lapidis pars: ſiq́; illius eſt pars, reſtat, ut illa propoſitio, Animal de nullo lapide dicitur, falſa ſit. De nullo ſic definitur, cum nulla ſubiecti pars eſt, à qua illud, quod enunciatur, non deficiat. Si itaque equus lapidis eſt pars, quomodo animal nulli lapidi ineſſe dicetur? nam animal ab equo non deficiet, quandoquidem eſt animalis pars: cùm igitur abſurdi quicquam à te dicente B alicui A ineſſe, oiferatur, ſupereſt, ut uerum ſit, nulli animali lapidem ineſſe, & falſum ſit, ſi alicui ineſſe dicatur. Album autem fortuito de homine dictum, non tanquam totum de homine dicitur, propterea quòd hominem non continet. Hæc demonſtratio non eſt per deductionem ad id, quod fieri nequit, quamuis Explanator huius beneficio fieri demonſtrationem dicat. ſi A, uidelicet animal, omni B, hoc eſt homini ineſt, & B cuidam A inerit. Si uero aliquis non cuidam ineſſe inſtiterit, ſed hominem nulli ineſſe animali, nulli quoque homini animal inerit. Nam hæc Nullus, ut demonſtratum eſt, in ſeipſam reciprocatur, ſed A omoi B ineſſe ſtatuatur, quonam igitur modo A & omni, & nulli B inerit? Sed quoniam id abſurdum ex eo inducitur, quòd ponas B nulli A ineſſe: reſtat, ut Nulli ineſſe, falſum ſit: Alicui autem ineſſe, ſit uerum.

Similiter etiam ſi particularis propoſitio ſit: Nam ſi A alicui B ineſt, B quoque alicui A inſit neceſſe eſt: ſi uero nulli, neque A ulli B inerit. At ſi A alicui B non inſit, non neceſſe eſt B alicui A non ineſſe: ut, ſi B animal ſit, A uero homo: etenim homo non omni animali, ſed ani-

mal

mal omni homini ineſt.

POSTEAQVAM hanc Omnis in hanc Aliquis conuerti demonſtrauit, inquit Similiter etiam ſi particularis propoſitio ſit. Hoc eſt, eodem etiam modo ſi fuerit particularis aiens, quæ in ſe ipſam, id eſt in Aliquis conuertitur: nam ſi A uidelicet album, alicui B. hoc eſt homini ineſt, & B homo alicui A albo ineſt. Si enim falſuo1 erit alicui ineſſe, (De omni enim re affirmatio, uel negatio uera eſt) uerum erit ex tua ſententia oulli ineſſe: ſitq; B homo nulli A ideſt albo, & nullus in ſe reciprocetur: ſit quoq; A album nulli B id eſt homini: ſed ſit etiam alicui. erit igitur album nulli, & alicui homini, quod maxime eſt abſurdum. hoc autem inducitur ex eo, quod B nulli A ineſſe dicebatur. falſum igitur nulli, & uerum eſt B alicui A ineſſe. Hanc, Non omnis per deductionem ad id, quod fieri nequit, noo demonſtrat, propterea quòd in ſe non reciprocatur, ſed ex terminorum demonſtratione. accipitq; A hominem, & B animal. quare ſi A homo, alicui B ideſt non omni animali ineſt, non neceſſe eſt B animal alicui eorum, quæ ſunt A uidelicet non omni, ſed omni ineſſe.

Vno eodemq; modo in neceſſarijs propoſitionibus ſeſe res habebit. Vniuerſalis enim priuans uniuerſe, aientes autem utræq; in parte reciprocantur. Nam ſi neceſſe eſt A nulli B ineſſe, neceſſe eſt, & B nulli A ineſſe. Si enim alicui contingit, & A alicui B continget. ſi uerò A ex neceſſitate omni uel alicui B ineſt, & B alicui A inſit neceſſe eſt. Si enim non neceſſe eſt, neq; A alicui B ex neceſsitate inerit. Particularis autem priuans propter eandem cauſam, quam ſupra diximus, non reciprocatur.

DECLARATIS propoſitionibus, quæ in exiſtendo ſunt, quonã pacto uniuerſalis negans in ſe, & quomodo uniuerſalis aiens in particularẽ aientẽ, & qua ratione particularis aiens reciprocetur, proſequitur, ut de neceſſariis propoſitionibus, quomodo ioquam uniuerſalis negans in ſeſe, & Omnis, & Aliquis in Aliquis conuertantur, ediſſerat. Propoſitiones, quæ in exiſtendo ſunt, ob eam cauſam neceſſariis priores locauit, quoniam ſimpliciorem demonſtrationẽ nactæ ſunt. Quæritur, cur in libro de Interpretatione determinatarum propoſitionum, quæ cum modo ſunt, Neceſſarium inquam nulli ineſſe, & neceſſarium omni ineſſe: Contingit nulli ineſſe, & contingit omni ineſſe, nullam mentionem fecerit: ſed indeterminatas hoc modo protulerit: Fieri poteſt, ut ſit, Non fieri non poteſt, ut ſit: Cõtingit, ut ſit, non neceſſe eſt, ut ſit, & hoc loco neceſſarias propoſitiones determinatas capiat. Dicimus, Ariſtotelem breuitatis ſtudioſum, cùm in libro de Interpretatione de ipſis determinationibus diſſereret, propoſitionesq; ex ſubiecto termino, & eo, qui enuntiatur, determinatas acciperet, ſuperuacaneum cenſuiſſe, propoſitiones, quæ cum modo ſunt, determinatas inferre: ut etiam iis, qui diſcunt, illas proferre determinatas permitteret. At hoc in libro, in quo de iis diſſerit, quæ maximè ad ratiocinationem conficiendam ſpectant, cùm ratiocinatio ſine uniuerſali propoſitione determinata conſtare nequeat, eius rei gratia propoſitiones, quæ cum modo ſunt, determinatas ſumit. Præterea ſi determinatio particularis in propoſitionibus accipiatur, concluſio quoq; particularis inferetur. Ambigitur ſecundo loco, quonam pacto cùm nunc uelit in neceſſariis propoſitionibus uniuerſalem negantem, quæ in ſe reciprocatur, demonſtrare, hanc acceperit, Neceſſe eſt nulli ineſſe, quam in libro de interpretatione non negationem, ſed affirmationem ex uerbis commutatis dixit eſſe. Illic enim, Neceſſe eſt non eſſe, & eodem modo Contingit non eſſe, affirmationem eſſe inquit: hic uerò, hanc, Contingit nulli ineſſe, tanquam negationem aſſumit. Nos propoſitiones oppoſitas repugnanter capi reſpondemus: idq; uel ut modum tantummodo auferant, quemadmodum huic, Neceſſe eſt omni ineſſe, hæc opponitur, Non neceſſe eſt omni ineſſe: quæ cùm neceſſarium repellat, indeterminata remanet, quatenus alium modum, uidelicet Fieri poteſt, uel Contingit, nou introducit (etenim in libro de Interpretatione negationes inquit eſſe, quæ Non negationem modo appoſitam habent.) uel oppoſitæ totam peruertunt propoſitionem, huic enim propoſitioni, Neceſſe eſt omni ineſſe: in qua modus eſt quantus, & qualis uniuerſalis aiens, hæc, Contingit non omni, propriè in omnibus, in quantitate, qualitate, & modo opponitur. Huic quoque Neceſſe eſt alicui, in libro de Interpretatione hanc, Non neceſſe eſt alicui, contrariam eſſe dixit. quam indeterminatam eſſe dicimus: hoc uerò loco, hanc Contingit nulli. Et quoniam ab indeterminatis propoſitionibus ratiocinatio non fit, indeterminata enim concluſio induceretur, & ratiocinationibus magis opus eſt propoſitionibus determinatis, utpote quæ concluſionem inferant determinatam, propterea hoc loco hanc, Neceſſe eſt nulli ineſſe: & hanc, Neceſſe eſt omni ineſſe, tanquam determinatas aſſumpſit. hanc autem, Non neceſſe eſt omni ineſſe, atq; hanc, Noo neceſſe eſt alicui, ueluti non determinatas prætermiſit: utpote quæ ad ratiocinationem conficiendam nulli ſint adiumento. Fortè fortuna diceret quiſpiam, Si unum uni opponitur, quo iure huic, Neceſſe eſt omni ineſſe, duas inquiſti repugnare, hanc uidelicet, Non neceſſe eſt eſſe, & Contingit non omni: & huic, Neceſſe eſt alicui, hanc Noo oeceſſe eſt alicui, & hanc, Contingit nulli? Dicimus hanc, Contingit nulli, æqualem eſſe huic, Non neceſſe eſt alicui, & hanc, Contingit non omni, huic Non neceſſe eſt omni, parem eſſe. Nam ſi album non neceſſe eſt omni homini, non omni homini ineſſe continget. Item ſi lauari non neceſſe eſt alicui homini ineſſe, continget ut nulli homini inſit. Eodem modo huic, Contingit alicui, hæc opponitur, Non contingit alicui, & Neceſſe eſt nulli: hæ enim ſunt æquales inter ſe. Nam ſi uolare non contingit alicui ineſſe, neceſſe etiam eſt, ut nulli contingat. Demum etſi duo uerbis & nominibus uidentur, unum tamen eſt ſignificatione: quare unum uni repugnat. Et quoniam hæc, Neceſſe eſt nulli,

par huic negationi eſt, Non contingit alicui, recte hanc, Neceſſe eſt nulli, negantem uniuerſe accepit, tanquam negationis uim habeat, & ſi ex forma orationis aiens uideatur. Præterea dubitatur, ſi hanc, Neceſſe eſt nulli, inquit huic, Contingit alicui, contrariam eſſe modo & quãtitate, & qualitate, cur in libro de Interpretatione horum contrariorum non meminerit, ſed ea dixerit contraria, in quibus, Non, negatio modo adhæret, quod propter materiam contingentem factum dicimus: in illa enim niſi, Non, negatio modo adiiciatur, non erit negatio: quippe cùm hæc, Contingit omnem hominem lauari, & hæc, Contingit nullum hominem lauari, ſimul ueræ ſint: nec repugnent. ſed uerba Philoſophi ſunt ponderanda ſi A animal nulli B lapidi ineſt, B quoq; lapidem nulli A animali ineſſe neceſſe eſt. Si uerò diceret quis, falſum eſſe B nulli eorum, quæ ſunt A ineſſe, ea propoſitio, quæ huic repugnanter opponitur, uera erit, hæc inquã Contingit B alicui eorum, quæ ſunt A ineſſe: ſi uerò hæc Aliquis in ſeſe conuertitur, Contingit A alicui B ineſſe, ſed ex neceſsitate A nulli eorum inerat, quæ B ſunt. Vnde igitur contraria, de eodem inducta fuere? ex eo nimirum, quod poſitum eſt B alicui eorum, quæ ſunt A ineſſe. id itaq; falſum eſt, & illud uerum B nulli eorum, quæ ſunt A ex neceſsitate ineſſe. At ſi rogaret aliquis, Quo iure ad huius cõuerſionis Neceſſe eſt nulli ineſſe, demonſtrationem particulari aienti contingente tanquam conuerſa utatur, cùm nec adhuc declarauerit hanc Alicui ineſſe in ſeipſam reciprocari, Reſponderemus, propriè Contingens illud eſſe, quod in futuro tempore accipitur: ut Contingit Socratem lotum iri: cùm enim contingens uagatur, & lotus eſt Socrates, tunc contingens non eſt, ſed id quod ineſt: quoniam Contingens illud eſſe definimus, quod ut fiat neceſſarium non eſt. ſiq; ut factum ponatur, nihil abſurdi prouenit, ut Socratẽ mœchari contingit. non autem neceſſarium eſt in uno ut fiat, ſed ſi tãquam factum ponatur, nihil eueniet. quod fieri nequaquam poſsit, ut hunc mœchari: nam ſubiectio non impoſsibilis, ſed falſa poſita eſt. Subiectio enim, quæ fieri non poteſt, falſa eſt: at quæ falſa eſt, non impoſsibilis eſt, uelut ſi dicamus, B nulli eorum, quæ ſunt A ineſſe contingit. Si quis hoc loco contingẽs pro exiſtenti acceperit, nihil, quod fieri nequeat, ſubiectum fuerit. Reliquum nunc eſt, ut tibi compertum ſit, propoſitionem exiſtentem in ſeipſam reciprocari, has uerò Omnis, & Aliquis utraſq; miſcuit, tanquam in hanc, Aliquis, conuertantur. Nam ſi A omni uel alicui B neceſſario ineſt, B quoq; alicui A neceſſariò inerit.

Si enim non neceſſe eſt. Id eſt, Niſi neceſſe ſit B, uidelicet hominem, alicui A, ſcilicet alicui animali, ineſſe, perſpicuum eſt, id eſſe extrinſecus aſſumendum, B quoq; hoc eſt hominem, nulli A, nulli inquam animali neceſſario ineſſe, deinde A animal, nulli B ineſſe neceſsitate coactum. Cum enim dicitur, A, non alicui B neceſſario ineſt, idem eſt, ac ſi dicatur, A nulli B ex neceſsitate ineſt.

Particularis enim priuans. Hæc uidelicet, Neceſſe eſt non omni ineſſe, in ſeſe non reciprocatur.

Propter eam cauſam, quam ſupra diximus. Ideſt, quoniam indefinita eſt. Aliter autem in contingenti materia conuertitur, uidelicet uel in ſe, uel in Aliquis: & aliter in neceſſaria, uidelicet in Omnis: & aliter in ea, quæ ineſt, in Aliquis inquam, reciprocatur.

In contingentibus uerò, quoniam multifariam Cõtingere dicitur, nam & neceſſarium, & non neceſſarium, & poſsibile contingere dicimus, in aientibus quantum ad reciprocationem attinet, in omnibus res ſimiliter ſe habet. Nam ſi A omni, uel alicui B contingit, & B alicui A continget. Si enim nulli, nec A cuiquam B, hoc autem prius demonſtratum eſt. In negantibus uerò ſimili modo non fit, ſed quęcunq; cõtingere ex eo dicũtur, quòd uel neceſſariò non inſint, uel quòd neceſſariò inſint, ſimiliter reciprocantur: ut ſi quis dicat, hominem cõtingere equum non eſſe, aut album nulli indumento ineſſe. Ex ijs enim alterum neceſſariò non ineſt, alterum non neceſſariò non ineſt, & pari modo propoſitio reciprocatur. Nam ſi nulli homini ineſſe equum contingit, homo quoq; nulli equo ineſſe poterit: at ſi album contingit nulli tunicæ, & tunica nulli albo continget. Si enim alicui ineſſe neceſſe ſit, album quoq; alicui tunicæ neceſſariò inerit. Hoc ſanè prius demonſtratum eſt, eodem etiam modo in particulari negante.

QVOMODO in propoſitionibus extantibus, neceſſariisq; aientes, & negantes propoſitiones conuertantur, cùm reſerauerit, nunc de Contingentibus eſt uerba facturus, quo uidelicet pacto in illis fiat reciprocatio. Contingens multa ſignificat: Nam propriè contingens, neceſſarium quod extat, & quod fieri poteſt ſignificat. Quippe cùm id quod fieri poſsit, illud etiam contingat: quodq; contingat, fieri poſsit: idq; quoniam ſi quempiam lauari contingit, fieri poteſt ut lauetur.

In aientibus. Ideſt, in omni, & aliquo, uno eodemq; modo conuerſiones in omnibus contingentis ſignificationibus fiunt. Omnis, enim & Aliquis, in particularem conuertuntur: ſignificat autem ſe, & ſi in omnibus contingentis ſignificationibus aientes eadem ratione in affirmantem particularem conuertuntur, tamen duarum contingentis ſignificationum, eius uidelicet, quod ineſt, & neceſſarii demonſtrationes feciſſe, cùm miſcuerit hanc Omnis, & hanc Aliquis, ut breuitati addictus, propterea quod utræq; demonſtrationem eandem habent. Si A omni uel alicui B contingit, ineſt, ſiue contingere pro eo, quod ineſt, ſiue pro neceſſario capiatur, continget etiam ut B alicui A inſit. etenim ſi B alicui A non ineſt, ſed nulli & nullus in ſe reciprocatur, erit A nulli B. Nam prius demonſtratum eſt, hanc, Nullus, in propoſitionibus neceſſariis, & in exiſtentibus in ſeſe conuerti. In negantibus autem propoſitionibus, uidelicet in Nullus, & Non omnis, in omnibus contingentis ſignificationibus, non eodem modo conuertuntur. Cùm diceret,

Neceſſa

Neceſſario non ineſt,nobis indicauit illud Neceſſe eſt oulli ineſſe : cùm uerò adderet,Non neceſſario non ineſt,hoc referauit,quod nulli ineſt.Quæcunq; igitur contingentis ſignificationes dicuntur, uel pro neceſſario noo ineſt,uel non neceſſario ineſt(hoc eſt contingens, quod neceſſarium, quodq́; exiſtens ſignificat) hanc Nullus, in ſeſe reciprocatam habebunt. Huius enim Nulli neceſſario ineſſe,hoc exemplum eſt, Contingit hominem equm non eſſe, id eſt nulli equo ineſſe. hoc enim loco, Contingit, neceſſarium ſignificat. Atq; Nulli ineſſe, & uniuerſalis aiens propoſitio eadem ratione in ſeipſam conuertetur in eo contingenti, quod neceſſarium,& exiſtens ſignificat.

Poterit.Hoc eſt,continget.

Eodem etiam modo in particulari negante. Videlicet Non omnis indefinita in contingenti ſignificante neceſſarium & quod ineſt,ſpectabitur.

Quæcunq; uerò ita contingere dicuntur, quòd plerunq; ſunt, & eis innatum eſt, ut eſſe poſſint, quo uidelicet modo Contingens definimus, ea in conuerſionibus negantibus ita ſe non habent,ſed uniuerſalis quidem priuans,cùm minime reciprocetur,particularis conuertitur:atq; hoc perſpicuũ fiet,cùm de contingenti diſſeremus. Tantum nunc præter ea,quæ dicta ſunt,nobis cognitum ſit, Contingere aut nulli, aut alicui non ineſſe affirmantem habere figuram, propterea quòd Contingit eodem modo collocatur, quemadmodum Eſt.ſed Eſt ijs, quibus appoſitum dicitur,affirmationem ſemper, atq; omnino facit : ut cùm dicimus, Eſt non bonum, uel eſt non album,uel abſolutè Eſt non hoc. Sed hoc quoq; ex ſequentibus declarabitur. In reciprocationibus uerò conſimili modo,ut aliæ,ſeſe habebunt.

CONTINGENS propriè in tria diuiditur:In id quod æqualiter contingit:ut,Socratem lauari cootingit,& noo lauari:deambulare & non deambulare:ex æquo enim Contingens dicitur,propterea quòd fieri poteſt,ut affirmatio non magis uera ſit,quàm negatio,uel contra. In id quod raro cõtingit:ut,Socratem in theſaurum incidere,dum in forum proficiſcitur:in quo utplurimum negatio uera eſt, & quandoq; affirmatio.In id demum,quod plerunq; contingit,in quo natura & ars oerſantur.utplurimum enim natura hominẽ quinq; digitos habentem producit:quandoq; etiam non facit. Medicus quoq; utplurimum ualetudinem reſtituit,& nonnunquam uoti compos noo fit : Orator etiã perſuadet,& in hyeme pluit,& gubernator in tempeſtate nauem ſeruat. Ratiocinationum igitur doctrina io contingenti utplurimum uerſatur.Illud autem, quod ex æquo contingit, inutile eſt uiæ ratiocinandi, nam qualis nam affirmatio, aut negatio demonſtraretur?Contingens item,quod ut raro euenit,nulli uſui ratiocinationibus eſt.quiſnam doctus aggrederetur unquam illud,quod raro fit,in ratiocinationem adducere,ac demonſtrare?

Quæcunq;. per hanc dictionem contingens, quod plerunque euenit, ſignificauit, quod ut clarius declararer, addidit, Innatum eſt. id eſt,in quo narura uerſatur, Quo uidelicet modo. Id eſt,per quàm ſignificationem propriè contingens in priuaotibus reciprocationibus uniuerſalibus & particularibus dicimus, ac definimus, æquè ac in aliis contingentis ſignificationibus reciprocari. In illis ſignificationibus Nullus, in ſeſe conuertitur, at in proprie contingenti, hoc eſt in eo, quod plerunq; contingit, propoſitio uniuerſalis priuans oon in ſe,ſed in particularem aientem,uidelicet Aliquis, tranſmutatur. Nam ſi ambulare contingit nulli homini ineſſe, hominem ineſſe cuidam ambulanti non continget. Illa enim falſa eſt, quæ homioem nulli ambulanti ineſſe inquit. Ea ſanè, quæ non ambulant, ſunt lapides, plantæ. Sed quædam etiam animalia ſunt,quæ par eſt quieſcere,à quibus homo non fortuitò, ſed oeceſſariò reiicitur, ac ſeparatur. Reciprocationem,ut dictum eſt, ueram eſſe oportet:& ſi lauari nulli homini ineſſe contingit, hominem cuidam lauanti ineſſe continget. Is ſanè, qui hominem contingere nulli lauanti ineſſe dixerit, mentietur:bruta enim noo lauantur,à quibus homo non fortuitò, ſed neceſsitate remouetur. Ex terminis igitur demonſtratum eſt, uniuerſalem oegantem in Aliquis conuerti : & hoc pacto hanc in Aliquis conuerſam demonſtrabis. quod nulli contingit, hoc omni ineſſe contingit. etenim ſi nulli homini lauari ineſſe continget,omni etiam continget:& Omnis in Aliquis conuertitur. Supereſt igitur, ut Nullus in Aliquis conuertatut. At,Non omnis, quæ eſt particularis priuans, in ſeipſam;& in hanc Aliquis conuertetur in propriè contingenti, in quo Aliquis,& Non omnis, idem ſignificant. Si enim album non omni animali ineſt,animal uel non omni albo, uel alicui inerit. Hanc autem, Nullus uidelicet in ſeipſam non reciprocari, ſed, ut inquis, in propriè contingenti in hanc Aliquis, tunc patebit, cùm de contingenti uerba faciemus,hoc eſt,in mixtionibus referabimus. Nunc tantum cognitum ſit,contingens aut nulli,aut alicui. Id eſt,Non omni,affirmantem habet figuram : nam Contingit in illis propoſitionibus locatum, quæ cum modo ſunt,pro Eſt,ponitur,& tanquam,Eſt,in quibus propoſitionibus iacet,niſi Non,negationem habeat, ſemper affirmationem facit. Semper, id eſt,in omni tempore. Omnino,in omni materia.

Eſt non bonum, uel eſt non album, eſt non hoc. Id eſt, Non iuſtus,& Non ſapiens, affirmationes ſunt:eodem etiam modo Contingit oulli,& Contingit non omni : propterea quòd in, Cootingit, ſi Noo, negatio nequaquam eſt,affirmationes ſunt.

Declarabitur,quomodo uidelicet affirmationes ſint. Ex ſequentibus. In illis ſcilicet quę in mixtionibus dicentur. ergo Cootingit nulli, & Contingit non omni ineſſe, æquè, ac aliæ conuertuntur, id eſt non ſecus, quàm Omnis, & Aliquis, quæ aientes propoſitiones ſunt. Nam ut illæ in hanc Aliquis, ita & hæ

Contingit nulli, & non omni ineſſe, in Aliquis,ut demonſtratum eſt, conuertentur. Si negantem propriè acceperis,in ſeſe conuertetur:etenim ſi hominem quendam uolare non contingit,non contingit etiã quidpiam uolans hominem eſſe : hæc enim, Non contingit aliquem hominem uolare,huic Neceſſario nullum hominem uolare, par eſt.Item , Non contingit omne animal ridendi facultatem habere , huic æqualis eſt, Non omne animal ridendi facultatem habeat,neceſſe eſt.

FIGVRA PRIMA.

CVM hæc ita diſtincta ſint,ex quibus,quando,& quomodo fiat omnis ratiocinatio, iam dicamus,poſtea de demonſtratione dicendum eſt.Ob eam enim cauſam prius de ratiocinatione uerba facimus, quàm de demonſtratione, quòd ratiocinatio ſit magis uniuerſalis. Demonſtratio enim eſt quædam ratiocinatio,at non omnis ratiocinatio demonſtratio eſt.

OMNIA,quæcunq; ad ratiocinationum uiam,& doctrinam pertinent,cùm docuerimus, quid uidelicet Propoſitio ſit,quid Terminus,quidq́; Ratiocinatio,& Reciprocatio : deinceps ex quibus ratiocinatio fiat,referabimus.Ea igitur non coniungetur ex paucioribus , quàm duabus propoſitionibus : ex una enim nunquam componeretur. Nam ipſum ratiocinationis nomen collectionem, compoſitionemq́; & propoſitionum coniunctionem ſignificat.

Quando. Demonſtrat non quouis modo propoſitiones coniungi , uerum duas , Maiorem inquam & Minorem uniuerſales eſſe aientes,ſeu Maiorem eſſe tantùm uniuerſalẽ negantem:quòd ſi duę uniuerſales negantes complicentur,uel Maior uniuerſalis affirmãs,& Minor negans uniuerſalis,ratiocinatio non fiet.

Et quomodo. Hoc demonſtrat ex termino medio induci, & coire extrema ad concluſionem efficiendam,qualem autem medium eſſe oporteat, in quacunq; figura declarabit. Quoniam à principio præfatus eſt,ſibi propoſitum eſſe,hoc in libro de Demõſtratione diſſerere:idq́; fieri non poteſt,propterea quòd ſimplex ratiocinatio tanquam genus demonſtratiuam ratiocinationem præcedit : eius gratia inquit de ratiocinatione ſimplici dicendum eſſe,deinde de demonſtratione:nam ratiocinatio ut genus in demõſtratiuam. dialecticam,& ſophiſticam diducitur. Et quemadmodum fieri non poteſt,ut quiſpiam bene ſcribere prius diſcat,quàm ſimpliciter,& quoquo modo ſcribere didicerit:eodem etiam modo non poteſt quis demõſtratiuè,& ex ſcientia ac ratione quid concludere,niſi prius ratiocinationis ſimpliciter cõfectæ doctrinam perceperit. Vt enim homo animal quoddam eſt,non tamen omne animal eſt homo:ſic & demonſtratio, quædam ratiocinatio eſt,omnis tamen ratiocinatio demonſtratio non eſt: contingit enim ut uel dialectica,uel ſophiſtica ratiocinatio ſit.

Cùm igitur tres termini ſic ſe inter ſe habuerit,ut poſtremus in toto medio ſit, & medius in toto primo uel ſit,uel non ſit,perfectam fieri extremorum ratiocinationem neceſſe eſt. Medium uoco,quod & ipſum in alio,aliudq́ in ipſo eſt,quod etiam collocatione medium eſt. Extrema uerò, & quod in alio eſt, & in quo aliud eſt : ſi enim A de omni B, & B de omni C dicitur, neceſſe eſt A de omni C enunciari.prius enim aperuimus,quomodo de omni dicamus.

ITA ſit, ut cùm tres terminos acceperis,ut A B C qui ſic ſe habeant,& extremus uidelicet C in toto medio ſit,id eſt,ut ſpecies & pars B ſit,& medius,id eſt B in toto A ſit,hoc eſt, ut ſpecies & pars ipſius A, uel non ſit,id eſt,ut B diuerſum ab A ſit,concluſionem eſſe extremorum inductionem,ratiocinationemq́; perfectam fieri neceſſe ſit,id eſt,quæ à ſe fidem habeat,nulliusq́; demonſtrationis indigeat.Mihi iis uerbis uidetur primæ figuræ modos , primum inquam & ſecundum conſtituiſſe , & perfeciſſe : nam cùm dixerit B in toto C eſſe, indicauit minorem propoſitionem ſemper uniuerſalem aientem eſſe debere : cùm uerò dixerit B in toto A eſſe,uel non eſſe,quærendam eſſę maiorem propoſitionem uel uniuerſalem aientem, uel uniuerſalem negantem docet.

Medium uoco, Voco inquit,quoniam ipſe & medio , & extremis nomen impoſuit. Medium in prima figura,eſt,quod in alio eſt,hoc eſt,quod à maiori termino continetur,quodq́; aliud complectitur, uidelicet quod minorem terminum,qui eſt C , qui continetur ab alio,ideſt à medio. Maius autem extremum, & terminum,dico A , in quo aliud id eſt medius terminus continetur.Primũ de primo modo, primaq́; figura docet , quæ ex duabus uniuerſalibus aientibus concluſionem Omni inducit. Terminorum loco ſumit elementa , quoniam ſi terminos accepiſſet , inſurgere quiſpiam potuiſſet , & dicere propter terminos captos Omni concluſionem fuiſſe illatam : nunc uerò cum aſſumat elementa. A B C libertatem dat eos, quos quis uoluerit,ex omni materia terminos accipiendi, & concluſionem inferendi. Nos pro A ſubſtantiam,pro B animal,pro C hominem accipiemus. Nam ſi ſubſtantia de omni animali , & animal de omni homine , concluſio Subſtantia omni homini ineſt , ex neceſſitate ab acceptis terminis inferetur. Superius autem de omni diximus eſſe , cùm nulla ſubiecti pars eſt , de qua terminus , qui enunciatur non dicatur: quare ſubſtantia de omni animali , igitur de omnibus animalis partibus dicitur. (animalis enim pars eſt homo) & deinceps neceſſe eſt,ſubſtantia de omni homine enuncietur. At ſi pro A acceperis lapidem,pro B animal,pro C hominem:Secundum modũ primæ figuræ feceris:nam ſi lapis nulli animali,& animal de omni homine,concludetur, Lapis nulli homini ineſt. In iis, quæ determinauimus, De nullo eſſe diximus, quãdo nulla eſt ſubiecti pars à qua terminus de ſubiecto dictus nõ remoueatur. Lapis uidelicet, propterea ꝙ nulli animali ineſt,ab omnibus animalis partibus procul abeſt:animalis pars homo eſt:de homine igitur

lapi

lapis non dicetur. Primus modus dicitur ratiocinatio, quæ Omni, concluſionē infert: illa uerò, quæ Nulli, ſecundus modus appellatur, quia, quoniã Omnis rem ineſſe inducat, præſtantior eſt, quã Nullus, uel ex eo, quod Nullus non ineſſe infert, uel ꝓpterea quòd Omnis propriũ eſt demonſtrationis: is enim qui demonſtrat, Omni concluſionē demõſtrare ſemper ſtudet: & ſi raro id facit, ſępenumero etiã Nulli demõſtrat. At dialecticæ propriũ eſt, ut Nulli inducat: quoniam dialectico curæ eſt, ut ea, quæ à diſſerente dicta ſunt, refellat, & cõfutet: ſed demõſtratio potior dialectica eſt. Ratiocinatio igitur, quę Omni cõcludit, præſtabilior, & prior eſt ea, quę Nulli infert. At ſi quiſpiam ſeſe huic rei opponat, dicatq;, Si ratiocinatio ex duabus propoſitionibus conflatur, duæ uerò propoſitiooes ex quatuor terminis coaleſcunt, quonam pacto tres termini in ratiocinatione accepti duas propoſitiones faciant? Dicemus, medium terminum bis ſumi. fit enim maioris propoſitions ſubiectus, minoris autem is, qui de ſubiecto enunciatur.

Eodem etiam pacto ſi A de nullo B, & B de omni C dicitur, A nulli C inerit. C uero primum omne mediũ, cõſequatur, medium uerò nulli poſtremo inſit, ratiocinatio extremorum non erit: nihil enim neceſſariũ accidit ex eo, quod hæc ſint. Nam & Omni, & Nulli, contingit, ut primum poſtremò inſit, quare nec particulare, nec uniuerſale neceſſarium fit: cumq; nihil ſit neceſſariũ, ex ijs nulla fiet ratiocinatio. Termini eius, qđ Omni ineſt ſunt Animal, Homo Equus: eius uerò, quod Nulli ineſt, Animal, Homo, Lapis. At cùm nec primũ medio, nec mediũ ulli poſtremo ineſt, neq; ſic ratiocinatio efficietur. Termini eius, ꝙ ineſt, ſunt Sciẽtia, Linea, Medicina: quod non ineſt, Scientia, Linea, Vnum. Cùm igitur termini ſint uniuerſales, patet in hac figura quando erit, & non erit ratiocinatio. Ac cùm ratiocinatio ſit, ſic ſe terminos habere prout diximus, neceſſe eſſe: atq; ſi ita ſe habeant, futuram eſſe ratiocinationem perſpicuum eſt.

SI A omni B aſſumas, B autem nulli C ratiocinatio extremorũ non conficietur: id eſt, concluſio neceſſaria non ex eo inducetur, quòd hæc ſint, uidelicet ab acceptis propoſitionibus, neq; medius terminus in cauſa erit, ut extrema copulentur, hoc eſt, ut concluſio inferatur: perinde, ac in propria ratiocinatione fit: ſed per extremorum reſpectum quandoq; Omni, quandoq; Nulli concludentur. Nam niſi minor terminus à termino maiori capiatur, concluſio Omni inferetur: at ſi aliter, Nulli. In propria uerò ratiocinatione concluſio determinara, uel Omni, ſolum, uel Nulli, uel Alicui, uel Non omni inducitur: in illa uerò, quæ inutilis eſt, atq; artis expers, & Omni, & Nulli induci poteſt. Ex quo fiet, ut altera alteri perniciem ferat, ſicq; reliquæ deinceps, quæ ſub huiuſmodi continentur. Nam ſi Omnis hanc Aliquis continet, & Nullus, hanc Non omnis, item ex Omnis inductione Nullus, & Non omnis auferuntur. Siq; Nullus inferatur, Omnis & Aliquis auferentur, quod in cauſa eſt, ut concluſio neq; neceſſaria, neq; particularis, aut uniuerſalis inferatur. Poſtea uerò quàm nulla concluſio ex iis neceſſatio inducitur, à terminis inquam, propoſitionibus ue, quæ captæ ſint, nulla ratiocinatio eſt.

Termini eius, quod omni ineſt. Ideſt, ex quibus Omni infertur, Animal, Homo, Equus: Nulli uerò, Animal, Homo, Lapis. Nec etiam cum A B propoſitio Nulli eſt, ſimiliterq; B C Nulli eſt, ratiocinatio fit. Termini quod inſit, per quos Omni inducitur, ſunt Scientia, Linea Medicina: quod ooo inſit, ex quibus Nulli infertur, Scientia, Linea, Vnum.

Cùm igitur termini uniuerſales ſint. Ideſt cùm A uniuerſe de B dicitur, & A uniuerſe de C dicetur: duabusq; propoſitionibus uniuerſalibus acceptis manifeſtò apparet, quando erit, & non erit ratiocinatio in hac prima figura. Duæ autem uniuerſales aientes ſi capiantur, fit ratiocinatio: ſiq; maior propoſitio A B uniuerſalis negans capiatur, & minor uniuerſalis aiens ſit, ratiocinatio non minus fiet. At ſi A B, & B C negantes ſumptæ fuerint, uel A B, aiens, & B C negans, ratiocinatio non erit.

Ac cũ ratiocinatio ſit. hoc eſt, ſi ratiocinatio futura eſt, termini ſic ſe habeant, neceſſe eſt, ut uel A de omni B, & B de omni C, uel A de nullo B, & B de omni C dicatur: erit ratiocinatio, modo ita termini capiãtur.

At ſi terminorum alter uniuerſalis, alter particularis ad alterum adiungatur, cùm uniuerſalis ad maiorem extremitatem uel enunciantem, uel priuantem, & particularis ad minorem aientem ponatur, ratiocinationem eſſe perfectam neceſſe eſt.

QVOMODO ex duabus uniuerſalibus, aientibus, & quando ab una aienti uniuerſali ratiocinatio fiat, cùm diſſeruerit: docet ounc, quomodo fiat ratiocinatio. Cùm igitur altera propoſitio uniuerſalis capitur, & altera particularis, ratiocinatio fit. Si maior, inquit, terminus uniuerſe de medio dicatur, ſeu aiat, ſeu neget, & medius de alio in parte enuncietur, hoc eſt in parte affirmando, tunc erit ratiocinatio.

Cùm uniuerſalis. Hoc eſt, quando determinatio uniuerſalis aiens, alteraq; particularis in minore propoſitione ponatur, ratiocinatio fiet. Rurſus, ſi maior propoſitio uniuerſalis negãs ſit, minor uerò particularis aiens, uel uniuerſalis aiẽs, perfecta ratiocinatio conficietur. Perfectã appello, quæ pro firmanda concluſione illata nulla indiget demonſtratione, uel confirmatione. Si uero quiſpiam in mediũ ueniens dicat, Imperfectas dici ab Atiſtotele ratiocinationes particulares in prima figura, tanquã per deductionē ad id quod fieri nequit, perficiantur. Sciat hanc perfectam uocari, quoniam primæ figuræ perfectam ſpeciem conſeruat: & in particularibus medius terminus per deſcriptionem inter extrema medius collocatur.

Cùm uerò ad minorem ponitur, uel alio quodam modo termini ſe habeant, ratiocinatio fieri non poteſt. Maiorem dico extremitatem, in qua medium eſt: Minorem, quę ſub medio iacet. Inſit

enim A omni B & B alicui C, ergo ſi de omni enunciari eſt, quod initio dictum fuit, A alicui C inſit neceſſe eſt. Sicq; A nulli B inſit, & B alicui C, A non alicui C inſit neceſſe eſt. Determinatum enim eſt, quomodo De nullo dicamus. quare huiuſmodi ratiocinationem eſſe perfectam cenſeo. Similiter etiam ſi indefinitum ſit B, C, quod poſsit enunciari. Siue enim indefinitum, ſiue particulare ſumptum ſit, eadem erit ratiocinatio. Quòd ſi ad minorem extremitatem uniuerſale enuncians, uel priuans ponatur, ratiocinatio non erit, cùm particulare aiens, uel negans, uel indefinitum eſt: ut ſi A alicui B ineſt, uel non ineſt, & A omni C ineſt. Termini eius, quod ineſt, Bonum, Habitus, Prudentia: quod non ineſt, Bonum, Habitus, Imprudentia: præterea ſi B nulli C, & A alicui B ineſt, uel non ineſt, uel non omni ineſt, necq; ſic erit ratiocinatio. Termini eius, quod omni inſit, ſunt Album, Equus, Cygnus: eius quod nulli ineſt, Album, Equus, Coruus: ijsdem quocq; ſi A B indefinitum ſit.

QVANDO minori extremitati uniuerſalis apponatur, negando uidelicet, uel affirmãdo, maior propoſitio eſt aiens particularis.

Vel alio quodam modo termini ſe habeant. Hoc eſt, uel A B eſt non omnis, B autem & C omnis, uel nullus, uel A B eſt aliquis, & B C eſt aliquis, uel utriq; non omnis, non fit ratiocinatio: & maior extremitas eſt A, quæ partem uidelicet B continet: & minor extremitas eſt C, quæ à medio continetur. Tertius primæ figuræ modus fit, cum A de omni B, & B de quodã C dicitur, ac concluſio A alicui C ineſt, infertur: ut, Animal omni homini, homo cuidam animato, animal igitur cuidã animato attribuitur. Illata uerò ob id eſt Alicui, ſeu cuidam concluſio, quoniam plantæ quoq; ſunt animatæ, & homo præterea, atq; equus. Igitur quoniam animal de omni homine dicitur, homo autẽ uniuerſum animatum non comprehendit, ſed eius partem tantum, ueluti Socratem, & Platonem ſingillatim, propterea animal de quodã animato, Socrate inquã, atq; Platone enũciatur. Hic modus tertium locum ſortitur, quòd concluſionẽ Aliquis, inducit. quodq́; ſecũdo modo, in quo nullus inducitur, inferior eſt, quatenus ille uniuerſalẽ, hic particularem concluſionem infert. Scitu dignũ eſt, atq; animaduertẽdum, cõcluſionẽ ſequi deteriorem propoſitionẽ. cùm igitur in ſecundo modo Nullus inducta fuerit, ſtatim in tertio Aliquis ut deterior fuit illata.

Si A nulli B ineſt, & B alicui C, neceſſe eſt A alicui C non ineſſe. hoc eſt non omni C. Hic primæ figuræ quartus eſt modus, propterea quòd Non omni concludit, quia eo quod non ineſſe ſignificat, deterior eſt, quàm Aliquis, qui in tertio modo illatus eſt. Ratiocinationem particularem, quæ ex Omnis & Aliquis, uel quæ ex Nullus, & Aliquis coaleſcit, perfectam fieri ſciendum eſt eo modo, quo dictum eſt nobis, quatenus inquam primæ figuræ formam ſeruat: at ſi huiuſmodi ratiocinationes imperfectas feceris, dixeriſq; per deductionem ad id quod fieri nequit, eas perfici, poteris etiam eaſdem eſſe perfectas affirmare ex definitione, De omni, & De nullo. Nam ſi A de omni B eſt, & B non totum C continet, ſed illius partem, propterea A alicui C infertur, ut pote quod de ipſius C parte dicatur, de quo B quoq; enuncietur. Ex quo fit, ut hæc etiam ratiocinatio perfecta ſit, quæq; in ipſa infertur concluſio non indigeat demonſtratione. Similiter ſi A de nullo B, & B non totum C, ſed illius partem comprehendit, merito A à C in parte, hoc eſt non omni remouetur, quæ hæc ratiocinatio firmam concullſionem, nec demonſtrationis egentem ſortirur, Ariſtoteles quaſi in extremo trium figurarum eaſdem ad ſecundum primę figuræ modum reducit, ipſarumq; concluſiones firmas, & fide dignas ex deductione ad id, quod fieri nequit, demonſtrat: quod in fine trium figurarum edoceberis.

Determinatũ enim eſt, quomodo de nullo dicamus. Rationis cõpos nulli rationis experti, rationis expers alicui animali, rationis igitur cõpos nõ omni animali. Hoc in loco animal à rationis experte nõ totũ cõtinetur, quoniã homo animal eſt, nõ tamẽ rationis expers: ex eo, ꝙ rationis expers uniuerſum animal nõ cõplectitur, cõcluſio rationale nõ omni animali illata fuit, in qua deteriorem propoſitionẽ concluſio ſequitur. Nam aliquis ut aiens deterior non eſt, ſed tanquã particularis deterior uniuerſali eſt. hæc Nullus, ut uniuerſalis non peior eſt, uerũ ut non ineſſe inducit. quod fuit in cauſa, ut cõcluſio Non omni fuerit inducta, quam habuit particularem à minore propoſitione: at à maiore illam nacta eſt, ut priuationem inducat.

Quare ratiocinatio perfecta erit. Perfectam intelliges, ut ſoperius dictum eſt nobis.

Similiter etiam ſi indefinitum ſit B C, erit ratiocinatio. Id eſt, cui aliquis non apponatur, ſed tantummodo ſumatur, quod poſsit enunciari, quod ſanè indeterminatum accipitur, ſi ita dicatur, B ineſt C, quod idem eſt, ac B alicui C ineſt. Nam propoſitiones indeterminatę particularibus æquales ſunt, ſi dixeris B ineſt .C, tunc B nõ omni C ineſſe dixeris. Vnde eadẽ fiet ratiocinatio, ſi particularẽ, uidelicet Aliqs accipias, dicaſq́; B alicui C ineſſe: & ſi B C indeterminatũ & ſeiunctum ab Aliquis proferas, ut B ineſt C.

Si uero ad minorẽ extremitatẽ uniuerſale ponatur. Minor extremitas eſt C, & quoniã ſubiectum minoris ꝓpoſitionis ſit, minorẽ extremitatẽ pro minore ꝓpoſitione intelliges: adeo, ut A maior extremitas de minore dicatur propoſitione, contra etiã per maiorem extremitatem propoſitio maior intelligenda eſt. Si igitur minor propoſitio uniuerſalis aiens, uel priuans, maior autẽ aiens particularis ſeu negans, indeterminata'ue fuerit, inutilis ratiocinatio componetur. Vt ſi A alicui B ineſt, uel non ineſt. hoc eſt, non omni B, & B omni C ineſt, uel non ineſt. hoc eſt nulli C. inutilis etiã fiet ratiocinatio. Præterea ſi B nulli C ineſt, & A alicui B ineſt, uel non ineſt. Hoc eſt, non alicui B, uel non omni, non erit ratiocinatio. De Non alicui, & Non omni in principio trium figurarum copioſe, & abundanter locuti ſumus.

Neq;

Neque ſi ad maiorem extremitatem uniuerſale priuans, ſeu quod enuncietur, ad minorem uerò particulare priuans poſitum ſit, ratiocinatio fiet ſiue indefinitum, ſiue particulare ſumptum ſit: uelut ſi A omni B inſit, alicui C non inſit. Cui enim cunq; alicui medium non ineſt, hoc omne, & nullum primum ſequetur. Ponantur termini Animal Homo, Album: deinde ea alba ſumantur, de quibus homo non dicitur Olor, & Nix: ergo animal de altero omni, de altero nullo dicetur, quare nulla erit ratiocinatio. A item nulli B inſit, & B alicui C non inſit, & ſint termini Inanimatum, Homo, Album: alba dein ſumantur, de quibus homo non dicitur Olor, & Nix. nam inanimatum de altero de omni, de altero de nullo dicetur. Præterea quoniam hæc propoſitio Alicui C, B non ineſſe, indefinita eſt, uerum dicet ſiue nulli, ſiue non omni inſit, propterea quòd alicui non ineſt: ſumptis enim his terminis, ueluti quod nulli inſit, non fit ratiocinatio: hoc enim dictum eſt prius. Igitur perſpicuum eſt, ex eo, quod ita termini ſe habent, ratiocinationem non eſſe. etenim in his etiam eſſet.

NEQVE inquit, cùm ad maiorem extremitatem uniuerſale, ſeu quod poſsit enunciari, ſeu priuans ſit: hoc eſt, neq; quando maior propoſitio uniuerſalis aiens, uel priuans ſit, ratiocinatio fiet. Ad minorem uero, ideſt, ſi minor propoſitio eſt particularis priuans, ratiocinatio non eſt: ſi inquam B C indefinitè, & in parte capiantur, uel eadem minor propoſitio ſumatur indefinita. Cum diceret B non ineſſe C, uel non alicui, idem ſignificauit, ac ſi dixiſſet, B non omni C ineſſe. Propoſitionibus enim ita acceptis fit tertium, cui alicui medium ineſt, hoc eſt B alicui, uidelicet non omni ineſt. Hoc primum, hoc eſt A. Omne & nullum ſequetur. Omne ſcilicet & nullum poteris inducere. Cùm dixerit ratiocinationem non fieri, ſi B ineſt non omni C, & A omni uel nulli B, deinde quærit, Num hæc, Non omnis, quæ per ſeipſam in materia fortuito antegreſſa, quam contigentem uocant, quando huic, Aliquis, par eſt, & æqualis, uera ſit. Dicendo enim, Album non omni homini: idem eſt, perinde ac ſi dicatur, Album alicui homini ineſt. In materia uerò, quæ fieri non poteſt, hæc, Non omnis, huic, Nullus, par eſt: & per hanc, Nullus, uera reperitur. Si dicatur, A latum non omni homini: idem eſt, atq; A latum nulli homini. Si propoſitionem B C, hoc eſt minorem Non omni, & terminos à materia contingenti capias, in quibus Non omnis, eadem eſt, atque Aliquis, erit ratiocinatio. At ſi B C non omni, & terminos ab ea materia, quæ fieri nequit, accipias, in quibus Non omnis, idem ualet, ac Nullus, fieri inquit ratiocinationem. Præterea cùm ait, B non alicui, id eſt non omni C ineſt, indeterminatum eſt: etenim hæc Non omnis, uera ſit.

Etſi nulli ineſt. Hoc eſt, non omnis in materia, quæ fieri nequit huius, Nullus inquam, beneficio uerum dicet.

Etſi non omni, quoniam alicui non ineſt. Non omnis, uidelicet in contingenti materia per ſeſe uera fiet: quoniam huic, Aliquis, par eſt. At ſi terminos in ſecundo, & tertio ſumes in materia, quæ fieri nequit, adeo, ut Non omni ineſſe, huic Nulli ineſſe, æqualis ſit, ratiocinatio non conſtabit. Diximus enim pauloante id ipſum, cum ratiocinationes uniuerſales tractaremus.

In quo termini ita ſe habeant. Hoc eſt, propoſitiones. ut autem maior eſt, A B ſi omni, uel nulli, B, C autē nulli ratiocinatio non efficitur. Si enim ab illis ratiocinationibus uniuerſalibus ratiocinatio ab Omni & Nullo, uel à Nullo & Nullo fiebat, eſſet utiq; in huiuſmodi ratiocinationibus particularibus ratiocinatio, cùm maior propoſitio uniuerſalis aiens, minor autem particularis negans, quæ huic, Nullus, æqualis ſit, acciperetur.

Similiter autē demonſtrabitur, ſi uniuerſale priuās poſitū ſit: neq; enim ſi ambo interualla particularia dicantur uel affirmādo, uel negādo, aut unū enunciando, alterū priuādo, aut hoc indefinitū, illud definitū ſit, uel utraq; indefinita, ratiocinatio ullo pacto fiet. Termini omniū cōmunes ſunt, Animal, Albū, Equus, Animal, Albū, Lapis. Ex ijs igitur, quæ dicta ſunt, patet, ſi rōcinatio in hac figura paticularis fiat, neceſſe eſſe terminos ita ſe habere, ut diximus, ſicq; ita termini ſe habuerint, effici neceſſariò ratiocinationē: aliter uerò ſi habeant, nullā fieri. Perſpicuum etiam eſt omnes ratiocinationes, quę hac in figura cōponuntur, perfectas eſſe. Omnes enim ex ijs, quę à principio ſumpta ſunt, perficiuntur. Omnes item quæſtiones per hanc figurā demonſtrari patet. nam & quod omni, & nulli, & alicui, & non alicui inſit. Hanc autem figuram primam uoco.

RATIOCINATIONEM non fieri, ſi maior propoſitio Omni, & minor Non omni, quę nulli æqualis ſit, accipiatur, cùm demonſtrauerit: nunc docet, ſi maior propoſitio uniuerſalis priuās, & minor Non omni par huic, Nullus, aſſumatur, non eſſe ratiocinationem. Interualla appellat propoſitiones, Geometras imitatus: nam ut Geometræ puncta tanquam ſimplicia, & quæ partiri nequeant, Terminos uocant, lineā autem, quæ longitudinē habet, punctisq; duobus terminatur, Interuallum nominant, triangulū uerò, & quadratum, cæteraſq; figuras, quæ ex lineis fiunt Figuras dicūt: ita hoc etiam in loco Philoſophus quod ſubiicitur, quodq; de ſubiecto enunciatur, Terminos appellat, propoſitiones autē à terminis conflatas, & terminatas, Interualla nuncupat: ratiocinationibus demum ex propoſitionibus cōpactis Figurarum nomen attribuit: tanquā ſi ratiocinatio ſingillatim in huiuſcemodi figura perficiatur.

Sic ſe termini habeant. Id eſt propoſitiones, maior inquam uniuerſalis aiens, uel negans eſſe debet, & minor particularis aiens: quod ſi fortè fortuna particularis negans capiatur, in hac prima figura ratiocinatio non fiet: erit tamen in ſecunda, etiam ſi minor particularis negans fuerit. Et hoc fuit in cauſa, cur

dixe

dixerit,In hac figura. Ratiocinationes,quæ in prima figura fiunt, perfectæ ſunt, omnes enim per propoſitiones à principio ſumptas perficiuntur, neq; aliis exterioribus propoſitionibus indigent pro concluſionis firmitate: nam ſi definitionem De omni, & De nullo,accipias,concluſionem demonſtrabis. Non ignorãdum etiam eſt, Ariſtotelem eas,quas hic perfectas dicit,ratiocinationes in fine trium figurarum imperfectas eſſe demonſtraturum.Quæſtiones Vocat Omni,Nulli,Alicui,& Non omni:primus enim modus Omni,ſecundus Nulli,tertius Alicui,quartus Non omni concludit.

SECVNDA FIGVRA.

CVM idem omni, & nulli, uel utriq; omni, & nulli ineſt, huiuſmodi figuram ſecundam appello.Medium in eadem dico,quod de utriſq; enũciatur,Extremitates uerò, de quibus medium dicitur:Maioremq; extremitatem uoco,quæ medio adhæret:Minorem,quæ à medio longius abeſt. Medium autem extra extremitates collocatur, ſed tamen primum diſpoſitione eſt, perfecta tamen ratiocinatio hac in figura non eſt:poterit autẽ eſſe ratiocinatio, ſi extremitates uniuerſales,& non uniuerſales, ſint,ſi uniuerſales termini ſint, erit ratiocinatio,cùm medium huic Omni,illi uero Nulli ineſt:etſi ad utrumlibet priuans cõſtituatur,ſecus uero,nullo modo fit. M enim de nullo N, & de omni O dicatur. quoniã igitur priuans conuertitur, N nulli M inerit: at M omni O ineſſe ponebatur, quare N nulli O inerit:hoc enim prius demonſtratũ eſt. Si præterea M omni N & nulli O inſit,neq; N ulli O inerit. Nam ſi M nulli O, neq; O ulli M inerit: at M omni N inerat, quare O nulli N inerit: effecta eſt enim rurſus prima figura: ſed propterea quòd priuans reciprocatur,neq; N ulli O inerit:eadẽ igitur erit ratiocinatio. Hæc etiam ad id,quod fieri nequit deducendo poſſunt demonſtrari.

SI medius terminus à maiori termino continetur,minoréq; comprehendit,quando proprie medius dicitur atq; extremitatum concurſus,& coitionis,hoc eſt concluſionis eſt cauſa,primam figuram fieri cõſtat.

Cum idem: id eſt medius de Omni de una extremitate dicitur, de nullo uero de altera, iis uerbis indicauit nobis ratiocinatiuas ratiocinationes,quæ in ſecunda figura fiunt. In ſecunda enim figura tunc fiunt ratiocinationes, cùm duæ propoſitiones diſsimiles capiuntur: id eſt altera Omni, altera Nulli, ſiue in minori,ſiue in maiori propoſitione Nulli ponatur. Vel cùm medius de utriſq; dicitur extremitatibus, id eſt de duabus extremitatibus de Omni, uel de Nullo. Inutiles ratiocinationes hoc loco oſtendit: nam ſi duæ propoſitiones ſimilis formæ ſumantur, uidelicet Omnis, Omnis:uel,Nullus, Nullus: ratiocinatio non fit: medium inquit de utriſq; extremitatibus enunciari. Extremitates uocat ſubiecta, de quibus huiuſmodi medium dicitur, N inquam,& O.

Maiorem extremitatem uoco,quæ medio adhæret.Id eſt,quę medio proxima eſt,quæ ſcilicet medii proprium habet.Medii proprium in ſecunda figura eſt,ut bis enuncietur. quoniam enim N in cõcluſione de O dictum inuenietur,proxime ad medium dicetur accedere.

Minorem,quæ à medio longius abſit. Videlicet,quæ ſemper ſubiciatur.

Medium autem extra extremitates.Hoc eſt,ſupra extremitates,& in eminentiori,ac ſublimiori loco poſitum, & conſtitutum, quàm extremitates ſint, quæ tamen per diſpoſitionem, & deſcriptionem primæ ſunt.In hac figura perfectam non eſſe ratiocinationem ſciri uolumus. attamen per conuerſionem perfici poteſt,atq; abſolui.

Si termini uniuerſales ſint, uidelicet ſi duæ propoſitiones uniuerſales capiantur, tunc uniuerſalis inducitur concluſio: at ſi non uniuerſales aſſumantur, ſed una uniuerſalis altera particularis, concluſio tunc particularis,æq; ac in particularibus ratiocinationibus infertur.

Et ſi ad utrumlibet priuans conſtituatur.Si,inquit,maior ſit Nulli,& minor Omni,uel contra. Primum enim exponit ratiocinationẽ ab Nullo & Omni, quam propterea quod per unam cõuerſionem perficitur,primũ modũ uocat:Deinde inquit,ſi M hoc eſt animal,de nullo N, id eſt lapide,& de omni O, hoc eſt homine dicitur,hæc concluſio, Lapis nulli homini ineſt,inferetur. Si uerò quiſpiam diceret, quã ob cauſam hęc concluſio illata ſit,reciprocatione ita erit utendum. Si animal nulli lapidi,lapis igitur nulli animali. Nullus enim in ſeſe reciprocatur,animal omni homini, lapis igitur nulli homini. Rurſus per conuerſionem ſecundus modus primæ figuræ fieri poteſt.recte autem deducendo ad id, quod fieri nequit, demonſtrabitur.nam ſi mentitur is, qui ab hac Nullus, concluſionem omnis inducit, uidelicet lapis nulli homini, in illis autem, quæ repugnanter opponuntur,cùm negatio falſa ſit, uera erit affirmatio: uerum igitur erit oppoſitum, lapis uidelicet alicui homini ineſt. Propoſitio autem uera Animal nulli lapidi capta eſt, & quartus primæ figuræ modus Animal non omni homini, emerſit, ſed omni etiam homini ponebatur. Ex quonam igitur concluſio impoſsibilis, quæ infert animal & omni, & non omni homini ineſſe fuit illata, niſi omnino ab una duarum propoſitionum? Sed ſi una propoſitio Animal nulli lapidi,uera eſt,ex ueræ ſubiectione quicquam, quod fieri nequeat, non infertur. Reſtat igitur, ut id ex oratione illius, qui repugnabat, & lapidem alicui homini ineſſe ſtatuebat, inducatur. Quod cùm ita ſit, illa oratio, qua lapidem alicui homini ineſſe dicebatur, falſa erit. At contrà illam, quæ lapidem nulli homini ineſſe concludebat, ueram eſſe cenſemus. Deductio igitur ad id, quod fieri nequit, tunc fit, cùm oppoſitum

illatæ

illatæ concluſioni, unamq́; ex propoſitionibus poſitis accipimus, oppoſitumq́; illi, quæ uera eſt, inferimus. hoc enim prius fuit demonſtratum, ex nullo ſcilicet atq; omni in prima figura Nulli induci.

Si præterea M. Si animal inquit de omni N, id eſt homine, & de nullo O hoc eſt lapide dicitur, concludetur, Homo nulli lapidi ineſt. Hæc ratiocinatio eſt ſecundus modus ſecundæ figuræ, eo quòd per duas conuerſiones perficiatur. Qui uoluerit conuerſionem facere, hanc Omnis, cōuertere non poterit, quoniam ea in particularem aientem cōuerteretur, & nulla ratiocinatio fit, quæ maiorem particularem minoremq́; uniuerſalem habeat: minor igitur eſt conuertenda, ut ſic dicatur, Si animal nulli lapidi, & lapis nulli animali, animal omni homini, lapis igitur nulli homini. Sed quoniam lapidē nulli homini ineſſe nequaquam demonſtrandum proponitur, concluſionem conuertere poſſumus, & dicere, Si lapis nulli homini inſit, ex conuerſione, homo nulli lapidi ineſt, inducetur: nam Nullus in ſeſe reciprocatur. Ex quo fit, ut eadem ratiocinatio, hoc eſt ſecundus modus primæ figuræ per conuerſionem euaſerit. Demonſtratur etiam per deductionem ad id, quod fieri nequit hoc pacto: Si concludens Hominem nulli lapidi ineſſe, mentitur: uerùm dicet is, qui Hominem alicui lapidi ineſſe affirmabit. In repugnantibus enim uel affirmatio, uel negatio uera eſt. Ponitur etiam Animal omni homini, & tertius primæ figuræ modus fit, in quo Animal alicui ineſſe lapidi inducitur, ſed erat etiam nulli lapidi. Vnde igitur illud, quod fieri nō poteſt, Animal inquam alicui, & nulli lapidi ineſſe, illatum eſt, niſi ab una duarum propoſitionum inferatur? Sed altera quæ ait, Animal omni homini, uera eſt: ſupereſt igitur, tuam ſubiectionem falſam eſſe, uidelicet Homo alicui lapidi: nam ex ea inductum id eſt, quid fieri non poteſt: cumq́; ex ſubiectione tua illud illatum fuerit, uerum erit, ſi dicatur, Animal nulli lapidi ineſt.

Et hæc poſſunt demonſtrari. Id eſt primus & ſecundus modus primæ figuræ. ad id, quod fieri nequit deducendo: hoc eſt, per deductionem ad id, quod fieri nequaquam poteſt.

Ergo ratiocinationem fieri terminis ita ſeſe habentibus perſpicuum eſt, non tamen perfectam Nō enim ab ijs ſolùm, quę ab initio poſita ſunt, ſed ex alijs neceſsitas perficiatur oportet: Si enim M de omni & N, & O, dicatur, ratiocinatio non erit. Termini quòd inſit, Subſtantia, Animal, Homo: quòd non inſit, Subſtantia, Animal, Numerus. Medium eſt Subſtātia. Neq; cum M nec de nullo N, & de nullo O enunciatur. Termini quòd inſit, Linea, Animal, Homo: quod non inſit, Linea, Animal, Lapis. Patet igitur, ſi ratiocinatio ex terminis ſit uniuerſalibus, neceſſe eſſe, terminos ſic ſe habere, ut in principio diximus. Aliter enim ſi ſe habuerint, concluſio neceſſaria non efficietur, quod ſi medium ad alterum uiuerſè ſit, quando ad maiorem uniuerſè uel affirmando, uel negando, ad minorem uerò particulare uniuerſali ex oppoſito adiacet. Dico autem, Ex oppoſito, ſi uniuerſale ſit priuans, & particulare aiens, cùm uniuerſale poſsit enunciari, particulare priuans ſit, ratiocinationem priuantem particularem fieri neceſſe eſt. Nam ſi M nulli N, & O alicui inſit, neceſſe erit N alicui O non ineſſe. Enimuero quoniam priuans reciprocatur, N nulli M inerit, M uero alicui O ineſſe ponebatur: quare N alicui O non inerit, fit enim ratiocinatio ex prima figura. Præterea ſi N omni M, & alicui O non ineſt, neceſſe eſt N alicui O non ineſſe: nam ſi O omni N ineſt, dicitur autem & M de omni N, M omni O inſit neceſſe eſt: alicui ſanè non ineſſe ſtatuebatur. etſi M omni N & non omni O ineſt, erit ratiocinatio concludens, M non omni O ineſt. Demonſtratio uerò eſt eadem. Sin autem M de omni O, de q; non omni N dicatur, non erit ratiocinatio. Termini quod inſit, animal, ſubſtantia, coruus, quod non inſit, animal, album, coruus. Nec quando de O nullo, & de, N, aliquo dicitur. Termini quòd inſit, Animal, Subſtantia, Vnum: quòd non inſit, Animal, Subſtantia, Scientia. Cùm igitur uniuerſum parti ſit oppoſitum, quando erit, & non erit ratiocinatio, dictum eſt nobis. Quoties autem cunq; ſimiles propoſitiones ſunt, aut ſcilicet ambæ priuantes, aut ambæ aientes nullo modo ratiocinatio fiet. Sint enim priuantes primum, uniuerſaleq; ad maiorem extremitatem ponatur, ut M nulli N, alicui autem O non inſit, contingit N & omni, & nulli O ineſſe. Termini nulli ineſſe, Nigrum, Nix, Animal: Omni non ineſſe ſumere non ualemus. Siquidem M alicui O ineſt, & alicui non ineſt, nam ſi N omni O, & M nulli N, etiam M nulli O inerit: ſed poſitum erat, alicui ut ineſſet. Terminos igitur ſic aſſumere non licet: ſed ex indefinito demonſtrandum eſt: nam cùm uerum ſit, M non ineſſe alicui O, etſi nulli ineſt, cùm nulli inſit, non erit ratiocinatio: patet, quoniam neq; nunc erit. Si rurſus ambæ enunciantes ſint, & uniuerſale ſimiliter ponatur, ut M omni quidem N, alicui autem O inſit, contingit, ut N & omni, & nulli O inſit. Termini, quod nulli inſit, ſunt Album, Olor, Lapis: quòd omni inſit, propter eandem cauſam, quam ſupra diximus, ſumere non licebit, ſed erit ex indefinito demonſtrandum. Si uerò uniuerſale ad minorem extremitatem adiacet, & M nulli O, & N alicui non ineſt, contingit N & omni, & nulli O ineſſe. Termini quòd inſit, Album, Animal, Coruus, quòd non inſit, Album, Lapis, Coruus: eodem etiam modo ſi enunciantes propoſitiones fuerint. Termini quod non inſit, Album, Animal, Nix: quòd inſit, Album, Animal, Olor. Perſpicuum eſt igitur, ſi ſimiles propoſitiones ſint, & hæc uniuerſalis, illa particularis, nullo pacto fieri ratiocinationem poſſe. Sed nec ſi alicui, ſiue utriq; uel ineſt, uel non ineſt, uel huic quidem ineſt, illi uerò non ineſt, uel neutri omni, uel indefinite. Termini autem communes omnium Album, Animal, Homo: Album, Animal, Inanimum. Igitur ex prædictis patet, ſi ita, ut diximus, termini ſe habeant

beant inter ſe, neceſſario fieri ratiocinationem: & ſi ratiocinatio fiat, terminos ita ſe habere neceſſe eſſe. Quod cùm conſtet, perſpicuum debet eſſe, omnes etiam ratiocinationes, quæ in hac figura fiunt, eſſe imperfectas: omnes enim aſſumptis quibuſdam perficiuntur, quę uel in terminis ex neceſsitate inſunt, uel ut ſubiectiones ponuntur: quemadmodum cum ex eo, quod fieri nequit, demonſtramus. Deniq; aientem ratiocinationem nullam fieri in hac figura, ſed omnes priuantes tam uniuerſales, quàm particulares clarum eſt.

HOC itaq; modo Termini ſi capiantur, ut medius de omni de una extremitate, de altera uerò de nullo dicatur: hoc eſt, ſi duæ propoſitiones diſsimilis ſpeciei in ſecũda figura aſſumãtur, ratiocinatio perfecta non fiet. Perficiatur concluſio uidelicet neceſſaria perficitur. Non enim ex ijs ſolùm quæ initio ſumpta ſunt, ſed ex alijs. Hoc eſt, ex conuerſione, & deductione ad id, quid fieri nequit. His uerbis quod in principio trium figurarum dictum eſt, interpretabere. Illic enim, inquit, Imperfectam ratiocinationem uoco, quæ unius, plurium'ue eget. Non enim ſolùm intelligendum eſt, ut ſuperius declarauimus, ut inquam, unius, pro una conuerſione capiatur, & plurium pro duabus conuerſionibus: uerùm ita quoq; potes intelligere, ut cùm dicat Vnius, intelligas unius conuerſionis: Plurium'ue, intelligas duarum reciprocationum & deductionis ad id, quod fieri nequit pro ratiocinationis perfectione. Ariſtoteles Pythagoricorum opinionem ſecutus Subſtantiam de numero fecit enuntiari, & ſi numerus ſubſtantia non eſt, ſed quantum: & Pythagorei Subſtantias numeros eſſe dixerunt, Vnum autem imaginem figuræ, quæ ſubſtantia eſt, habere. Nam ut unum nec partiri, nec diuidi poteſt, ita & forma ipſa per ſe, nec partiri poteſt ſuapte natura, nec diuidi: quòd ſi diuidi, & partiri poſſe uideatur, id ipſum à materia conſequitur: eſt enim materiæ, non formæ diuidi, & partiri. Species enim eſt cuiuſq; definitio: Ignis quidem hæc, ſubſtantia calida, & ſicca: Aquæ uerò, humida, & frigida: Aëris calida, & humida: Terræ, frigida, & ſicca: Hominis, animal ratione utens, mortale. Duo imaginem materiæ habere dixerunt, nam & duo primus numerus eſt, & in duas diuiditur unitates atq; partitur. Omnis autem diuiſio, quæ in duo ſecatur, in infinitum procedit, ſic & materia, quæ ſubſtantia eſt, habet ut diuidatur, ac partiatur, eiuſq; proceſſus infinitus ſit. Tria dixerũt corporis, quod ſubſtantia eſt, imaginem habere: corpus enim in tria diuiditur, latitudinem, longitudinem, & altitudinem. Eſt igitur perſpicuum, ſi in ſecunda figura fieri debeat ratiocinatio ex terminis uniuerſalibus, hoc eſt, ut medium uniuerſe de utriſq; extremitatibus enuncietur, terminos, ut diximus, ſe habere neceſſe eſſe, ut de una extremitate, de omni, de altera, de nullo dicantur. Aliter enim ſi ſe habuerint: hoc eſt, ſi medius de duabus extremitatibus de omni, uel de nullo dicatur. Neceſſaria non fit. hoc eſt, concluſio non inducitur, nec fit ratiocinatio, quando maior terminus uidelicet M de omni N, uel de nullo enunciatur, medius uerò de minori extremitate in parte, & ex oppoſito uniuerſali propoſitioni dicitur: ſi inquam uniuerſalis propoſitio ſit priuans, minorem particularem aientem ſumas oportet. Enimuero ſi termini tales ſint, neceſſe eſt, ut ratiocinatio, quæ concluſionem particularem priuantem inferat, hoc eſt, Non omni, efficiatur. At ſi M hoc eſt rationis particeps omni N, hoc eſt homini, & non omni O, hoc eſt animato ineſt, concludetur, homo non omni O, id eſt animato ineſt. Nam ſi falſum erit Non omni, uerum erit Omni: ponetur autem M de omni N, & M omni O ineſſe concludetur. Sed M non omni O ineſſe ſtatutum eſt. Cùm igitur ex eo, quod dicas animal omni animato ineſſe, neſcio quid inducatur, quod fieri nequit, uerum erit non omni ineſſe. Hæcq; uia & ratio eſt demonſtrandi per id, quod fieri non poteſt: præſertim cùm per conuerſionem demonſtrare non queamus, quoniam ſi Omnis in Aliquis conuerteretur, duæ particulares propoſitiones fierent, uidelicet Aliquis, & Non omnis, & ex duabus particularibus non fit ratiocinatio: uerùm neq; Non omnis poteſt conuerti. Vidimus enim ſuperius eam non determinatè tranſmutari, ſed in materia, quæ fieri nequit, in Nullus conuerti, in neceſſaria uero in Omnis, in contingenti in ſeipſam, & in Aliquis. Hoc autem ſi M omni N & non omni O ineſt ſuperuacaneum eſſe uidetur, propter illud, quod paulo ante dicebatur. Tamen ſi quis diligenter perpendat, id non ſuperuacaneum reperiet, quoniam & ſi Omni, & Non omni, idem ſignificant, differunt tamen prolatione: quid in cauſa eſt, ut cùm ſuperius ratiocinationem poſuerit, ex Non omni, & Non omni, ratiocinationem quoq; ex Omni, & Non omni conſtituat. Demonſtratio uero eadem eſt. Hoc eſt, per deductionem ad id, quod fieri non poteſt. Termini pro M animal, ſeu ratione utens, pro N homo, pro O animatum aſſumendi ſunt. Si M nulli N, & non omni O, & omni, & nulli inducetur. Siq́; termini Animal, Nix, Nigrum accipiantur, nulli inducetur: nam terminos, per quos omni inducatur, non inuenies: quoniam is qui dicet, M non omni O ineſt, M alicui O ineſſe inferet: etenim hanc, Non omnis, in materia contingenti huic Aliquis, æqualem eſſe didicimus. Aiat nunc aliquis, fieri poſſe, ut ab iis Nullus, & Non omnis, concluſio N omni O ineſſe inferatur: cùm enim M nulli N, & N omni O inſit, erit etiam, ut tu inquis, M nulli O, ſed M alicui O ineſſe poſitum fuerat: nam non omnis & aliquis parem uim habent in materia contingenti. Sed propterea quòd Non omnis, indefinita eſt, in ea materia, quæ fieri non poteſt, propter hanc, Nullus, uera comprobatur: hæ quidem in ea materia æquales ſunt. Ille enim qui pennatum non omni homini ineſſe dicit, nihil aliud dicit, quàm nulli homini pennatum ineſſe: quod, ut aſſeruimus, uerum eſt, ſi ita dicatur, M nulli O ineſt. Et ſi nulli ineſt. hoc eſt pro hac Nullus acceptum ſit, ſi termini à materia, quæ fieri non poteſt, accipiantur, in qua Non omnis, & Nullus, pares ſunt, maior propoſitio erit Nullus: at à Nullus, & Nullus, ratiocinatio ſuperius non fiebat: neq; nunc quidem fiet. Aſſumendi ſunt termini, per quos inferas Omni, Animal, inanimatum, lapis:

pis:ut dicendo, Animal non omni lapidi, idem ſit, ac ſi nulli dicatur. Item ſi M de omni N dicitur, & alicui O ineſt, neq; hoc modo fieri ratiocinatio poterit, quoniam & Omni, & Nulli cõcludetur: ac nulli quidem induces, ſi hos terminos Album, Cygnum, Lapidẽ capias. Fieri autem non poteſt, ut termini ſumãtur, per quos ob eam cauſam, quam diximus, Omni inferatur: quãdoquidem ut Non omnis, huic Aliquis, & huic Nullus, par eſt: ita & Aliquis, in materia contingenti huic Non omnis, æqualis erit: hoc ſanè, Album alicui homini, idem eſt, atq; non omni homini. At in neceſſaria uera erit propter hãc Omnis, cui æqualis, eſt propterea quòd ſi dicatur, Reſpirare ineſt alicui homini, uerum erit, quoniam omnes homines neceſſariò reſpirant: quòd ſi omnes reſpirant, aliquẽ etiam reſpirare neceſſe eſt. Si diceret aliquis, ab Omni, & Aliquo, concludi poſſe, N omni O, eſto. Argue deinde, & dic, M omni N, N omni O, ut tu ais, M igitur omni O. Sed M non omni O poſitum fuerat: etenim Aliquis, ut dictũ eſt, huic Non omnis, parem uim habet: non poteſt igitur Omni concludi. Si uerò abſurdum ex tuis uerbis conſequitur, inutile id, quod inquiſti, ex indefinito demonſtrabitur: cùm enim hæc, Aliquis, indeterminata ſit, & cùm huic Non omnis, ut in contingẽti materia, tum huic Omnis, ut in neceſſaria ſit æqualis, ſi terminos acceperis, in quibus Aliquis, pro omnis ponatur, ratiocinatio non erit. In ſuperioribus enim ex Omni, & Omni, non fieri ratiocinationem demonſtratũ eſt. Accipiatur M ſubſtantia, N animal, O homo, ſi itaq; ſubſtantia cuidam homini ineſſe dicatur, omnis homo ſubſtantia eſſe dicetur. Sed neq; ſi M alicui N, & alicui O inſit, ratiocinatio efficietur.

Illi uerò non ineſt. Id eſt non alicui, ut M non alicui N, M non cuidam O, uel M alicui N ineſt, O uero non ineſt, hoc eſt non omni, uel è contra.

Vel neutri omni, cùm uidelicet M non omni N, & non omni O inſit.

Vel indefinitè. Vt ſi quiſpiam diceret M ineſſe N, & O, uel M non ineſſe N, & O.

Quæ uel terminis ex neceſsitate inſunt. Vt in reciprocatione. termini enim in propoſitionibus poſitis accepti, üdem in conuerſione ſumuntur ordine ſolum immutato: quoniam ille terminus, qui ſubiiciebatur, ita conuertitur, ut de ſubiecto enuncietur: ille uerò, qui enunciabatur, in ſubiectum transmutatur, uel ponitur quod accipitur, tanquam ſubiectio, ut in deductione ad id, quod fieri nequit. Si enim inducatur concluſio Non omni, & quiſpiam non bene inductam arguat, arguentis orationem aſſumimus, ut Omni inferamus.

TERTIA FIGVRA.

CVM idem alterum omni, alterum nulli ineſt, aut ambo omni, uel nulli inſunt. Figuram hãc tertiam nomino: in qua Mediũ appello, de quo utraq; enunciantur: Extremitates uerò, quæ enunciantur: ac Maiorẽ, quæ longius à medio diſtat, Minorem, quæ propius ad mediũ accedit.

Medium porrò extra extremitates, ultimoq; in loco collocatur: perfecta igitur ratiocinatio in hac figura nõ fit. Terminis tamẽ uniuersè, & nõ uniuersè cum medio cõiunctis fieri poterit. ac ſi uniuerſales quidẽ termini ſint, ſi & P & R inerũt omni S, quoniã P alicui R ex neceſsitate inerit, fiet ratiocinatio. nã propterea quod aiens conuertitur, fiet, ut S alicui R inſit. Itaq; ſi P ineſt omni S, & S alicui R ineſt, neceſſe eſt P alicui R ineſſe: fit enim ratiocinatio in prima. licet quoq; hanc per id, quod fieri nequit, & per expoſitionẽ demonſtrare: ſi enim ambo omni S inſunt, & aliquid ex S, uelut N aſſumatur, huic & P, & R inerunt. quo fiet, ut P alicui R inſit. Et ſi R omni S & P nulli ineſt, erit ratiocinatio, quoniam P alicui R neceſſario non inerit. idem enim erit demonſtrationis modus, ſi R S propoſitio conuertatur. Per id quoq;, quod fieri nequit, ut in prioribus factum eſt, oſtẽdetur. Si autẽ R nulli S, & P omni S inſit, non erit ratiocinatio. Termini quod inſit, Animal, Equus, Homo: quod non inſit, Animal, Inanimatum, Homo. Neq; quando utraque de nullo S dicuntur, ratiocinatio conflabitur. Termini quod inſit, Animal, Equus, Inanimatũ: quod non inſit, Homo, Equus, Inanimatum, Mediũ eſt inanimatũ. Quãdo igitur in hac figura, cũ uniuerſales termini ſunt, & erit, & non erit ratiocinatio, perſpicuũ eſt. Quando uerò utriq; termini enunciantes fuerint conſtituti, erit: quoniam extremitas alicui ineſt extremitati: at cùm priuãtes, non erit. Cùm uero alter priuans, alter aiens eſt, ſi maior priuans ſit, alter affirmans, erit ratiocinatio eo, quod alicui extremitati extremitas non ineſt: ſi è contra, non erit.

Si medius terminus de utriſq; dicatur extremitatibus, ſecunda figura fiet propoſitionibus diſsimilibus conſeruatis. Si uerò eidem, medio inquam, altera extremitas omni inſit, altera nulli, nel utræq; extremitates omni, uel nulli medio inſint, tertia figura cõficitur. Hic ratiocinatiuas & artis expertes ratiocinationes immiſcuit, quas antea diligenter, accurateq́; ſecreuit. In hac tertia figura S medium ponit, de quo ambo extrema P & R enunciantur, extremitates capit P & R, quæ etiam dicuntur.

Ac maiorem, quæ longius à medio diſtat. Hoc eſt, P, quæ longius à medio abeſſe dicitur, tanquam medii proprium non ſeruet. Medii nanq; proprium eſt, utriſq; ſubiici extremitatibus, at P tantummodo enunciatur: etenim in concluſione & de S & de R dicitur.

Minorem, quæ propius ad mediũ accedit. propinqua autẽ medio eſt, propterea quod medii proprium obſeruat: cum ſubiiciatur, etſi enim R enunciatur de S, in concluſione tamen P ſubiicitur. Medium in deſcriptione extra extremitates, tanquam ipſarum medium non ſit, atq; extremum uelut utriſq; ſubiiciatur extremitatibus, conſtituitur.

Si & P & R omni S inerunt, pro P animal, pro R ſubſtãtia, pro S homo capiatur, cõcludetur Animal alicui ſubſtantiæ: quod utrum bene habeat, nec'ne, reciprocatio demonſtrabit maiore propoſitione conuerſa. Nam ſi ſubſtantia omni homini, & homo alicui ſubſtantiæ: & quoniam homo alicui ſubſtantiæ, animal autem omni homini ineſt, fiet tertius primæ figuræ modus inferens, animal alicui ſubſtantiæ ineſſe: demonſtrabitur etiam, ſi deducatur ad id, quod fieri nequit. Etenim ſi ex duabus propoſitionibus aientibus uniuerſalibus in tertia figura concluſio Alicui non infertur, ut Nulli inducatur, neceſſe eſt. In illis enim, quæ repugnanter opponuntur, uel affirmatio, uel negatio eſt: ſiq; animal nulli ſubſtantiæ, ut inquit aduerſarius, ſubſtantia omni homini, fit ſecundus modus primæ figuræ, quo infertur, Animal nulli homini ineſt. At animal omni homini inerat: fieri igitur non poteſt, ut animal omni, & nulli homini inſit: quod ſanè non inductum ſuit ex propoſitione poſita, ſed ex ea, quã aduerſarius ſubiecerat, quæ ita ſe habebat, Animal nulli ſubſtãtiæ: cumq; abſonũ ex eo ſequatur, quod nulli dictum ſit, alicui inerit, huiuſmodi concluſio exponendo demonſtrabitur. Nam ſi ſubſtãtia de omni homine dicitur, reſtat, ut de omnibus hominis partibus dicatur. Expone igitur partem S hominis, N hoc eſt Socratem, quòd ſi animal de omni homine, de Socrate pariter enunciabitur, Socratesq; & animalis, & ſubſtantiæ pars inuenietur. Recte igitur illatum eſt, animal alicui ſubſtantiæ, hoc eſt Socrati.

Etſi R uidelicet animal, de omni S id eſt rationali enunciatur, P hoc eſt rationis expers de nullo rationali, ratiocinatio erit, & concludetur, P alicui R non inerit, hoc eſt rationis expers non omni animali.

Idem enim erit demonſtrationis modus, hoc eſt, per conuerſionem demõſtrabitur: & per deductionem ad id, quod fieri nequit, ut etiam primum tertiæ figuræ modum demonſtrauimus.

Quòd ſi alter uniuerſalis ad mediũ, alter particularis ſit, ſi utriq; enunciantes fuerint, ratiocinatio fiat oportet: utercũq; terminus uniuerſalis fuerit: nam ſi R omni S inſit, P uerò alicui S, P alicui R inſit neceſſe eſt: nam propter aientis cõuerſionem S alicui P inerit. Itaq; quoniam R omni S, & S alicui P ineſt, R quoq; alicui P inerit. ergo P alicui etiam R inerit. Rurſum ſi R alicui S, & P omni S inſit, P alicui R ineſſe neceſſe eſt. Idem enim demõſtrationis modus erit. Poſſumus etiam ex eo, quod fieri nequit, atq; ex poſitione non ſecus, ac in præcedẽtibus demõſtrare. ſi enim unus ſit enuncians, alter priuans, uniuerſalisq; enuncians, quando minor aiens fuerit, erit ratiocinatio. Nam ſi R omni S ineſt, & P alicui S non ineſt, neceſſe eſt P alicui R nõ ineſſe. at ſi P omni R, cum R omni S inſit, P quoq; omni S inerit. ſed nõ inerat. Id etiam abſq; deductione ad id, quod fieri nequit, demonſtrabitur, Si aliquid ex S, cui P non ineſt, aſſumatur: Cùm uerò maior fuerit aiens, & minor particularis priuans, non erit ratiocinatio, ut ſi P inſit omni S, R autẽ alicui S nõ inſit. Termini eius, quod omni inſit, ſunt Animatũ, Homo, Animal. quod nulli inſit, ſumi non poſſunt. Siquidẽ R ineſt alicui S, & alicui non ineſt: ſi enim P nulli R ineſt, R autem cuidã S, & P alicui S nõ inerit, omni enim ineſſe poſitũ fuerat: ſi enim P omni S ineſt, R autẽ alicui S, P alicui R inerit: ſed ineſſe nulli ſtatuebatur: uerùm dicendũ eſt quemadmodũ in prioribus. Cum enim alicui non ineſſe indefinitũ ſit, & uerũ ſit, ſi quod nulli ineſt, alicui quoq; non ineſſe dixerimus, & ſi nulli ineſt, nõ erit ratiocinatio. Si autẽ priuans terminus uniuerſalis ſit, particularis autẽ enuncians, quando maior fuerit priuans, & minor affirmans, erit ratiocinatio. Si enim P nulli S, & R alicui S inſit, P alicui R non inerit. nam erit rurſus prima figura, ſi R S propoſitio conuerſa fuerit, quãdo minor fuerit negans ratiocinatio non erit. Termini quod inſit, Animal, Homo, Agreſte. quòd non inſit Animal, Scientia, Agreſte: medium in utriſq; eſt Agreſte. Nec quando ambo priuantes ponuntur, ſi alter ſit uniuerſalis, alter particularis. Termini quod non inſit ſi minor ſit uniuerſalis ad medium Animal, Scientia, Agreſte: quod inſit Animal Homo Agreſte.

Si altera extremitatum uniuersè de medio, altera in parte enuncietur, cùm illa quæ uniuersè de medio dicitur, affirmando enuncietur, & quæ in parte de medio dicitur, affirmatiuè quoq; enuncietur, ratiocinatio fiat oportet.

Vtercunq; terminus uniuerſalis fuerit. Hoc eſt, ſiue P de omni S, & R de quodã S, ſeu R de omni S, enuncietur: nam ſi R, hoc eſt animatum, de omni S, hoc eſt animali dicitur, P uerò, uidelicet album de quodam animali dicitur, album alicui animali ineſſe concludetur: quod cùm eſſet per reciprocationem demonſtraturus, minorem uidelicet, Omnis, conuertere non poterat, ne utraq; propoſitiones, maior inquam & minor particulares fierent: quæ ſi ita eſſent, nulla ex eis ratiocinatio poſſet conflari. Maior igitur conuertatur neceſſe eſt: nam ſi album alicui animali, & nimal alicui albo, & quoniam animatum omni animali, animalq; alicui albo, animatum alicui albo ineſſe cõcludes. At non hoc, ſed album alicui animato ineſſe, proponebatur demonſtrandum. Quare quoniam Aliquis in ſeſe reciprocatur, ſi animatũ cuidam albo, album quoque cuidam animato inerit. Demonſtratum igitur eſt per conuerſionem, ab expoſitione etiam oſtendetur. Si animatum de omni dicitur animali, de Platone quoque dicetur, quem animalis eſſe partem conſtat, ergo Plato pars eſt animati: & propterea rectè hominem alicui animato, hoc eſt Platoni concludere poterimus, quoniam homo de quodam animali dictus de Platone dici poteſt: Plato igitur hominis eſt pars. atqui ſi maior uniuerſalis aiens fuerit, ut animal omni homini, & minor particularis aiens, ut album cuidam homini, erit concluſio animal cuidam albo. Eadem ratione concluſionem hanc

bene

bene inductā fuiſſe demonſtrabitur.nam per conuerſionem,minorem conuertēdo,& per deductionem ad id,quod fieri nequit,atq; per expoſitionē demonſtrari poterit.Expone hominis partē,Scytham : qui igitur dixerit,album homini ineſſe,de Scytha album enunciauerit,atq; animal de omni homine dictum, de Scytha quoq; dicetur.Scythes igitur & albi,& animalis pars exiſtit. rectè itaq; concluſio illata eſt, animal alicui albo,hoc eſt Scythæ ineſſe. At ſi ratiocinatio,quę ab his Omnis,& Aliquis fit,ſimplicior eſt,quàm illa, quæ ab Aliquis & Omnis,quatenus hæc per unam conuerſionem,illa uerò,quæ Aliquis,& Omnis habet, per duas demōſtretur,ac propterea quę ab Omnis,& Aliquis,tanquā ſimplicior ea,quā Aliquis & Omnis conſtituunt,prius inducatur. Hanc tamē ob cauſam illa prius infertur, quoniā in tertia figura minor propoſitio,ſiquidem aiens ſit,probationem,& ratiocinationis perfectionem habet,& firmamentū. At quoniā ab Aliquis,& Omnis minorem aientem non particularem habet, ſed uniuerſalem, illi ratiocinationi præponitur,quæ minorem particularem aientem habet. Vniuerſale enim eſt particulari præſtantius,Ratiocinatio,quæ maiorem habet particularem priuantem,ut Album non omni homini,& minorem uniuerſalē aientem,ut Aoimal omni homini,per conuerſionē non demōſtratur. Etenim ſi minorē, uidelicet Omnis, conuertas,fiet Aliquis,quæ particularis eſt,& maior erit particularis priuās : ab duabus uerò particularibus ratiocinatio oon fit.demonſtrabitur igitur per id,quod fieri nequit,& per expoſitionem. nam quoniā album non ab omni homine remouetur,ſed ab aliquo,accipe Aethiopem hominis partem, de qua album non dicitur. Aoimal uerò de omni homine dicitur,ſequetur, ut etiam de Aethiope dicatur. Aethiops igitur,pars hominis eſt,& album non omni animali ineſt,cùm de Aethiope non dicatur.

*Quod nulli inſit,ſumi non poſſunt,*hoc eſt,per quos Nulli poſsit inferri.quoniā R cùm non omni S inſit,cuidā ineſt.Nā Nō omnis,in materia cōtingenti idē eſt,atq; Aliquis,ab Omnis,& Aliquis,ratiocinatio inducēs Alicui facta eſt.Quòd ſi inſtet quis,& urgeat,ex Omni & Aliquo hāc cōcluſionē P nulli R inferri,cōcedatur,ut ille dicebat:ſed quoniā P omni S ineſt,& R alicui S,(idē enim eſt cū Nō omnis)cōcludetur P alicui R ineſſe. At ut ille aiebat,P oulli R ineſt:cūq; fieri nō poſsit,ut P & alicui,& nulli R inſit,falſum erit,quod ille nulli ineſſe dicebat. In aliquibus deductionem ad id,quod fieri nequit,ita legimus: Si P nulli R,ut inquit repugnator,R uerò alicui S,P igitur non omni S.Sed P omnis S poſitū fuerat.abſurdū igitur ex eo inductū fuit,quod ille,qui repugnabat P nulli R ineſſe cōtendebat,P igitur nulli R ineſſe falſum cēſeo.

Quando maior erit uniuerſalis,minor particularis.quod nō inſit,Coruus,Nix,Album,quod autem inſit,ſi R alicui S inſit,& non inſit,ſumi non poſſunt.Si enim P omni R inſit,& R alicui S, P quoq; alicui S inerit.poſitū autē eſt nulli,ſed ex indefinito demonſtrabitur.neq; ſi uterq; alicui medio inſit:uel nō inſit,uel alter quidē inſit,alter uerò non inſit,uel hic Alicui, ille Nō omni,uel indefinitè,ullo modo ratiocinatio fiet. Termini omniū cōmunes Animal,Homo,Albū,Animal, Inanimatū,Albū.Patet igitur & in hac figura quādo erit,& nō erit ratiocinatio,nec non ſi termini ita ſe habeant, ratiocinationem ex neceſsitate eſſe:ſicq; ſit ratiocinatio, terminos ita ſeſe habere. omnes quoq; ratiocinationes in hac figura imperfectas eſſe,cùm pręſertim omnes aſſumptis quibuſdā perficiantur, uniuerſaleq; in hac figura nec priuans,nec aiens colligi poſſe perſpicuum eſt.

Hæc dicūtur,quoniā,ut prius demonſtrauimus,Non omnis indefinitū eſt. Accipitur enim Non omnis, pro Nullus,in materia,quæ fieri oequit, quippe cùm uerū dicat is, qui pennatū nō omni homini ineſſe dicit, utpote Non omnis huic Nullus, æqualis ſit. Termini, in quibus ita fit, ut Non omnis, & Nullus, æqualem uim habeant, ſi capiantur, Nulli concludetur. ut loco P animatum, R lapis, S animal conſtituatur. Animatum omni animali : lapis non omni animali, hoc eſt nulli : animatum igitur nulli lapidi. Agreſte etiam Nulli,& Non omni dicitur,quoniam non ſolùm de animalibus,ſed etiam de plantis enunciatur. quippe cum herbas quoque agreſteis dicamus. Cùm maior fuerit uniuerſalis priuans, minor uero priuans particularis, ut P nulli S, R non omni S ; erit artis expers ratiocinatio. Quod nulli inſit, termini hi ſunt,Coruus,Nix,Album,& termini, per quos Omni poſsit inferri, non aſſumuntur, quoniam R non omni S idem eſt, atque alicui, & ratiocinatiua ratiocinatio efficitur. Ab us enim Nullus, & Aliquis, ratiocinatio fit, quæ Non omni inducit : cui rei ſi quis ſe opponat, uelitq; concluſionem P omni R induci, (R enim alicui etiam S inerat)P alicui S inerit,quod nulli ineſſe fuerat conſtitutum. abſurdum ex eo inducitur,quod reſiſtens ſubiecit, P uidelicet omni R ineſſe. Sed quoniam Non omnis, indeterminata eſt, & non ſolùm in materia contingenti huic, Aliquis,eſt par,uerùm etiam Nulli,in materia, quæ fieri nō poteſt,Omni induci demonſtrabis,ſi terminos,in quibus Non omnis, æqualis eſt Nulli acceperis, ut animal, homo,fucus, medium fucus, P autem animal, R homo, ſi uerò uterq; terminus extremitatū de quodam medio enuncietur,ut ſit P alicui S, & R alicui S.

Vel non ineſt,hoc eſt,Non omni,ut ſit P non omni S,& R non omni S.

Vel hic quidem alicui,ille uerò non omni, ut ſit P alicui S,& R non omni S,uel econtra.

Siue indefinite, Vt,P ineſt S,& R ineſt S, quod ſanè idem eſt, ac P alicui S, uel P non ineſt S, quod idem eſt atq; non omni.R item non ineſt S, idē eſt,ut non omni.(Indeterminatæ enim propoſitiones particularibus determinatis ſunt æquales) non fit ratiocinatio.

*Omnes enim aſſumptis quibuſdam perficiuntur,*hoc eſt,uel per conuerſionē,uel per reductionem ad id, quod fieri nequit : uel utroque horum modorum. Patet etiam in tertia figura nullam uniuerſalem

concluſionem,ſed omnes particulares induci.

Clarum quoq; eſt,ſi omnibus in figuris,cùm ratiocinatio non fiat,utriq; termini priuãtes ſint, aut enunciantes,aut particulares,nihil penitus fieri neceſſariũ:cùm uerò alter enunciãs, alter priuans fuerit, priuãsq; uniuerſalis ſumatur, ſemper minoris extremitatis ratiocinatio ad maiorem fiet,ut ſi A omni B,aut alicui inſit, B autem nulli C, conuerſis enim propoſitionibus neceſſe eſt C alicui A non ineſſe:eodem modo aliis etiam in figuris : ſemper enim ex conuerſione ratiocinatio efficitur. Palàm etiam eſt,Indefinitum quod pro enunciãte particulari poſitum eſt, eandẽ omnibus in figuris ratiocinationem eſſe facturum.

POSTQVAM inutiliũ,& artis expertium ratiocinationũ mentionẽ fecit,nunc quænã inutiles poſſint ſuſcipere curam,& perfectionẽ,ut bonæ fiant,& quæ non poſsint, aggreditur declarare. Ratiocinatio, inquit,à Nullus,& Nullus,in prima figura,ſecũda item,& tertia inutilis manet. In ſecũda etiã ab Omnis, & Omnis,inutilis reſtat. utram enim uis propoſitionũ uel maiorẽ, uel minorẽ conuertere uolueris, maior propoſitio particularis euadet:at è duabus particularibus,ſiue aientes,ſiue negantes ſint, ratiocinatio in tribus figuris artis expers remanet : Si enim maior propoſitio uel uniuerſalis aiens,uel particularis,& minor uniuerſalis negãs fuerit,ratiocinatio inutilis fiet : poterit tamẽ utilis fieri cõuerſis duabus propoſitionibus, præterquã quòd nõ induces A nõ omni C,ſed C nõ omni A concluſionẽ.Simili modo A ineſt omni B & B nulli C,in prima figura inutilis ratiocinatio cõponitur, quæ fieri ratiocinatiua poteſt, ſi duæ propoſitiones cõuertantur.In ſecũda itẽ figura ſi maior eſt Aliquis,& minor Nullus,figura inutilis eſt:ſi Nullus cõuerteris,fiet ratiocinatiua,inducetq;.O nõ omni N.at ſi maior eſt Aliqs,minor Nullus,erit inutilis in tertia figura ratiocinatio,in qua cõuertẽdo Aliquis,R nõ omni P ratiocinationẽ facies.In tribus igitur figuris ratiocinationes inutiles per cõuerſionẽ fieri ratiocinatiuas perſpicuũ eſt.Patet etiã indefinitũ ꝓ Aliquis determinatione particulari captũ eandẽ omnibus in figuris facere ratiocinationẽ, quã illa particularis determinatio faciebat:ut ſi dixeris,A omni B,B ineſt C,induces A alicui C.quod etiã induxiſti,cũ B alicui C diceres.

Perſpicuum item eſt, omnes imperfectas ratiocinationes per primam figuram abſolui:omnes enim aut demõſtratiuè,aut ab eo quod fieri nequit concludũtur:utroq; autẽ modo prima figura euadit. Si uero demonſtratiuè perficiantur quoniã per conuerſionẽ omnes abſoluebantur & conuerſio primam figurã efficiebat: Si ex eo quod fieri non poteſt demonſtrentur quoniã poſito falſo ratiocinatio per primam figurã fit:ut in figura poſtrema,ſi A & B omni C inſint quoniã A alicui B ineſt:ſi enim A nulli B ineſt & B omni C, A nulli C inerit ſed inerat omni. Similiter etiam in aliis.Reducere etiã ratiocinationes omnes in uniuerſales primæ figuræ ratiocinationes poſſumus.patet enim eas,quæ in ſecunda figura ſunt,illarum perfici beneficio:non tamen omnes eodẽ modo , ſed uniuerſales priuante conuerſa utrãq; autem particularium ex deductione ad id quod fieri nequit, particulares uerò, quæ in prima ſunt per ſe ipſas perficiuntur. poſſunt etiam per ſecundam figurã demonſtrari,deducendo ad id,quod fieri non poteſt:uerbi cauſa,ſi A omni B, & B alicui C ineſt,futurum eſt ut A alicui C inſit. Si enim A nulli C & idem omni B ineſt, B nulli C inerit:hoc enim per ſecundam figuram cognitum eſt nobis.In priuante eodem pacto demonſtrabitur : Etenim ſi A nulli B & B alicui C ineſt,A alicui C non inerit : nam ſi A omni C, B autem nulli ineſt,B nulli C inerit.Hæc autem media figura erat.Cùm itaq; ratiocinationes,quæ in media fiunt , in primæ figuræ uniuerſales ratiocinationes reducantur : particulares uerò primæ ad eas,quæ in media fiunt particulares quoq; ad uniuerſales,quæ in prima figura ſunt,redigi planũ eſt.Quæ uerò ſunt in tertia,ubi uniuerſales termini ſint,ſtatim per primæ figuræ ratiocinationes perficiũtur.Si autẽ particulares ſumantur,per particulares ratiocinationes, quæ in prima figura conſtituuntur:ſed hæ ad illas redactæ ſunt,quo fit,ut etiã tertiæ figuræ particulares ad illas reuocentur. Igitur iam perſpicuũ eſt,omnes in primæ figuræ uniuerſales ratiocinationes reductũ iri. Quomodo itaq; ratiocinationes aliquid ineſſe, uel non ineſſe colligentes, ad eas ſe habeant, quæ ſunt eiuſdem figuræ,& inter ſe ad eas,quæ alterius figuræ ſunt,dictum eſt nobis.

PERFICIVNTVR, inquit,aut demonſtratiuè,hoc eſt per conuerſionem,& fit prima figura, uel per deductionẽ ad id,quod fieri nequit,ex quo primã figurã fieri conſtat. Cùm docuerit,quales inutiles coniugationes poſsint cohærere,& conſtare,& fieri ratiocinatiuæ, & quales nõ poſsint:nũc duos primæ figuræ modos uniuerſales,illũ uidelicet,qui ab Omnis & Omnis,& illum,qui à Nullus,& Omnis fit,laudibus extollit,ac celebrat,maximeq; cõmendat,quippe cũ illi ſint,per quos ſecũdæ, & tertiæ figuræ ratiocinationes omnes, & eiuſdem primæ figuræ particulares, quæ ab Omnis,& Aliquis,& à Nullus & Aliquis fiunt,perficiãtur:omnes igitur ratiocinationes,ut diximus, in duas uniuerſales primæ figuræ ratiocinationes reducũtur.Nam illæ omnes,quæ in ſecunda ſunt,ſiue uniuerſales,ſiue particulares ſint, per illas primæ figuræ priores ratiocinationes abſoluũtur.Duæ tamen uniuerſales ſecundæ figuræ excipiũtur,quarũ altera à Nullus & Omnis,altera ab Omnis, & Nullus cõficitur:quæ per conuerſionẽ minore priuante cõuerſa perfectionẽ ſuam nãciſcuntur : quippe cùm huiuſmodi conuerſio ſecundum figuræ primæ modum faciat. At ratiocinationes particulares ſecundæ figuræ à Nullus,& Aliquis,& ab Omnis,& Non omnis,conflateq; à deductione ad id,quod fieri nequit,perfectæ ſunt : Illa tamen,quæ à Nullus, & Aliquis facta eſt, per ſecundum

cundum

cundum modũ primæ figuræ abſoluitur:quandoquidem deductio ad id, quod fieri non poteſt, modũ illũ format. Quæ uerò ex Omnis, & Non omnis, conſtat, in primo primæ, quem eadem deductio facit perficitur. Ratiocinationes autem particulares in prima figura perfectionem capiunt, & per ſe ipſas fidem habent, ac firmamentum: propterea quòd per definitionem de Omni, & de Nullo probari poſſunt, præſertim cùm altera Alicui, & altera Non omni rectè concluſionem inducat. Poſſunt quoque per uniuerſalem ſecundæ figuræ habere perfectionem demonſtrari. nam per deductionem ad id, quod fieri nequit, ratiocinationes particulares primæ figuræ in duos uniuerſales modos ſecundæ figuræ reducuntur, ſicq; ratiocinatiuæ fiunt. Omnes igitur particulares ratiocinationes primæ figuræ in ſecundæ figuræ uniuerſales reducuntur. Tertiæ uerò uniuerſales rectè per duas primæ figuræ uniuerſales perficiuntur: nam Omnis, & Omnis, tertiæ figuræ modus per deductionem ad id quod fieri nequit, in ſecuudum modum primæ figuræ reportatur, qui eſt à Nullus, & Omnis conſtitutus, & per eãdem deductionem in primum modum primæ figuræ redueetur. Ratiocinationes particulares, quæ in tertia figura ſunt, ab Aliquis inquam, & Omnis, & ab Omnis, & Aliquis, atq; à Nullus, & Aliquis, per conuerſionem, quæ particulares primæ figuræ ratiocinationes facit, perficiuntur: nam hæ primæ figuræ in illas redactæ ſunt, hoc eſt in ratiocinationes uniuerſales primæ. Quo fit, ut omnes particulares tertiæ figuræ ad uniuerſales primæ referantur. Hæc igitur ratiocinatio componitur: Omnes particulares tertiæ figuræ ratiocinationes in particulares primæ reducuntur, Omnes particulares primæ in uniuerſales primæ redactæ fuerunt, Omnes igitur ratiocinationes particulares tertiæ figuræ ad uniuerſales primæ reducentur. Ratiocinationes igitur demonſtrantes, & concludentes, uel ineſſe, hoc eſt concluſionem uniuerſalem aientem, particularem'ue, uel non ineſſe hoc eſt concluſionem uniuerſalem negantem, uel particularem item negantem, quomodo ſeſe habeant inter ſe, præſertim quæ eiuſdem figuræ ſunt, iam dictum eſt. Nam in prima figura Omni, Nulli, Alicui, & Non omni, concluſiones inferuntur:in ſecunda Nulli, & Non omni:in tertia Alicui, & Non omni.

Et ad eas, quæ ex iis ſunt. hoc eſt, ex tribus figuris, quomodo inuicem ſe habeant, quonam uidelicet pacto conueniant, & differant inter ſe, dictum nobis eſt. Ratiocinationes nanq; primæ figuræ ab illis ſecundæ & tertiæ interſunt, quod in prima inducatur Omni, in ſecunda autem, & tertia non inferatur. At in hoc conueniunt, quòd in prima & ſecunda Nulli inducatur. Habent id etiam commune, quatenus in omnibus tribus figuris Non omni infertur: at quæ tertiæ ſunt, ab illis ſecundæ differunt, quoniam in illis Alicui concluditur:in ſecunda uero aiens non infertur.

INCIPIVNT MIXTIONES.

QVONIAM Ineſſe, & neceſſariò ineſſe, & Contingere ineſſe, diuerſum quid eſt: multa enim inſunt, non tamen neceſſariò: alia uerò neq; neceſſariò, neq; omnino inſunt, ſed ut inſint contingit: perſpicuum eſt, ratiocinationem uniuſcuiuſq; horũ eſſe diuerſam, neq; ex terminis eodem modo ſe habentibus: ſed hanc è neceſſariis, aliam ex iis, qui inſunt, aliam è contingentibus futuram eſſe planum eſt. In neceſſariis igitur ferè ſimili modo, ſicut in exiſtentibus, ſe res habet. Terminis enim ſimiliter poſitis & in iis, quæ inſunt, & in iis, quæ ex neceſsitate inſunt, uel non inſunt, erit, & non erit ratiocinatio: tamen intererit, quòd neceſſariò ineſſe, uel non ineſſe, terminis addetur: nam & priuãs eodem modo conuertitur, & in toto eſſe, & de omni dici, ſimiliter aſsignatur. In aliis eodẽ modo per reciprocationem demonſtrabitur: concluſionem ſcilicet neceſſariam eſſe non ſecus, atq; in exiſtẽdo. In media autem figura quando uniuerſalis aiens, & particularis priuans, item in tertia, cum uniuerſalis enuncians, & particularis priuans ſit, non, ut hactenus, fit demonſtratio: ſed neceſſe eſt, ut exponentes aliquid, cui utrunq; non ineſt, de eo ratiocinationem faciamus: nam de eo quoq; neceſſario erit. Si uerò de eo, quod expoſitum eſt, neceſſe erit, de illo quoq; quodam erit: quod enim expoſitum eſt, illud ipſum aliquid eſt, utraq; autem in propria figura fit ratiocinatio.

CVM de Ratiocinatione ſimpliciter ageret, propoſitiones neque Neceſſarias, neque Exiſtentes, neq; Contingentes accepit, & ſimul coniunxit: in hac uerò tractatione docet, qualis, quantaq; concluſio ex propoſitionibus inducatur. Ex neceſſariis inquam neceſſaria, ab exiſtentibus exiſtens, atque ex contingentibus contingens. Deinde miſtionem facit neceſſariarum & cõtingentium, & neceſſariarum, & exiſtentiũ. Perpendit etiam ex illarum mixtione quanta concluſio debeat inferri, quod in cauſa eſt, ut Miſtiones nominentur. Neceſſarium illud eſt, quod alicui ſemper, & eodẽ modo ineſt: ut, Animal rationis particeps: reſpirare homini ſemper ineſt. Ineſſe illud dicitur, quod in alio conſideratum eſt, non tamen ſemper, ſed abeſſe etiam poteſt. ut, Sedere ineſt homini ſedenti, at non ſemper ſedet, cùm ſtet aliquando. Album quoque homini ineſt, ſed non ſemper: etenim uel morbus, uel ſenectus, uel ſolis æſtus candorem obſcurant. Contingens eſt, quod cùm non ſit, fieri, & non fieri poteſt. ut, Socrati contingit lauari, tamẽ lauari poteſt, & non lauari. Ratiocinationes ex duabus neceſſariis propoſitionibus conſtantes, & ex duabus exiſtentibus inductæ, eodem modo ſe habent.

Terminis enim ſimiliter poſitis. ut enim è propoſitionibus ineſſe ſignificantibus ratiocinatio fit, & rurſus non fit: ita etiam eueniet, ſi propoſitiones neceſſariæ fuerint: fient enim ratiocinationes, & poſtea nõ

efficieotur.cùm itaq; diceret, Ex neceſsitate ineſt, aientes ratiocinationes indicauit:cumq́; adderet, Non ineſt, negãtes. Si igitur duæ uniuerſales aientes, & exiſtẽtes capiãtur, uel maior uniuerſalis negãs, & minor aiens, ratiocinatio in prima figura formabitur: at cõtrà non fiet, ſi duæ oegãtes aſſumãtur, uel maior aiens, & minor negans, ſeu utræq; particulares. Sic quoq; ſeſe res in ratiocinationibus habet. Ex duabus neceſſariis fiet, & oon fiet ratiocinatio, ſi propoſitiones, ut dictum eſt, aſſumptæ fuerint. In ſecũda igitur figura ſi duæ fuerint eiuſdẽ formæ, ut didicimus, ratiocinatio nõ conſlabitur: at ſi diſsimilis, ut omnis, & nullus, figura illa ratiocinatiua erit. Additum eſt, Ferè; ut oſtenderetur, in quibus differrent. Nam ſi in reliquis omoibus æquales ſunt propoſitiooes oeceſſariæ, & exiſtentis, in hoc differunt, quòd io illis, quæ inſunt, conclufio exiſtens infertur, io neceſſariis uerò neceſſaria. Differuot etiam per quartum modum ſecundæ figuræ, & per quintum tertiæ, ut demonſtrauimus.

Tantum differt, quòd terminis ex neceſsitate ineſſe adiungitur, hoc aientes ſignificauit. cùm diceret, Non ineſſe, negantes indicauit.

Priuans uniuerſalis, hoc eſt Nullus, in ſeipſam & in eo, quod ineſt, & in neceſſario reciprocatur, atque in toto eſſe, & de omni æqualiter in utriſq; ſpectatur. In toto enim eſt, quãdo ſubiecti ad terminũ de ſubiecto dictũ relationẽ reſpicis. uerbi cauſa, Omnis homo animal, omne animal ſubſtantia, omnis igitur homo eſt ſubſtãtia. De omni uerò cum à maiori incipimus, & io minorẽ deſinimus: ut, Subſtantia omni animali, animal omni homini, ſubſtãtia igitur omni homini. Si uerò dicatur, quid cauſæ ſit, cur cùm Nullius faciat mentionẽ, Omne prætermittat, præſertim cùm Omnis in Aliquis in exiſtẽti, & in neceſſario coouertatur, reſpondebimus, hanc Omnis, in tribus iis omnibus modis Exiſtenti, Neceſſario, & Contingẽti in hãc Aliquis, tranſmutari: ac propterea Ariſtotelem illius oon meminiſſe. Fecit autẽ mentionẽ Nullius, quoniã in exiſtenti, & neceſſario in ſe ipſam reciprocatur, cum in contiogenti in Aliquis, ut uidimus, mutetur.

In aliis igitur, modis uidelicet primæ, & tertiæ figuræ, uelut in exiſtenti concluſio per conuerſionem, ita etiam in neceſſario demooſtratur. In media autem figura, ſecunda ſcilicet, quando maior propoſitio eſt aiens uniuerſalis, minor particularis negans, ut in quarto modo ſecundæ figuræ.

Rurſus in tertia, cùm ſit minor aiens uniuerſalis, & maior priuans particularis, ut in quinto modo tertiæ figuræ, non fit concluſionis demonſtratio. Similiter etiam in ratiocinatione ab eo, quod ioeſt, & à neceſſario confecta: at in eo, quod ineſt, demonſtratur per id, quod fieri nequit, in neceſſario uerò, per expoſitionem, præſertim cùm per conuerſionem oon eſt, cur eam demonſtrari putem poſſe: quandoquidem ſi Omnis, in Aliquis, conuerteretur, ambæ particulares euaderent. & Non omnis, cùm indefinita ſit, conuerteretur nunquam. Io neceſſaria ratiocinatiooe non per id, quod fieri nequit, ſed per expoſitionem demonſtratur. Exponatur enim & capiatur in ſecunda figura pars albi, nix uidelicet, cui alicui utriq; nõ ineſt, & niuem cape pro minori termino in ſecundo modo ſecundæ figuræ, dein dicito, Animal omni homini ex neceſsitate, animal nulli niui ex neceſsitate, homo igitur nulli niui, ex neceſsitate. Ergo de niue, quæ eſt albi pars, concluſio neceſſaria in ſecundo modo ſecundæ figuræ fuit illata. Itaq; neceſſariò relinquitur, ut in quarto modo ſecundæ figuræ neceſſaria concluſio de toto albo quod in minori termino poſitum eſt, inferatur. Haud ſecus etiam in quinto modo tertiæ faciamus oportet. In ratiocinatione neceſſaria non per deductionem ad id, quod fieri non poteſt, ſed per expoſitionem concluſio demõſtrabitur. Expone, & hominis partem Aethiopem cape, de quo Album neceſſario nõ dicatur, ipſumq́; medium terminum conſtitue in ſecũdo modo tertiæ figuræ, cedo poſtea, album nulli Aethiopi ex neceſsitate, animal omni Aethiopi ex neceſsitate, album igitur ex neceſsitate non omni homini. Reliquum igitur eſt, ut de toto, hoc eſt homine, cuius Aethiops eſt pars, & de medio poſito in quinto modo tertiæ figuræ concludatur, album neceſſariò noo omni animali. Vtrunq; igitur exemplum in ſecunda figura tradere poſſumus: quoniam & de animali, & de homine nix non dicitur: ſed utrunq; cognoſcere ſatius eſſe duximus, album uidelicet ab Aethiope, & aoimal à niue remoueri. Vtrunq; ſanè de duobus non ſecus, atq; alterũ aſſumitur. de uno quantum ad ratiocinationem formandam conducit, hoc eſt de parte quæ expoſita eſt. ex his enim partibus, hoc eſt ex Aethiope, & niue neceſſaria quoque concluſio inferetur.

Si uero de eo, quod expoſitum eſt. Videlicet de parte, concluſio neceſſariò inducetur, ex neceſsitate inquam concludetur.

De illo aliquo, de albo ſcilicet, erit neceſſaria concluſio: præterquam quòd ab aliquo, hoc eſt, particulari, concluſio de toto inferetur: nam Non omni, in quarto modo ſecũdæ figuræ & quinto tertiæ, poteſt inferri, à partibus oiuis concluſio uniuerſalis priuans neceſſaria, ex Aethiope uerò particularis priuans illata fuit. hæc inquam per ſecundum ſecundæ figuræ, & hæc per ſecundum tertiæ.

Quod enim expoſitũ eſt, nix ſcilicet, uel Aethiops. Ipſum illud aliquid eſt, tũ albi, tũ hominis pars.

Vtraque autem ratiocinatio in prima figura fit, Ratiocinatio ab expoſitione, in qua nix minoris termini loco ſumpta fuit, per ſecundum modum ſecuodæ figurę, illa uerò, in qua Aethiops medius eſt terminus, per ſecundum tertiæ conſlatur. Obiicienti, cur quarti modi ſecundæ, & quinti tertiæ concluſionem expoſitione, & non deductione ad id, quod fieri nequit, roborauerit, & confirmauerit, huiuſmodi deductionem fieri reſpondebimus, cùm repugnanter contrarium in concluſione, & unam ex propoſitionibus poſitis accipimus, atque abſurdi aliquid inducimus, ſi uidelicet per eam deductionem demonſtrare concluſionem quarti modi ſecundæ uolueris, illa, quæ huic Non omni neceſſe eſt, repugnãter opponitur,

uidelicet

uidelicet Omni accidit,aſſumenda eſt:hæc enim contraria eſt modo,quantitate,& qualitate huic,Non omni neceſſe eſt:atque ita ratiocinari poterimus:A omni B neceſſario,B omni C fortuitò: & neceſſarii, ac contingentis,quod nunc Fortuitum appellamus: mixtionem faciemus. Non autem dictum eſt, demonſtrandum eſſe neceſſarii,& contingentis concluſionem,alterius inquam neceſſariã,fortuitam & contingentem alterius,& propterea deductio ad id,quod fieri nõ poteſt,excluſa eſt.Quòd ſi iterum dixerit,quomodo in ratiocinatione,quę ineſt,utens tali deductione cõcluſionem demonſtrarit,habebis dicere.Non omni ineſſe,contrariam repugnanter, non eſſe huic, Omni cõtingit,uel eam ob cauſam,quod illud, quod ineſt, ei,quod contingit,contrarium non ſit.Ineſſe enim eſt euentus contingentis,contingens autem non eſt, ſed aptum,ut fiat:ut,Socratem lauare contingens eſt,& non eſt:at cùm lauatur,eidem ineſt.

De Mixtione Neceſſarii & Exiſtentis in prima figura.

ACCIDIT autem interdum,& cùm altera propoſitio neceſſaria ſit, non tamen quæuis, ſed ea,quæ ad maiorem ſit extremitatem,neceſſariam fieri ratiocinationem, uerbi gratia: Si A omni B ex neceſsitate ineſſe,uel non ineſſe,B uerò ipſi C ineſſe tantummodo ſumptum ſit.Nam ſi ita ſumptæ propoſitiones fuerint,A ipſi C neceſſario inerit, uel non inerit:nam quoniã A omni B ex neceſsitate ineſt,uel non ineſt,C autem quicquam eſt eorum, quæ B ſunt, manifeſtum eſt, C ex neceſsitate horum alterum fore.At ſi A B non eſt neceſſarium,B C uerò neceſſarium,concluſio neceſſaria non erit:nam ſi ſit,accidet A alicui B ex neceſsitate per primam, & tertiam figuram ineſſe. Atqui hoc falſum eſt:contingit enim tale eſſe B,cui nulli A ineſſe poſsit. Præterea ex ipſis terminis patet,concluſionem neceſſariam non eſſe euaſuram. uerbi cauſa: Si A ſit motus, B animal,de quo C homo,homo enim neceſſario animal eſt, animal autem ex neceſsitate non mouetur, quare neque homo. Similiter etiam ſi priuans A B ſit, eadem enim eſt demonſtratio. In particularibus autem ratiocinationibus,ſi uniuerſalis neceſſaria ſit, erit concluſio neceſſaria: ſin uerò particularis,concluſio,ſeu priuans, ſeu enuncians fuerit, uniuerſalis propoſitio, neceſſaria non erit.Sit autem prima uniuerſalis neceſſaria,& A omni B neceſſariò inſit,a autem alicui C ſolum. Neceſſe ergo eſt, A alicui C ineſſe neceſſariò: nam C ſub B eſt,B autem omni A neceſſario inerat.Similiter autem ſi priuans ratiocinatio fuerit: eadem enim erit demonſtratio. At ſi particularis eſt neceſſaria,concluſio neceſſaria nõ erit.Nihil enim euenit,quod eſſe non poſsit, quemadmodum neque in ratiocinationibus uniuerſalibus.Eodem pacto ſe habet in priuantibus. Termini ſunt,Motus Animal Album.

CVM docuerit,Modos inter ſe diuerſos eſſe,Neceſſarias, Exiſtentes, & Contingentes ratiocinationes inuicem diuerſas,& earum etiam concluſiones diuerſas:nunc modum exiſtentem cum neceſſario miſcet, & conſiderat, qualis concluſio ex huiuſmodi mixtione inferatur. Atque in ratiocinationibus uniuerſalibus aientibus,& negantibus,& in particularibus regulam quandam præbet.Maiorem, inquit, propoſitionem concluſio ſequitur: nam ſi maior neceſſaria ſit,concluſio neceſſaria erit:ſi exiſtens, concluſio quoque exiſtens.

Accidit autem interdum.Id dixit,declarans ex neceſſariæ & exiſtentis propoſitionis mixtione non ſemper neceſſariam concluſionem,ſed quandoque inferri:quod fit, cùm maior neceſſaria ſit. Has duas ratiocinationes ex maiore uniuerſali aienti neceſſaria,uel negante uniuerſali neceſſaria,& minore uniuerſali aiente exiſtenti conflatas roborat,& ex terminis de Omni,& de Nullo demonſtrat. Quare quoniam maior neceſſaria eſt,Neceſſarium ſemper eſt,quod à ſubiecto ſeiungi non poteſt. qui dixerit A omni B ex neceſsitate,ſtatim in ipſa Omnis ex neceſsitate comprehenſione unà ipſum C aſſumpſerit:ut contrà, qui dixerit A nulli B ex neceſsitate,non ſolum A ab ipſo B ſed etiam C, quod eſt ipſius B pars, abalienauerit. Cumq́; maior exiſtens ſit,minor neceſſaria,quoniam natura eius, quæ ineſt,poteſt non eſſe: reſtat, ut qui dicet A omni B, ut ineſt,poſsit A ab ipſo B ſeparare,& dicere A nulli B, quiq́; dicit A nulli B, omni dicere etiam poteſt.Et quoniam eſt ita natura comparatum,ut A ab ipſo B ſeparetur, concluſionem ex omni & nullo demonſtrare non potuit,ſed ea uſus eſt deductione,quæ ad id,quod fieri nequit,deducit.

Si autem A B. Hoc eſt,ſi A B propoſitio neceſſaria non eſt,ſed exiſtens,& B C neceſſaria, concluſio non neceſſaria,ſed exiſtens erit.

Nam ſi eſt,ſi quis uidelicet dixerit neceſſariam concluſionem induci, cum maior exiſtens ſit, A alicui B neceſſario ineſſe,& nulli ineſſe,ut ineſt,continget. A enim omni B,ut ineſt,poſitum eſt, cumq́ue ineſſe à ſubiecto poſsit diſiungi,A quoq; à B diſiungi poteſt, ut dicamus A nulli B ineſt,ut inſit. Sed Omni, ut inſit,pro Nullo accipere,falſum eſt:nec tamen impoſsibile erit,ut Fieri nequeat:nam quid tandẽ eſt,cur fieri non poſsit,ſi Socratem ſedentem,de quo etiam ſedere,ut ineſt,enunciatur, dicamus ſtare eo ipſo tempore quo ſedet,(mentietur enim,qui Socratẽ dixerit ſtare)niſi fortè Socrates ſtare nõ poſſet?quare mendacium non eſt, quod fieri nõ poteſt,ut fiat,at quod fieri non poteſt,ut fiat,falſum eſt. A omni B ut ineſt,B omni C neceſſario,A igitur omni C ut ineſt.In qua concluſione ſiquis obiecerit nõ inferendum eſſe omni ut ineſt, ſed omni neceſſario,eſto:uerùm,ut tu inquiſti,A omni C ex neceſsitate, C alicui B ex neceſsitate, & tertius primæ figuræ modus fiet,qui A alicui B neceſſario ineſſe cõcludet.Poſitũ uerò eſt,A omni B ut ineſſe cui inquã B, A quoq; nulli ineſſe contingit.Quippiã igitur abſurdi infertur,A ſcilicet,alicui B ex neceſsitate,

tate,&,nulli ineſſe ut ineſt. Quod illatum eſt, propterea quòd A omni C ex neceſsitate ineſſe ſubieciſti: cumq́; id à tua ſubiectione inductum ſit, A omni C ineſſe,ut ineſt,uerum erit. Poteſt hoc etiam per primum modum figurę primę hoc pacto demonſtrari: A omni C ex neceſsitate ineſt,ut tu ais, B omni C ex neceſsitate, A igitur alicui B ex neceſsitate inerit.at erat etiam nulli at ineſt,nam Omni in Nulli fuit trāſmutatum,ut clarius abſurdum appareret,ac demonſtraretur,ſi A omni B ex neceſsitate,& B alicui C ut ineſt,erit hæc concluſio, A alicui C ex neceſsitate. C enim eſt ipſius B pars,at non totum C,ſed eius pars: ac propterea A non de omni C,ſed de aliquo enunciatur, hoc eſt de parte C: quæ à B continetur:ut ſi C accipias album,ipſius pars erit olor.

Eadem erit enim demōſtratio. Hoc eſt cóncluſionē per eam, quę eſt ne nullo,demōſtrabis.nihil enim abſurdum contingit,etiam cum maior uniuerſalis,quæ ineſt,ſit:& minor particularis neceſſaria,ſi concluſio quæ inſit,inferatur.

De Mixtione Exiſtentis & Neceſſarij in ſecunda figura.

IN SECVNDA autem figura ſi priuans propoſitio neceſſaria ſit,concluſio erit neceſſaria: at ſi eiuſmodi enuncians fuerit,concluſio neceſſaria non erit:ſit enim primum priuans neceſſaria & A nulli B contingat, C autem tantùm inſit:quoniam igitur priuans conuertitur,& B nulli A contingit, A uerò omni C ineſt: B itaq; nulli C contingit,nam C ſub A eſt. Eodem etiam modo ſi ad C priuans iungatur:nam ſi A nulli C ineſſe contingit, C quoque nulli A ineſſe poterit. At A omni B ineſt:quare C nulli eorum quæ ſunt B contingit. fit enim rurſus figura prima: ergo neque B ipſi C,ſimiliter enim reciprocatur. Si uerò enuncians propoſitio neceſſaria ſit:concluſio neceſſaria non erit; inſit enim A omni B ex neceſsitate, C autem nulli tantum inſit: ſi ergo priuans conuertitur figura prima fit. In prima autem demonſtratum eſt,cùm ea priuans,quę ad maiorem adiungitur, neceſſaria non ſit: neque concluſionem neceſſariam eſſe futuram. Quo fit, ut nec in iis neceſſaria ſit. Si itē concluſio neceſſaria eſt,accidit C alicui A ex neceſsitate non ineſſe. Si enim B nulli C neceſſariò ineſt, C quoque nulli B neceſſario inerit, B autem alicui A ineſſe neceſſe eſt,ſiquidem & A omni B neceſſario inerat:quare C alicui A non ineſſe neceſſe eſt. Nihil tamen prohibet,quin A huiuſmodi capiatur,cui omni ineſſe C contingat. Ad hæc liceret terminos exponentem demonſtrare concluſionem non eſſe abſolutè neceſſariam. Sed ſi hi ſint,neceſſariam quoque eſſe concluſionem:ut ſit A animal, B homo, C album, ac ſimiliter propoſitiones ſumptæ ſint:contingit enim animal nulli albo ineſſe,nulli albo igitur etiā homo non inerit. Verum id non ex neceſsitate:contingit enim,ut homo albus efficiatur,non tamen donec animal nulli albo inſit. Quamobrem uſque dum hi termini ſunt,concluſio neceſſaria quidem eſt,at abſolutè neceſſaria non eſt. Haud ſecus ſe habet in particularibus ratiocinationibus; quippe priuans propoſitio cum uniuerſalis,& neceſſaria eſt,concluſio neceſſaria erit:cumq; enuncians,& uniuerſalis eſt &,neceſſaria,priuans autem particularis non neceſſaria,non erit neceſſaria concluſio. Primum enim ſit priuans,& uniuerſalis,& neceſſaria,& A nulli B ineſſe contingat, C autem alicui inſit, quoniam ergo priuans conuertitur,& B nulli A ineſſe continget, A uerò alicui C ineſt: quare B neceſſario alicui eorum, quæ ſunt C, non inerit. Præterea ſit enuncians & uniuerſalis,& neceſſaria,& ad B enuncians ponatur,ſi ergo A omni B ex neceſsitate ineſt,& idem alicui C non ineſt, B alicui C non ineſſe,ſed non ex neceſsitate,perſpicuum eſt.nam iidem termini ad demonſtrationem ſuppetent,qui in uniuerſalibus ratiocinationibus capiebantur. At neque ſi priuans neceſſaria aſſumatur,in parte,cōcluſio neceſſaria fiet:eſt enim per eoſdem terminos demōſtratio.

SIT inquit primum priuans neceſſaria,& A contingat,hoc eſt nulli B neceſſario ineſſe contingat, A uerò inſit omni C ut ineſt:cōcluſio B nulli C neceſſario,inferetur. Si igitur conuerteris A B, dixeriſq; B nulli A ex neceſsitate, A uerò omni C ut ineſt,fiet ſecundus modus primæ figuræ,& cōcluſio maiorem ex concluſionibus ſequetur,atq; neceſſariam fore affirmamus, B nulli C ex neceſsitate ineſſe.

Si item concluſio neceſſaria eſt. Huiuſmodi eſt,quod ait,ſi A omni B ex neceſsitate, A quoq; nulli C ut ineſt,concludetur B nulli C ut ineſt,quæ ratiocinatio eadē eſt cum ea,quæ ſuperius dicta eſt: quam per deductionem ad id quod fieri non poteſt, cōfirmat. At ego dico ſi B nulli C neceſſario ineſt, C quoq; nulli B ex neceſsitate futurum. Nullus enim in ſeſe conuertitur,hanc omnis conuertito,& dicito B alicui A ex neceſsitate,& C non omni A ex neceſsitate,concludes:& hæc eſt ad id,quod fieri nequit,deductio. Verùm ut hoc ipſum clarius,& apertius uideatur,cōuerte etiam A C, ut dicas, A nulli C ut ineſt, erit etiā C nulli A, ut ineſt:quodq́; nulli ineſt,omni inerit,ut demonſtrauimus: eſt igitur C omni A, ut ineſt: ac per memoratam deductionem C non omni A ex neceſsitate ineſſe inductum eſt.cumq́; abſurdū ſequatur, C omni A ut ineſt,& nō omni ex neceſsitate ex eo,quod ſubieciſti B nulli C neceſſario ineſſe,reſtat, ut tua ſubiectio falſa ſit,& admitti non queat.cum enim abſurdum ponitur, ex eo aliquid abſurdi conſequitur. Verum igitur eſt,quod B nulli ineſſe,ut ineſt,dicebatur. Equidem aio B nulli C ineſſe ut ineſt,at ſi concluſio,ut tu inquis,neceſſaria eſt,& B nulli C ex neceſsitate ineſt, C alicui A neceſſario non ineſſe continget,hæc concluſio A nulli B ex neceſsitate ineſſe inferetur:ſed B alicui A ex neceſsitate ineſt. Siquidem pro,quoniam poſitum eſt. Illud,quod ait, tale eſt:Quoniam A non omni B ex neceſsitate non

inſuit conuertetur,& B alicui A non inerit,at neceſſario ineſt.nihil uerò prohibet, quin A C ſic dicendo conuertere poſsimus: A nulli C ut ineſt,erit etiam C nulli A eodem modo.Eiuſmodi quoq; A ſumatur, de quo C de omni enuncietur.Didicimus enim C nulli A ineſſe ut ineſt: erit etiam omni. Præterea per terminos concluſionem ſimpliciter neceſſariam,hoc eſt propriè neceſſariam non eſſe demonſtrabitur.

Neceſſarium duplex eſt,& bipartitum,uidelicet propriè neceſſariũ,quod abſolutè,libereq́;,ac ſine ulla determinatione dicitur:uelut ſi quis cœlũ,uel ſolem neceſſario dicat moueri. Et neceſſariũ ex ſubiectione, quod non proprie neceſſarium appellandum eſt,ſed æquale ei,quod ineſt,quod etiam cum determinatione effertur:ut ſi quis Socratem ſedentem dicat neceſſe eſſe ut ſedeat, dum ſedeat modo.

Quare uſque dum hi termini ſunt. Hoc eſt animal,Homo & Album,erit animal hominem cõprehendens,quod de albo non dici ponebamus. Homo igitur animalis pars nulli albo inerit, at non propriè ex neceſsitate. Quomodo enim propriè neceſſario homo de albo non dicetur,cùm hominem quandoq; album fieri contingat? At fieri non poteſt,ut homo fiat albus:quare animal quoq; de albo dici non ponetur. Quo fit,ut iis terminis ſic acceptis concluſio neceſſaria,ea inquàm neceſſaria cum lege,& conditione, ac ſubiectione,& æqualis exiſtenti,non autem abſolutè,ac proprie neceſſaria inferatur,ac Mixtio quidem eſt duarum propoſitionum ex materia coniunctio.

Mixtiones Exiſtentis, & Neceſſarij in tertia figura.

IN POSTREMA autem figura ſi termini uniuerſales cum medio componantur,& utraque aiens ſit,alteruter fuerit neceſſarius,concluſio nimirum erit neceſſaria. At ſi hæc priuans,illa enuncians ſit.ſiquidem priuans neceſſaria fuerit,concluſio neceſſaria,non ſecus erit. Sin autem enuncians erit neceſſaria,non erit neceſſaria concluſio. Sint enim primum utræque propoſitiones enunciantes,& A & B,omni C inſint,neceſſaria autem A C ſit: quoniam ergo B omni C ineſt, C alicui B inerit: eo quòd uniuerſale cum particulari reciprocatur.ut ſi A omni C neceſſario ineſt,& C alicui B ineſt,A quoq; alicui B inſit neceſſe eſt:nã B ſub C eſt:prima igitur figura fit.Similiter autẽ oſtẽdetur,ſi etiã B C neceſſaria ſit. C enim cũ aliquo A reciprocatur:quãobrẽ ſi B omni C ex neceſsitate ineſt,C aũt alicui A,efficietur,ut B quoque alicui A neceſſario inſit.Præterea ſit A C priuans,& B C affirmans, neceſſaria autem priuans: quoniam igitur aiens reciprocatur, C alicui B inerit: A uerò nulli C neceſſario inerit, neque A alicui B inerit neceſſario: nam B ſub C eſt. At ſi enuncians neceſſaria ſit, concluſio neceſſaria non erit. ſit autẽ B C priuant & neceſſaria, A C autem priuans,& non neceſſaria, quoniam aiens reciprocatur, C quoque alicui B neceſſario inerit. quare ſi A nulli eorum, quæ ſunt C ineſt, C autem alicui eorum, quæ ſunt B, & A alicui eorum quæ ſunt B non inerit: non tamen neceſſariò, quippe cùm in prima figura cum propoſitio priuans neceſſaria non eſt, concluſionem neceſſariam non fore demonſtratum ſit. Demonſtrabitur iterũ per terminos: Sit enim A bonũ B animal, C equus: bonum ſanè nulli equo ineſſe contingit, animal uerò omni equo inſit neceſſe eſt: at non neceſſe eſt, aliquod animal non eſſe bonum:ſiquidem omne bonum eſſe contingit. Vel ſi id minime fieri poterit, Vigilare,aut Dormire pro termino ponemus:quippe cùm omne animal horum capax ſit. Collocatis igitur terminis uniuerſalibus ad medium,hoc pacto dictum eſt nobis,quando concluſio neceſſaria fiat.ſi autem hic quidem uniuerſalis,ille particularis ſit,enuncianſq; uterq; exiſtat: ſi uniuerſalis neceſſarius fuerit, erit neceſſaria concluſio. Eadem uerò eſt demonſtratio,quæ & prius:nam particularis enuncians reciprocatur.Nam ſi neceſſe eſt, B omni C ineſſe, A uerò ſub C eſt, neceſſe quoque eſt B alicui A ineſſe. Si autem B alicui A, & A alicui B ineſſe, quia reciprocatur,neceſsitas cogit. Eodẽ etiã modo, et ſi A C ſit neceſſaria uniuerſalis: nam B ſub C eſt. Si uerò particularis neceſſaria eſt, concluſio non eſt neceſſaria. Sit enim B C particularis, & neceſſaria, A autem omni C inſit, non tamen ex neceſsitate: ſi igitur B C reciprocetur, prima figura euadet,& uniuerſalis propoſitio non neceſſaria, particularis autem neceſſaria. At quando propoſitiones ſic ſe habebant, concluſio neceſſaria non erat: Itaque neque in iis erit. Ex terminis quoque perſpicuum idem fit: ſit enim A uigilia, B bipes, C animal, B quidem alicui C inſit neceſſe eſt: A autem omni C ineſſe contingit. & A ipſi B neceſſario non ineſt, quoniam nequaquam neceſſe eſt, ut aliquis bipes dormiat, aut uigilet. Similiter per eoſdem terminos demonſtratio fiet: ſi etiam A C particularis & neceſſaria fuerit, & concluſio neceſſaria non euadet. at ſi alter terminorum enuncians ſit,alter uerò priuans, ſiquidem uniuerſale priuans, & neceſſarium fuerit, concluſio neceſſaria erit. Si enim A nulli C ex neceſsitate contingit,B autem alicui C ineſt,A alicui B non inſit neceſſe eſt.Quando autem aiens neceſſarium ſiue uniuerſale, ſiue particulare, aut priuans particulare ponetur, concluſio neceſſaria non erit.nam reliqua eadem,quæ & ſupra,dicemus. Termini uerò cum uniuerſale aiens eſt neceſſarium, Vigilia, Animal, Homo: homo medium eſt, cùm autem particulare enuncians eſt, Vigilia, Animal, Album, animal enim neceſſe eſt alicui albo ineſſe: uigilia autem contingit, ut nulli inſit, & non neceſſe eſt alicui animali uigiliam non ineſſe. Cùm uero priuans particulare neceſſarium eſt, termini erant Bipes, Quod mouetur, Animal, medium

dium

dium animal. Perſpicuum igitur eſt Exiſtendi ratiocinationem non eſſe, niſi utraque propoſitio ineſſe ſignificet: at neceſſarii, eſſe, etſi altera tantum neceſſaria eſt. In utriſq; autem ſeu aientes, ſeu priuãtes ratiocinationes ſint, alterã propoſitionũ concluſioni ſimilẽ eſſe neceſſe eſt. Similẽ inquã, ut ſi exiſtẽs ſit, exiſtẽtem: ſi neceſſaria, neceſſariam. Ex quo fit manifeſtum, neq; neceſſariam, neq; exiſtentẽ concluſionẽ futuram eſſe, niſi propoſitio neceſſaria, aut exiſtẽs ſumpta fuerit. De neceſſario igitur quomodo fiat, & quam ad id, quod ineſt, differẽtiam habeat, ſatis penè dictũ eſt nobis.

CVM Neceſſarii, & Eius quod ineſt, miſtionem in prima, & ſecunda figura declarauerit: cumq́; oſtenderit quales, quantæq́; concluſiones fiant, ex reciprocatione maioris neceſſariæ, uel exiſtẽtis, cùm tantummodo quartum modum ſecundæ figuræ poſſet per reciprocationem demonſtrare, propterea quòd Non omnis in quiddam determinatum non reciprocatur, non poterat etiam hanc Omnis, conuertere: ne duæ particulares propoſitiones euaſiſſent, & inutilis figura reſultaret, per terminos demonſtrat concluſionem exiſtentem induci, ſiue Omnis, ſiue Non omnis neceſſaria capiatur: nunc autem in tertia figura ab Omni, & Non omni docet neceſſariam concluſionem inferri, ſiue minor propoſitio, ſiue maior neceſſaria aſſumatur. Semper enim propoſitio ineſſe ſignificans reciprocatur, & illinc maior neceſſeria comperitur: explicauit enim concluſionem ſequi maiorem propoſitionem. Quæritur, quid cauſæ ſit, cur ſolam Exiſtentem in primo modo tertiæ figuræ, & non Neceſſariam conuertat? In qua quæſtione inquit Interpres Philoſophũ morem ſuum ſeruaſſe ita enim ſcriptum reliquit. Eſt hoc in more poſitum, inſtitutoq́; maiorum: quæ ſolutio debilis uidetur. Nos autem iuſtis de cauſis ſolam Exiſtentem conuerſam dicimus, quoniã Philoſophus ad Neceſſarii, & Exiſtentis naturam reſpiciebat. Neceſſarium enim immobile eſt, mutationis expers, & ſemper ineſt: ſemper enim homo rationis compos eſt, ſemperq́; reſpirat, atq; in iis mutationem nõ habet. At quod ineſt, moueri quidem poteſt, & immutari: non enim ſemper Socrates ſedet, uadit'ue, ſed quandoque quieſcit. Quinetiam ipſemet Philoſophos inquit, quod omni ineſt, nulli etiam ineſſe. Cum igitur Exiſtentis mutabilitatem reſpiceret, quodq́; idem non ſit ſemper, propoſitionem exiſtentem in hoc modo præbuit, quæ ſola conuertatur.

Per terminos iterum demonſtrabitur. Poſteaquam ſecundum modum tertiæ figuræ per reciprocationem demonſtrauit: ſecundum inquam, ex maiore propoſitione uniuerſali negante, quæ ineſt, & minore aienti neceſſaria concluſionem non omni, ut ineſt, inferre: idem ipſum per terminos ſuſcipit demonſtrandum. Bonum, inquit, nulli equo ineſſe contingit, ut ineſt: animal autem omni equo inſit neceſſe eſt.

Illud autem, At non neceſſe eſt aliquod animal non eſſe bonum, ſumendum eſt perinde, ac ſi diceret, Sed non omne animal ex neceſsitate bonum eſt. quod huic æquale eſt, Bonum non omni animali, ut ineſt. quæ concluſio eſt. quo nam enim modu bonum non omni animali ex neceſsitate inerit, ſiquidem omne animal bonum eſſe contingit? etenim unumquodq; animal boni quicquam innatum habet.

Vel ſi id minime fieri poterit. Hoc eſt, ſi non continget, omne animal bonum eſſe. Hæc dicta ſunt propter quædam animalia peſtiſera, & noxia, ut ſcorpius, aſpiſq́;, & baſiliſcus: huiuſmodi ſanè termini propter eam, quam habent, ambiguitatem, ſunt prætermittendi. Accipiatur igitur pro A uigilia, uel ſomnus, quæ in omnia animalia cadere poſſunt.

Eadem uero eſt demonſtratio, quæ & prius. Particularium inquam ratiocinationum concluſiones uel per conuerſionem, uel terminos, uel per utrunque demonſtrabis.

Quando autem aiens neceſſaria, uel uniuerſalis, uel particularis. Vniuerſale aiens neceſſariũ eſt, ut A non omni C ut ineſt, & B omni C neceſſario. Particulare aiens neceſſarium eſt, ut A nulli C ut ineſt, & B alicui C ex neceſsitate.

Aut priuans particularis ponetur. Hæc ſcilicet, non omnis, eſt neceſſaria, ut A non omni C ex neceſsitate, & B omni C ut ineſt: quæ quidẽ tres ratiocinationes expoſitæ concluſionẽ exiſtentem inducunt.

Nam reliqua eadem, quæ & ſuperius, dicemus. In iis tribus ratiocinationibus reliqua omnia eiuſmodi eſſe affirmabimus, quæ in præcedentibus diximus: nam ut illæ nobis compertæ ſunt, & cognitæ, uel per terminos, uel per conuerſionem, uel etiam per horum utrunque, ſic hic in iis faciemus, ac duas, quæ ab Non omnis, & Omnis coaleſcunt, robur ac firmamentum habere per terminos tantum demonſtrabimus: quippe quæ per conuerſionem demonſtrari non poſsint, propterea quòd Non omnis determinatè nó conuertitur, quodq́; Omnis in hanc Aliquis tranſmutatur. At eam, quæ à nullus, & aliquis conflatur, & per terminos, & per conuerſionem demonſtrare poterimus.

Eſt igitur perſpicuum eius, quod ineſt, ratiocinationem non eſſe, niſi utraq; propoſitio ineſſe ſignificet. Hoc dicitur propter primum modum primæ figuræ, quandoquidem ille ſolùm ineſſe concluſionem infert, cùm præſertim utraſq; propoſitiones ineſſe ſignificantes habeat. At ſi alteram exiſtentem, alteram neceſſatiam habuerit, neceſſaria erit concluſio.

In utriſq; autem ſeu aientes, ſeu priuantes ratiocinationes ſint. Hoc eſt, in utriſque ratiocinationibus ſeu aientibus, ſeu negantibus: in quibus miſtio propoſitionum exiſtentium, & neceſſariarum fit.

Alteram propoſitionem concluſioni ſimilem eſſe neceſſe eſt. Si inquam concluſio neceſſaria fuerit, altera è propoſitionibus, maior erit neceſſaria: at ſi concluſio exiſtens, altera propoſitionum, maior ineſſe ſignificabit: quod ſi utræque propoſitiones contingentes fuerint, uel altera contingens, altera, quæ fieri poſsit, non erit concluſio neceſſaria, nec exiſtens, ſed contingens, uel quæ fieri nequeat, niſi propoſitio

neceſſaria,

neceſſaria,uel exiſtens capiatur.

De neceſſaria igitur concluſione,quomodo fiat. Hoc eſt,quomodo inferat, & in quo ea, quæ ineſt à neceſſaria differat,ſatis dictum eſſe uolumus. Illud autem, Penè, ob modeſtiam Philoſophus adiunxit. Præterea ratiocinatio aiens appellatur, quæ cõcluſionem aientẽ infert,hoc eſt, Omni,ex Omni & Omni: uel Alicui, ex Omni & Aliquo, ut in tertio modo primæ figuræ. Inducitur etiam Alicui ex Omni, & Omni, quemadmodum in primo modo tertiæ figuræ fieri uidemus. Negans ratiocinatio ea uocanda eſt,quæ negantem concluſionem,hoc eſt Nulli inuert, uelut in Nullo & Omni in ſecundo modo primæ figuræ:atq; in primo ſecundæ,& tertiæ:uel Non omni,à nullus,& aliquis,ut in quarto modo primæ figuræ,& in tertio,& quarto ſecundæ. In tertia quoq; poteſt non minus induci. Item cùm ait,In utriſq; ſeu aientes,ſeu negantes: per omnes ratiocinationes digreſsionem quandam facit, & inquit in utriſq; ratiocinationibus aientibus, ſeu priuantibus, quæ ex mixtione neceſſaria & exiſtente coaleſcunt, neceſſariam concluſionem quæ ſequitur,uni ex propoſitionibus ſimilem eſſe.

De Contingenti.

DE Contingẽti deinceps dicemus,quomodo & quo pacto,& per quæ fiat ratiocinatio. Contingere autem & Contingens dico, quod cùm neceſſarium non ſit, ponaturq; ineſſe, nihil inde, quod fieri nequeat, conſequitur. Neceſſarium enim ambiguè contingere dicimus. Id uerò Contingens eſſe,& ex affirmationibus,& negationibus oppoſitorum manifeſtum eſt.nam Non contingit ut ſit,Fieri non poteſt ut ſit,& Neceſſe eſt,ut non ſit:uel eadem ſunt,uel ſequuntur ſeſe. Quo fit,ut quæ iis opponuntur,uidelicet Contingit ut ſit,Non fieri non poteſt ut ſit,& Non neceſſe eſt ut non ſit : uel eadem ſint,uel ſeſe inuicem conſequatur : quippe cùm de omni affirmatio ſit,uel negatio. Erit igitur cõtingens Non neceſſarium,& Non neceſſarium Contingens. Euenit autem ut omnes propoſitiones,quæ contingentes ſunt,uiciſsim reciprocentur:nõ tamen dico aientes in negantes,ſed quæcunq; aientium rationem per oppoſitionem ſortiuntur:ut hæc,Contingit ineſſe,cum hac,Contingit non ineſſe:& Omni contingit,cum ea,quę Nulli, uel Nõ omni contingere, ait:& Alicui,cum hac,Non alicui. Eodem quoque modo in cæteris : nam propterea quòd contingens neceſſarium non eſt,quod autem non eſt neceſſarium poſsit non ineſſe, patet ſi A ipſi B ineſſe contingat,contingere etiam non ineſſe : atq; ſi omni contingit ineſſe, omni quoq; non ineſſe contingere. Haud ſecus in particularibus affirmationibus,eadem enim eſt demonſtratio. Huiuſmodi propoſitiones non priuantes, ſed aientes ſunt:nam Contingere eandem, quam ipſum uerbum Eſſe,rationem ſubit,ſicut dictum eſt prius.

NECESSARII, & eius quod ineſt,differẽtiã cum tradiderit, qualeſq; concluſiones fiant ex duabus propoſitionibus neceſſariis,& duabus exiſtẽtibus cùm indicauerit,ac prolixius mõſtrauerit quales'nã concluſiones ex mixtione neceſſariæ,& exiſtentis propoſitionis inferantur, dixeritq; concluſionem ſequi maiorem è propoſitionibus:nunc de Contingenti ſermonem inſtituit,in quo explicabit,qualiter ex Contingenti,atq; ex contingentis propoſitionis,& eius quę ineſt,necnon ex cõtingentis,neceſſariæq; mixtione concludatur. Sed antequam horũ doctrinam tradat,Cõtingentis definitionem,atq; eius ſignificationes,& quonã modo propoſitionũ cõtingẽtiũ aientiũ,& negantiũ reciprocationes fiãt,palàm nobis facit : ac prius illas nos ratiocinationes docet,quę ex neceſſario,& eo,quod ineſt,cõſtãtur:quã eas,quę ex duabus propoſitionibus cõtingẽtibus,uel ex cõtingẽtibus,& neceſſariis,uel exiſtẽtibus coaleſcũt;ꝓpterea quod perceptio neceſſarii,& eius quod ineſt,altera ſimplicior cẽſeatur. Doctrina enim ratiocinationũ ex cõtingẽtibus propoſitionibus,& ex cõtingenti,& neceſſaria,uel ea quę ineſt,difficilis eſt, & ardua,nec expers ambiguitatis.

Quando fiat ratiocinatio,Hoc eſt,non ſit utcunq; propoſitiones ponantur,ſed ratiocinatio fit, uel ex duabus aientibus,uel ex neganti atque aientiat ex duabus particularibus, atque ſi maiot aiens fuerit, minor negans,ratiocinatio non fiet.

Quomodo,Hoc eſt,ſi medius terminus maiori extremitati ſubiiciatur,deq; minori enuncietur,prima figura fietat ſi de utriſq; extremitatibus dicetur,ſecũda figura euadet:ſi uerò ambabus ſubiiciatur extremitatibus,tertia figura formabitur. Cõtingentis poſtea definitionẽ tradit. Cùm autẽ dixerit neceſſariũ, & quod ineſt,cõtingens,huius rei gratia ait, Contingere autem,& contingens dico.propriè Cõtingẽs eſt,quod cùm nõ ſit,fieri tamẽ poteſt;quẽadmodũ ſedẽti nõ ineſt,ut ſtet,nec quieſcẽti,ut gradiatur:attamẽ & hic ſtare,& ille gradi poteſt:atq; is,qui nõ lotus eſt,lauari poteſt. Igitur propriè Cõtiogẽs eſt, quod cùm eius euentũ neceſſariũ non ſit,nõ eſt:ut,Socratem cras lotum iri.nam cùm in ipſiuſmet Socratis uoluntate ſitum ſit,ut lauetur,uel non lauetur, huiuſce rei euentus nec neceſſarius eſt,nec poteſt non euitari. Si quis Socratẽ,qui ſe non lauerit,lotum dixerit,mentietur:nihil tamen inde eueniet,quod fieri nequeat:nã quod fieri nõ poteſt,eſt etiam falſum:ueluti ſi Socratẽ uolare dicatur,quod & fieri nequit,& falſum eſt: nõ lotũ autem eſſe ſi dicamus lotum,mentiemur. Id tamẽ ex iis non erit,quæ fieri nequaquã poſſunt. Quod nõ eſt,uel neutiquã alicubi eſt,& illud efficit,quod fieri nequit,in qua ſignificatione dicitur Hircoceruus, uel Hippocẽtaurus,qui nõ eſt,atq; etiã Formicaleo,uel quod nõ eſt,fieri poteſt,& euenire,& propriè cõtingẽs facit,nam quieſcẽs nõ ambulat,poteſt quidẽ ambulare. Cũ definiret Cõtingẽs,inquit illud eſſe,quod neceſſariũ nõ eſt,neq; per euentũ neceſſariũ contingit. In tribus figuris inquit dici etiam neceſſariũ cõtingẽs,

ac prop

ac propterea nunc ait,Etſi neceſſarium contingens dicamus in trium figurarum doctrina, tamen cùm neceſſarium contingere dicimus,illud homonymè dici,hoc eſt,nomine contingentis appellari.Nomen enim contingentis neceſſarium ſuſcipit, at non per definitionem: quapropter qui hominem pictum hominem dixerit,homonymè hunc hominem dixerit. Eſt etiam demonſtraturus contingentis definitionem rectè fuiſſe attributam,præſertim cùm inquit,Id uerò contingens eſſe:Id eſt,cuius euentum neceſſarium non eſt:neque ſi ad opus non perueniat,cùm tanqnam factum ſubiiciatur, quicquam, quod fieri nequeat, non facit euenire,manifeſtum id eſt ex affirmationibus & negationibus neceſſarii,& cõtingentis, & eius quod fieri nequit,quæ repugnanter opponuntur,quas ſi ſumpſeris,contingens,nec eſſe neceſſarium,nec id,quod fieri nequit comperies.Etenim hæ,Non contingit ut ſit,Non fieri poteſt ut ſit, & Neceſſarium ut non ſit, uel idem ſignificant,(non enim contingit hominem pennatum eſſe,& fieri non poteſt,ut inſit, & neceſſarium eſt,ut pennatum non inſit)uel ſeſe conſequuntur,hoc eſt ſimul ueræ ſunt. Hæ uerò,Contingit,ut inſit,Non fieri non poteſt ut inſit,& Non neceſſe eſt ut non inſit, repugnanter illis, Non contingit, ut inſit, Non fieri poteſt ut inſit,& Neceſſarium eſt ut non inſit,opponuntur.Hæ quoque eiuſmodi ſunt, uidelicet Contingit ur inſit, Non fieri non poteſt,& Non neceſſarium eſt ut non inſit, quatenus idem ſignificant: (contingit enim hominem album eſſe,& non fieri non poteſt,ut albus ſit, & non neceſſe eſt, ut non ſit albus)uel ſe mutuo conſequuntur:hoc eſt,ſimul ueræ ſunt.nam in diſparatis, & repugnantibus de omni re, uel affirmatio uera eſt,uel negatio:ſiquidem, Contingit ut inſit, non uera eſt, aut has, Fieri non poteſt, & Neceſſarium ut non inſit,conſequitur, (Nam hæ duæ conſequuntur hanc Non contingit ut inſit) neceſſe erit,ut hanc Contingit ut inſit,conſequatur:hæcq́; Non fieri non poteſt ut inſit,& Non neceſſe eſt ut non inſit.Rectè igitur propriè Contingens eſſe definimus, cum illud eſſe aſſerimus, quod non neceſſarium eſt, ut inſit,neque quod non fieri non poteſt.

Euenit autem,ut omnes propoſitiones,quæ contingentes ſunt. Definitio reciprocationis neceſſariarum propoſitionum,& earum,quæ inſunt, erat communitas duarum propoſitionum ad utroſque terminos,eadem qualitate remanente ordine terminorum immutato,uera dicendo. At reciprocationis contingentium propoſitinnum definitio eſt,communio duarum propoſitionum ad utroſque terminos, & eadem remanente qualitate,& terminorum ordine conſeruato, ut uerum dicatur: ueluti ſi lauati contingit omni homini,contingit etiam,ut nulli inſit. Vide quonam pacto Omnis in Nullus ſe conuertat, ac quomodo communicent inter ſe ipſæ duæ propoſitiones, quatenus eoſdem terminos habent,quomodoq́; ſubiectus terminus,atque is,qui de ſubiecto effertur,idem in utriſque propoſitionibus maneat: demum quomodo qualitas propoſitionis uniuerſæ aientis in qualitatem uniuerſam negantem conuerſa ſit, & uniuerſa negans in aientem rurſus fuerit tranſmutata. Enimuero ſi album nulli homini ineſſe contingit, omni etiam contingit,& quæ ſunt in parte,in eas rurſus,quæ in parte ſunt,conuertuntur.Nam ſi aliquem hominem grammaticum eſſe contingit,non omnem quoq; hominem eſſe grammaticum continget: ſiq́; grammaticum contingit non omni ineſſe,alicui itidem continget. Negantes propoſitiones in iis, quæ cum modo efferuntur, propoſitionibus eſſe didicimus, quæ negationem ipſi modo habent adiunctam: ut huius, Contingit omni,negantia eſt.Non contingit omni: & huius,Alicui contingit, hæc Non contingit alicui. Hæ uerò,Contingit non omni,& Contingit nulli,aientes propoſitiones ſunt, quæ cùm figuram habeant aientem per oppoſitionem,habent tamen & ipſæ negationis uim,qnatenus auferunt, ac refellunt. Oppoſitionem hoc loco pro pugna dictam eſſe,non ſecus,atque repugnãtiam, ſciamus oportet.pugnant enim inter ſe Omni ineſſe,& Nulli ineſſe:item Alicui, & Non alicui: tamen etſi pugnant,non ſunt repugnanter contraria.Igitur in contingenti aientes,& quæ uniuerſarum, & quæ ſingularum rerum ſunt,in negantes,negantesq́; in aientes reciprocantur,ut demonſtratum eſt prius.Negantes intellige non propriè negantes,ſed quæ cùm formam orationis aientem habeant,uim habent negationis.

Eodem modo in aliis. In aliis propoſitionibus,quæ modum,qui fieri poteſt,habent appoſitum, ſimili modo reciprocationes fiunt:propterea quòd modus,qui fieri poteſt,contingenti par eſt:nam ſi fieri poteſt, ut album omni inſit,fieri etiam poteſt,ut nulli inſit: atq; ſi fieri poteſt, ut lauari nulli inſit, fieri itidem poteſt,ut omni inſit.Si item fieri poteſt,ut lauari alicui inſit,ut non omni quoque inſit fieri poterit. Deinde quomodo aientes contingentis propoſitiones & negantes uiciſsim conuertantur,demonſtrat,atq; ait:Cùm ſit ex contingentis definitione declaratum,contingens neceſſarium non eſſe,non neceſſarium poteſt & nõ ineſſe:propterea ſi A contingit B ineſſe,contingit & nõ ineſſe: atq; ſi contingit A omni B ineſſe, non omni etiam,hoc eſt nulli,ineſſe contingit,Haud ſecus in affirmationibus,quæ in parte fiunt, aiens in negantem, & contra,reciprocatur.

Eadem enim eſt demonſtratio. Hoc eſt,ſi contingens non neceſſarium eſt,non neceſſarium uerò poteſt & non ineſſe,hæc,Alicui contingit,in hanc,Non alicui,& Non alicui,in Alicui reciprocabitur.

Huiuſcemodi ſanè propoſitiones. Hoc eſt,Contingit non omni,& Contingit nulli aientes ſunt, ſed non priuantes;nam Contingit in propoſitionibus contingentibus in eodem ordine ſtatuitur, atque ipſum Eſt,uelut in propoſitionibus ex ſubiecto termino,& eo qui de ſubiecto effertur,conflatis: atque cùm uerbum Eſt in oratione tertium dicitur,tertium'ue locum occupat,ut Homo iuſtus eſt,tunc fit negantia,cum Eſt Non negationem aſſumit: ut,Homo iuſtus non eſt. Quod ſi Iuſtus negationem ſuſcipiat,affirmationẽ ex permutatione,non autem negationem faciet.Sic etiam in illis fit,quæ modum habẽt, in quibus ſi Non

negatio

negatio ante modum ponitur,negatio fit;ut Album non contingit omni ineſſe:at ſi modus Non negationem nequaquam habuerit, erit ex permutatione affirmatio,ut, Contingit album omni homini,uel non omni ineſſe.

Hæc cùm determinauerimus,dicendum etiam eſt, Contingere dici dupliciter, & bipartito. Vno modo quod plerũq; fit,ſed efficere neceſſarium non poteſt,ut hominem caneſcere,uel augeri uel minui,aut omnino quod ineſſe aptum eſt.hoc enim coniunctum cùm non ſit,neceſsitatem non habet,uel ob eam cauſam,quòd homo nõ ſit ſemper:cùm tamen homo eſt;uel neceſſario,uel plerũq; eſt. Altero,indefinitum,quod ita,& ſecus eſſe poteſt:ut Animal ambulare,uel eo ambulante terræmotũ fieri,atq; adeo quod à fortuna euenit:nihil enim horum magis habilitatem habet,ita'ne,an aliter fiat. Vtrũq; igitur contingens in oppoſitis propoſitionibus,nõ tamen uno & eodem modo,reciprocatur:uerùm id quod aptum eſt,ut ſit,eo quod neceſſario ineſt,ſic enim contingit hominem canos emittere.Indefinitum uerò, eo quod nihilo magis ita,quam aliter ſe habeat,uel ſit habiturum.

POSTEAQVAM Contingentis definitionẽ determinauimus,atq; tradidimus,demõſtrauimusq́; quomodo contingentes propoſitiones reciprocentur:perpendit Philoſophus,quot habeat Contingens ſignificationes,ac de qua ſignificatione hæc doctrina ſit inſtituta,nobis declarat. Duobus igitur modis Contingens diuiditur,uno quod determinatum eſt,ac definitum,quod idem ſignificat ac,ut plerũq; aptũ ut fiat.quod tantũ abeſt,ut neceſſarium cõſtituat,ut etiã à neceſſasio, hoc eſt à perpetuitate exiſtendi multũ differat.Neceſſarium enim eſt,quod ſemper eſt.In hoc igitur,quod ut plerũq; eſt,natura & ars uerſantur: quippe cùm medicus ut plurimnm ad ſalutem reducat,ac ſanet,& ſæpe numero erret,atq; ægrotum perimat.Natura quoq; ut plurimũ hominem quinq; digitos habentem facit,ac ſępe aberrat,& hominem quatuor,aut ſex habentem digitos format,& producit.Homo etiam ut plurimum canos in ſenectute emittit, augeturq́;,aut deficit,& minuitur,ſæpe etiam homo in ſenectute non caneſcit,nec augetur: puer enim cũ natus eſt,ferè creſcit:in conſtanti ætate ferè decreſcit:homo uerò ut plurimũ in ſenecta minuitur,cùm macrior reddatur.Euenit tamẽ aliquem,non minutum,ſed magis obeſum,& maioris nutritionis factum eſſe capacem.Enimuero ſignificatio Contingentis ut plerũq; qua de agimus eſt, uelut hominem in ſenectute caneſcere,& eum,qui puer eſt,augeri,& in hominem euadere,atq; huius generis quàm plurima.

Aut omnino quod ineſſe aptum eſt. Hoc eſt,uel uniuerſum in quo natura apta eſt uerſari.

Neceſsitatem non habet. Non habet uidelicet,ut ſemper ita coniunctũ perpetuumq́;,& ſine interpellatione fiat. Vel eam ob cauſam,quòd homo non ſit ſemper. Moritur enim ſæpenumero prius, quàm ad ſenectam perueniat,atq; prius quàm creſcat,& uir fiat,uel cùm homo ſit,uiuatq́;,*ſæpe ei neceſſariò euenit,ut canos in ſeoectute emittat.Philoſophus igitur hoc animaduertens,uidelicet ex neceſsitate, in eo,quod ſemper fit,aſſumi,ſeipſum corrigens, inquit: Cum tamen homo ſit,uel neceſſario. Homo enim ut plurimum caneſcit,hoc eſt non ſemper,cùm ſæpe cani non fundantur:uel puer,non factus uir eſt. Hoc contingens ut plerunq; Definitum uocat,propterea quòd rerum natura fermè ſemper eueniat:raro enim fit,quin res efficiatur. Altero modo dicitur Contingens indefinitum,quod inquam indefinitum, in hæc ut æquè,& ut minus diuiditur. Aequè contingentia dicuntur ea quæ in electione conſiſtunt: quæ ut fiaot,aut non,electio in cauſa eſt.In electione eſſe aio,lauari,in forum ire,aliquò proficiſci,ubi dies feſti celebrentur:hæc omnia & ita,& ſecus,fieri poſſunt. Socrates enim lauari poteſt, & non lauari,ireq́;, & oon ire. Hæc æquè contingentia in electione eſſe ob eam cauſam dicuntur, quoniam ante rei euentum nihil magis natura comparatum eſt,ut uel affirmatio, uel negatio uera ſit: quoniam non magis poteſt Socrates non lauari,quàm in forum nõ proficiſci:nec minus lauari,quàm ire in forum: & propterea quòd utraque poſſuot æquè fieri,& non fieri,æquè contingentia,& indefinita appellantur:cùm determinatè affirmatio'ne,an negatio uera ſit,aut falſa,iudicare non poſsimus. Affirmatio enim & negatio antequam res eueniat,æquè uera eſt,ac falſa.

Vel eo ambulante terræmotum fieri,atque adeo quod à fortuna fit. Si quis fodiens theſaurum reperit,illud contingens ut minus indefinitum dicitur,propterea quòd rarenter, & ut minus rem fieri contingat,& preter omnem ſpem eueniat,quemadmodum ſi fodiens quiſpiam theſaurum inueniret: aut ambularet,& terræmorus fieret: quæq́; ad id genus ſpectant. In iis omnibus contingentis ſignificationibus per oppoſitas propoſitiones reciprocationes fiunt,hoc eſt affirmationes in negationes,& negationes in affirmationes conuertuntur:non tamen eodem modo conuerſiones fiunt,ſed quod aptum eſt,ut ſit, hoc eſt contingens ut plerunque,in quo maximè agit natura,in oegationem conuertitur:quoniam natura nequaquam ex neceſsitate,& ſemper uenit ad propoſitam metam. Sæpe enim, ut dictum eſt prius, quatuor digitorum hominem facit,& ob id affirmatio locum habet raro uera dicendi. Indefinitum. Id eſt, ut æquè contingens affirmationem in negationem conuerſam habet. Propterea quòd nihilomagis uerum ſit affirmationem, aot negationem ita ſe habere, aut habituram eſſe, quàm aliter. æquè enim, ut demonſtrauimus, in affirmatione, & negatione uerum & falſum ante rei euentum ſpectatur. Nam cùm dixerit, Habeat; pro inſtanti:cùm uerò addiderit, Habituram eſſe, pro futuro ſumptum

ſuiſſe indicat. Eodem etiam modo Contingens ut minus negationem habet in affirmationem conuerſam, uel ex eo, quod ſodiens non ſemper theſaurum comperiat, ſed raro in theſauri inuentionem cadat. Illius etiam, quod ut plurimum eſt, affirmatio in negationem conuertitur, quòd natura, & ars nun ex neceſſitate, & ſemper ad propoſitum finem perueniant.

Scientia, Demonſtratiuaq; ratiocinatio ex indefinitis non eſt, propterea quòd huiuſmodi medium nullum certum ordinem ſortitur: ſed ex iis eſt, quæ fieri conſueuerunt, ac fermè omnes rationes, & ſpeculationes de eiuſcemodi contingentibus efficiuntur: ex illis quidem fieri ratiocinatio poteſt, non tamen inquiri conſuerunt. Sed hæc euidentius in ſequentibus explicabuntur: nunc quando, quomodo, & quænam ratiocinatio è propoſitionibus cõtingentibus fiat, dicamus. Quoniam Cõtingere ut hoc huic inſit, dupliciter ſumi poteſt, aut enim cui hoc ineſt, aut cui ineſſe hoc continget. Nam A cõtingere ei, de quo B, horum alterum ſignificat, aut de quo B dicitur, aut de quo dici contingit: at A ei cõtingere, de quo B, uel A omni B contingere, nihil intereſt. A igitur omni B ineſſe contingere dupliciter dici poſſe perſpicuum eſt.

RESERATIS ſignificationibus Contingentis, exponit in qua ſignificatione Scientia, Demonſtratio, ac Demonſtratiua ratiocinatio uerſetur. Ex indefinitis, inquit, hoc eſt ex contingenti ut æque, & ut minus, ratiocinatio non fit, nec Demonſtratio, propterea, quòd indefinitum inordinatum eſſe medium terminum eueniret. In eo enim quod ut æquè eſt, ſi maiorem terminum Lauari accipias, medium Hominem, minorem Socratem, medius terminus æque de medio affirmabitur, & negabitur. Ex eo autem, quod ut minus eſt, Ratiocinatio, ſimiliter & Demonſtratio non efficitur: ac propterea Demonſtrationes, & Ratiocinationes non ex iis ſunt, quæ raro fiunt, ſed uel ex iis, quæ ut plurimum, uel ex iis, quę ſemper ſunt, & ferme Rationes, Ratiocinationesq;, ac Conſiderationes, uel Ratiocinandi uię in eiuſmodi cõtingentibus conficiuntur, quæ ut plurimum ſunt. Addidit autem Fermè quoniam ratiocinationes non ſemper è contingentibus, quæ ſunt ut plurimum, ſed etiam è neceſſariis, atq; exiſtentibus, cõſtantur. Ex illis quidem. Hoc eſt, ex indefinitis contingentibus, ex eo inquam, quod ut ęquè, & eo quod ut minus, euenit, ut ratiocinatio fieri poſsit. non tamen conſueuimus in iis ratiocinationes, & cõiugationes facere, eo quòd medius ſit indefinitus. Scientiæ enim non indefinitorum, ſed definitorum ſunt. De his igitur Contingentis ſignificationibus diſſeremus, & latius in ſequentibus loquemur: in iis inquam, quæ dicturi ſumus, longiori uerborum ambitu illas ſignificationes perſpicuas faciemus. Nunc dicendum eſt, quando, & quomodo fiat, & quæ ſit Ratiocinatio, hoc eſt, qualis concluſio inferatur, ſi duæ propoſitiones contingentes fuerint.

Quoniam contingere ut hoc huic inſit. Contingere album ineſſe Socrati, dupliciter intelligendum eſt, uel quòd acciderit, & Socrati inſit. Et Album eſt, ipſum dealbari, quod Socrati ineſſe contingat, tanquã ei nondum acciderit, ſed ita ſit futurum, ut fiat, uerùm ut clarior fiat oratio mea, rurſus uerba Philoſophi explicanda ſuſcipientur. Quoniam, inquit, contingere hoc, ideſt, A huic, B ineſſe, duobus modis capitur: uel quod iam ineſt, & euenit, quod etiam Ineſſe dicitur: uel quod nondum ineſt, fieri tamen poteſt, quod propriè contingens eſt, planum eſt quomodo illud uerbum, Quoniam, ſit intelligendum: quod ſanè de contingenti, quod ineſſe ſignificat, dictum nunc eſt. In præſentia de contingenti proprio, quod nondum ineſt, poteſt tamen fieri, & euentum ſortiri, dicendum eſt nobis. Ponderanda ſunt etiam, quę Philoſophus ait: cum enim legitur, Nam A contingere ei, de quo B uel ſignificat, contingit, ut A inſit C, de quo B dicitur, hoc eſt, ut A eo modo, quo quicquam ineſt, ipſi C inſit, (nam hoc loco contingit, ineſſe ſignificat) uel A de C contingit, de quo B enunciatur, contingit inquam de C efferri, tanquam non eueniat, nec ei inſit. Præterea dicendo A, de quo B nihil ab hoc differt, A de omni B & de omnibus particulis B enunciari. Perinde ac ſi diceret, A de quo B, iudicat enim A de C de quo B dicitur, efferri: nam C eſt ipſius B pars.

Primùm itaq; dicamus, ſi de quo C dicitur, ei B contingit, & A ei, de quo B, quæ nam, & qualis fiat ratiocinatio. ſic enim utræq; propoſitiones contingentes ſumuntur: quando A ei contingit, de quo B ut ineſt, dicitur, altera exiſtens, altera contingens eſt: quare, ut in aliis fecimus, ab iis, quę eiuſdem formæ ſunt, initium ſumemus. Cùm igitur A omni B, & B omni C contingit, perfecta fit ratiocinatio, qua A omni C contingere ineſſe concluditur. Id autem eſt ex definitione perſpicuum: nam contingere omni ineſſe, ſic dicebamus. Eodem erit modo perfecta hæc ratiocinatio, A contingit nulli B, B contingit omni C, A igitur nulli C contingit. Nam A ei non contingere, de quo B fortuito dicitur, erat nihil ex illis relinquere, quę ſub B eſſe contingebat. Cùm A omni B, & B nulli C contingit, ex ſumptis propoſitionibus nulla fit ratiocinatio. at ſi B C reciprocentur, eadem fiet in contingenti, quæ & prius. Quoniam enim contingit B nulli C ineſſe, etiam omni ineſſe contingit: hoc ſanè prius dictum eſt: quare ſi B omni C, & A omni B, rurſus eadem ratiocinatio conficietur. Haud ſecus fiet, ſi ad utraſque propoſitiones negatio in contingenti adiungatur, hoc pacto: ſi A contingit nulli B & B nulli C per ſumptas propoſitiones ratiocinatio nulla fiet: at denuò conuerſis eadem erit, quæ & antea. Clarum igitur eſt, ſi negatio ad minorem extremitatem, uel ad utraſque propoſitiones apponatur,

tur, uel non fieri ratiocinationem. uel ſi fiat, non perfectam eſſe:nam ex reciprocatione neceſſarium perficitur. At ſi altera propoſitio rerum uniuerſarum, altera ſingularum ſumpta fuerit, & uniuerſalis ad maiorem extremitatem ſtatuatur, erit perfecta ratiocinatio. Etenim ſi A omni B contingit, & B alicui C, A alicui C continget, id quod ex definitione eius, quod de omni contingit, manifeſtum eſt. Præterea ſi A nulli B, & B alicui C ineſſe contingit, neceſſe eſt, ut A alicui C non ineſſe contingat, eademq́ eſt demonſtratio. Quòd ſi propoſitio priuans particularis capiatur, uniuerſalis autem aiens, & diſpoſitione ſimiliter ſe habeant, hoc eſt, ſi A omni B contingit, B alicui C non ineſſe contingat, ex acceptis propoſitionibus ratiocinatio non fiet, ſi tamen particularis reciprocetur, & ponatur ut B alicui C ineſſe contingat, eadem euadet concluſio, quæ & prius, ut in principio dicebamus. Si ad maiorem extremitatem ea, quæ particularis eſt, propoſitio ponatur, & ad minorem uniuerſalis, ſiue utræq; aientes capiantur, ſiue priuantes, ſiue non eiuſdem formæ, ſiue ambæ indeterminatæ, uel particulares, nullo modo fiet ratiocinatio: nihil enim prohibet, quo minus B ipſum A tranſcendat, & non de æqualibus efferatur: at quo B ſuperexcedit A ſumatur C, huic enim neque omni neque nulli neque alicui neque non alicui contingit A ineſſe, ſiquidem in contingenti propoſitiones conuertantur, & B pluribus quàm A ineſſe contingit. E terminis quoque manifeſtum eſt: nam ſi propoſitiones ita ſe habeant primum poſtremo & nulli & omni contingere neceſſarium eſt. Termini omnium communes quod ex neceſsitate inſit Animal Album Homo quod non contingat, Animal, Album, Veſtis: patet igitur, ſi termini ita ſe habeant, nullam fieri ratiocinationem. Cùm enim omnis ratiocinatio uel exiſtens, uel neceſſaria, uel contingens ſit, exiſtentem neceſſariamq́ non eſſe perſpicuum eſt: nam aiens à neganti, & negans ab aienti perimitur. Reſtat igitur, ut contingens ſit: at hoc fieri non poteſt: demonſtrauimus enim, ſi ita ſe termini habuerint, & primum omni ultimo ineſt, neceſſe eſſe, ut nulli quoque ineſſe contingat. Quo fit, ut ratiocinatio, Contingens non fiet, contingens enim neceſſarium non erat. Apertum etiam eſt, ſi termini uniuerſales in propoſitionibus contingentibus enunciantibus, & priuantibus ſint collocati, ſemper fieri in prima figura ratiocinationē. at ſi enunciantes fuerint, perfecta erit, ſi priuantes imperfecta. Oportet ut ipſum contingens capiamus, non quod in neceſſariis eſt ſed ex antedicto diſtinctione: id quod interdum latet.

RATIOCINATIONES ex duabus contingentibus propoſitionibus ſimpliciores ſunt, quàm ex miſtione earum, quæ inſunt, quæq; contingunt, & neceſſariæ ſunt: prius igitur de ſimplicioribus dicendum eſt.

Quænam, & qualis fiat ratiocinatio. Hoc eſt, qualis concluſio ex duabus contingentibus fiat. Si D fortuito enunciarur, de quo C hoc eſt, de omni C & A fortuito effertur, de quo B de omni uidelicet B, cum A contingir, id eſt fortuito de C enunciatur, B de aliquo C eo modo, quo quicquam ineſt, dicitur: tunc minor propoſitio B C eſt inſtans, & maior A C contingens, ac propterea concluſio, uidelicet A de C fortuita, uel contingens dicitur, uel ex eo, quod maior propoſitio cōtingens eſt, concluſioq; illam, maiorem dico, conſequitur. Eiuſdem formæ propoſitiones appellat, quæ eiuſdem ſunt ſpeciei, quæq; ex duabus cōtingentibus ſunt cōflatę. Cùm in aliis modis, neceſſario inquam, & eo, qui ineſt, ordinate docentes prius de ratiocinationibus è duabus neceſſariis, atq; è duabus exiſtenribus uerba fecerimus, ita in ratiocinationibus ex mixtione propoſitionis neceſſariæ, & eius, quæ ineſt, progrediemur.

Nam A ei non contingere, de quo B fortuito dicitur. Pro eo ſumendum eſt, ac ſi dixiſſet, A nulli B fortuito ineſt, quod ſignificat A ab omnibus particulis B remoueri.

At ſi B C reciprocentur, eadem fiet in contingenti, quæ & prius. Reciprocationem intellige mutationem contingentis negantis in contingentem aientem, nam aientes contingentes in negantes conuerti iandudum didicimus, & uniuerſas uiciſsim in uniuerſas, particulareſq; in particulares.

Diſpoſitione ſimiliter ſe habeant. Hoc eſt, Si maior propoſitio uniuerſalis aiens fuerit, aut negans, & minor particularis negans, propoſitiones eiuſdem formæ ſunt, cum A B eſt Aliquis, B C Nullus, uel A B non omnis, & B C Omnis.

Nihil enim prohibet, quò minus B ipſum A tranſcendat. Si, inquit, maior propoſitio particularis eſt, B ſuperet, ac manet latius, quàm A, neq; de ſe æqualiter enuncietur, neceſſe eſt.

Nam ſi propoſitiones ita ſe habeant. Nunquam B ęquale eſſe A comperietur, quoniam in terminis æqualibus in uniuerſum fit reciprocata enunciatio, quemadmodū fit in homine, & riſui apto, qui termini adæquati ſunt, ac propterea homo de omni riſui apto dicitur ſemper, idq; uiciſsim. Si quis item dixerit, Somnium uidere, omni dormienti ineſſe contingit, terminos æquales dixerit. Præterea ſunt aſſumendi termini, quādo maior in parte fuerit, loco A animal, B album, C homo: album igitur plus eſt, quàm animal: quoniam animal de animatis tantum, album & de animatis, & de inanimatis effertur. Capiatur C in quo ipſum B ſuperat, & latius ſerpit, quàm A: etenim & ſi homo ab animali continetur, à quo omnia animantia comprehenduntur, tamen album nō ſolùm hominem, atq; omnia animata, ſed etiam inanima complectitur. A enim neq; omni C, neq; nulli, neq; alicui, neq; non omni inerit. Coniugationū quæ artis expertes

ſunt,proprium eſt,Omni,& Nulli inferre.Quapropter ſi inducatur Omni,Nullus & Non omnis auferentur.(Non omnis enim à Nullo,quemadmodum etiam Aliquis ab Omni,continetur,)Contrà ſi Nulli inferatur,Omnis & Aliquis tollentur.Cumq́; inuicem ſe concluſiones perdant,reſtat,ut nulla concluſio inferatur.Si igitur propoſitiones ita ſe habeant,neq; Omni,neq; Nulli,neq; Alicui,neq; Non omni,contingit concluſionem induces:Nam ſi Omni contingit,inducatur,Nulli quoq; fuerit inductum:ſiq́; Alicui, Non omni etiam illatum fuerit.Quo fit,ueluti demonſtratum eſt, ut propoſitiones cõtingentes inter ſe mutuo reciprocentur.concluſio non contingens,ſed neceſſaria fuit illata,propterea quod a de pluribus , quàm A enunciatur.hoc eſt,quoniam B generalius eſt quàm A.Nam,Contingit,hoc loco pro Euenit dictum eſt.

Oportet,ut ipſum contingens capiamus,non quod in neceſſariis eſt. Quoniam Cõtingens ſignificat neceſſarium,& quod ineſt,in propoſitionibus ſumendum eſt,non quod neceſſarium , aut exiſtens ſignificet,ſed illud quod modo definiuimus,hoc eſt proprie contingens.

Latet.Capimus ſępenumero neceſſariũ uel quod ineſt loco contingentis. At ſi dicat quiſpiam, Album contingit ineſſe Scythæ:Contingit ibi pro eo,quod eſt ineſt,ſumitur:uel, Album contingit ineſſe homini, & hoc loco,contingit neceſſarium ſignificat.

Mixtiones Contingentis & Exiſtentis in prima figura.

Si è propoſitionibus hæc ineſſe , illa contingens ſumatur , quando ea quæ maiori proxima eſt extremitati contingere ſignificat,perfectæ omnes, & eius contingentis quod ex antedicta diſtinctione eſt,ratiocinationes erunt:at ſi ea quæ minori extremitati adhæret contingere ſignificarit,omnes ratiocinationes imperfectæ erunt: & quæ priuantes ſunt,non eius contingentis erunt, quod ex prædicta determinatione eſt:ſed eius,quod uel Nulli,uel Non omni ex neceſsitate ineſſe inquit.Etenim ſi Nulli,uel Non omni ex neceſsitate ineſt, Nulli, & Non omni ineſſe contingere dicimus.Contingat enim A omni B & B omni C ponatur ineſſe. Cùm igitur C ſub B ſit,A autem omni B contingit,A quoq; omni C contingere clarum eſt:perfecta igitur ratiocinatio fit. Haud ſecus ſi propoſitio A B priuans,& B C aiens fuerit,atq; ſi A B cõtingere B C autem ineſſe capiatur,perfectam fore ratiocinationem conſtat,quoniam A nulli C ineſſe cõtingit. Igitur perſpicuum eſt,ſi ineſſe ad minorem extremitatem adiungatur,perfectas fieri ratiocinationes: at ſi res contrariò modo ſe habuerit,fore ratiocinationes per id quod fieri nequit demonſtrandum eſt:eritq; ſimul planum,atq; apertum,imperfectas eſſe,quòd demõſtratio ex propoſitionibus acceptis non fit.Dicendũ in primis eſt,ſi cùm eſt A eſſe B neceſſe eſt,cùm A poſsibile eſt,B quoq; poſsibile neceſſariò futurum.Rebus enim ſic ſe habentibus, ſit in quo A eſt poſsibile, in quo B impoſsibile,ſi ergo poſsibile fiet,quando poſsibile eſt eſſe.impoſsibile , quando eſſe, impoſsibile eſt,non efficietur.Atq; ſi A poſsibile eſt.& B impoſsibile,continget A ſine B eſſe factum , ſiq; factum eſſe contingit,etiam eſſe continget:nam quod factum eſt, cùm factum eſt , exiſtit:non ſolùm in iis,quæ generentur.poſsibile & impoſsibile capiamus oportet,ſed etiam in eo,quod uerũ dicitur,& in eo quod ineſt,& quocunq; alio modo poſsibile dicitur:nam in omnibus ſe ſimiliter habebit.Præterea quod diximus,cum A eſt,B eſſe,non tanquam unum aliquid A ſit,fore B, putare oportet.nihil enim ex neceſsitate eſt,dum unum quoddam ſit.ſed minimum cum duo ſint:ut cùm propoſitiones ita ſe habeant in ratiocinatione,ut dictum eſt nobis.Nam ſi C de ipſo D dicitur,& D de F,C quoq; de F neceſſario dicetur:ſiq; utrunq; poſsibile,poſsibilis item erit concluſio.Vt igitur ſi quis A propoſitiones poneret,B uerò concluſionem,contingeret nõ ſolùm dum A neceſſarium eſt,B quoq; neceſſarium eſſe,ſed etiam dum poſsibile eſt.poſsibile futurum.Quo demonſtrato perſpicuum eſt,ſi falſum,ſed nõ impoſsibile ſtatuatur,quod ſequetur ex iis quæ poſita ſunt non impoſsibile,ſed falſum fore:ut A licet ſit falſum,non tamen impoſsibile eſt : cumq; A ſit,erit & B: quod quanquam eſt falſum,attamen impoſsibile non eſt.Demonſtratum enim eſt cùm A ſit,B eſſe,& cùm A poſsibile eſt, B etiã poſsibile futurum. A autẽ poſsibile eſſe ſtatuitur, igitur B quoq; poſsibile erit:nã ſi B impoſsibile eſt,ſimul poſsibile,& impoſsibile eadem erunt.

CVM explanauerit definitione,quid Contingens ſit,quomodoq́; propoſitiones contingentes reciprocentur,ac quot ſignificationes contingens habeat , atque ex duabus contingentibus concluſionem induci contingentem:in præſenti Contingentis & Exiſtentis mixtionem facit.Si maior inquit contingens eſt,& ea,quæ minori adhæret extremitati,exiſtens eſt,perfectę ratiocinationes fiunt:concluſio enim ex eo,quod de Omni eſt,& de Nullo,perficitur,ac demonſtratur,concluſio etiam eſt,ut per dictam contingentis explicationem fiat:hoc eſt,ut concluſio propriè cõtingens,cuius definitionem explicauimus,inducatur. At cùm minor propoſitio contingens eſt,maior quæ ineſt,ſi utræq; ſunt aientes,cõcluſio contingens erit, perficieturq́;,ac demonſtrabitur,non à terminis de Omni,& de Nullo, ſed per deductionem ad id quod fieri non poteſt,nec non per reciprocationem,hoc eſt per contingentis in id,quod ineſt,mutationem.In ratiocinatio

nibus

nibus priuantibus,ſi mainr uniuerſalis priuans exiſtens,& minor contingens fuerit,concluſio non erit contingenris ex memorata definirione,ſed uel Nulli ex neceſsitate,uel Non omni ex neceſsitate inducetur: nam quod dicimus contingere Nulli ex neceſsitate,uel non Omni ineſſe,idem & Non omni,uel Nnlli eo modn qun quidquam ineſt,ineſſe affirmamus.Si enim Ire uel nulli hnmini ex neceſsitate ineſt,uel non omni ex neceſsitare.manifeſtum erit,Ire nulli homini,uel nõ nmni,ut ineſt,ineſſe.Si mainr propoſitin contingens eſt,uel uniuerſalis aiens,negans'ue,minor aiens quæ inſir,eoſdem terminos in utriſq; ratiocinationibus ſumere debemus:hoc eſt,oportet Peripateticum,aliumq́; hominem ſcitè,& emendatè ſermocinari: quoniam quod nmni ineſſe cnntingit,hoc quoq; nulli ineſſe contingit . Cumq́;cõtrario modn propnſitiones habuerint,maiorq́; exiſtens ſit,minor contingeus,omnes ratiocinationes imperfectæ fient:nec à propnſitionibus à principio ſumptis perficiuntur , ſed ex deductione ad id , quod fieri nequit, arque ex conuerſione,ſi uidelicet contingens in id,quod ineſt,permutetur.Cùm eas ratiocinationes quæ ex maiori exiſtenti,& minori contingenti ſunt conflatæ,demonſtraturus ſit,utitur deductione ad id,quod fieri nequaquam poteſt,propoſitionemq́; cnntingentem in exiſtentem mutat,& rem quæ fieri non poſsit concludir. Igitur ne quis npinetur ex mutatione contingentis in id,quod ineſt,impoſsibile inferri,hoc nobis præceptum tradir.Si inquit propoſitiones poſsibiles ſunt,ea etiam quæ ex iis efficitur,concluſio poſsibilis eſt : atq;ſi propoſitiones neceſſariæ,uel impoſsibiles fuerint,concluſio neceſſaria,uel impoſsibilis erit: deniq; ſi falſæ propoſitiones,non tamen impoſsibiles fuerint,cnncluſio falſa erit , nec tamen impoſsibilis: nam ſi diceremus, Socratem ambulare eo ipſo tempore,qun ſedet,falſum diceremus, nec tamen ipſum ambulare impoſsibile eſſet.Breuitati addictus accipit A tanquam antecedens,& ut duas propoſiriones, B uerò tanquam conſequens & concluſinnem:nam concluſio propoſitiones ſequitur.Propriè Poſsibile eſt, quod ad effectũ poteſt uenire,nnn tamen eſt,ſed fieri,& euenire poteſt,eſtq́; propriè contingenti par atque æquale,quemadmodum etiam quod ineſt,interruptum,& fractum eſt,quandoquidem ſuapte natura aptum eſt , ut interrumpatur,& frangatur,ptnpter id,quod eſt,ut hippocentaurus. Impoſsibile uerò ortu , & non natura eſt, quod inaſpectabile natura non eſt, ſed quod fieri aſpectabile non poteſt , propterea quòd in profundo iaceat:ut lapis,qui in profundn poſirus eſt,aſpectabilis fieri non poteſt,nnn eam ob cauſam , quòd per naturam uideri nequeat,ſed quòd aquarum uis nobis oculorũ impediat nbtutum. Si cùm eſt A,Hoc eſt, cùm duæ propoſitinnes captæ ſunt, neceſſe eſt B eſſe, uidelicet cnncluſionem ſequi : ſi item pnſsibile eſt A , id eſt,ſi propoſitiones poſsibiles ſint,neceſſe erit B, concluſionem ſcilicer ex iis illatam poſsibilem eſſe . Terminis uerò,antecedente inquam,& cnnſequente, hoc eſt propoſitionibus & concluſione ſic ſe habentibus quales erunt propoſitiones,talis etiam concluſio ſequetur. Verùm ſint,ut uellet aduerſarius,propnſitiones poſsibiles,ex iiſq́; illata concluſio impoſsibilis,quòd ſi ita,aliter euenire mulro inrelligemns : nam concluſin poſsibilis erit,& impoſsibilis,atque exiſtens,& non exiſtens:qun quid abſurdius dici,aur exiſtimari poteſt?Illud enim poſsibile quod propriè poſsibile eſt,& æquale conringenti,non eſt quidem,fiet uerò,atque erit impoſsibile etiam , quod narura impoſsibile eſt, nunquam fiet, ut ſit. Ex quo fit, ut ſi concluſin poſsibilis & impoſsibilis ſir,exiſtens quoque,& non exiſtens,atque exiſtens tanquam poſsibilis, non exiſtens tanquã impoſsibilis ſit futura.Simul eriam ſi A hoc eſt,ſi propoſitiones poſsibiles ſint,B uerò hoc eſt concluſio impoſsibilis,propnſitiones ut poſsibiles fierent,id eſt ſtatuerentur,tanquam euenſſent.(Nam poſsibile licet non exiſtat,euenire ramen,ac fieri poteſt,) quòd ſi fiant , atque in ſubſtanriam deueniant , habebunt etiam B habebunt inquam,ut exiſtentes fiant. nam quod non eſt , quando eſt factum , eſt . Si igitur propoſitiones poſsibiles ſint,impoſsibilis erit concluſio,quodq́; impoſsibile eſt, non exiſtit. Propoſitiones igitur exiſtentes,concluſionem,quæ non eſt, ſequentur ; quod eſt perabſurdum . Cùm autem inquit,ſi A poſsibile eſt, B poſsibile erit non ſolum de proprio poſsibili,quod eandem, quam contingens, uim habet, uerba facit,ſed etiam de poſsibili,quod in ueritate dicẽda ſpectatur:hoc eſt,de en,quod neceſſariũ, quodq́; ineſſe ſignificar:cùm enim uellet neceſſarium ſignificare,dixit, Quod uerum dicitur: quoniam neceſſarium ſemper eodem modo ſe habet,quiq́; in eo affirmar,ſemper uerum dicit:at poſsibile, & contingens ſignificant neceſſarium,& quod ineſt:ut,poſsibile eſt Solem in Ariete conſiſtere,hoc eſt,neceſſe eſt.Poſsibile item eſt Scytham album eſſe,hoc eſt Scythæ eo modo,qun quidpiam ineſt, attributum eſt ,ut albus ſit, Fortaſsis etiam aliæ Poſsibilis ſignificationes comperientur : in nmnibus tamen ſignificatinnibus eodem modo præceptum ſeruandum eſt:nam ſi propoſitiones poſsibiles ſunt , cum poſsibile neceſſarium ſignificet,cnncluſio poſsibilis erit,quæ neceſſarium ſignificabit:arque ſi propoſitiones ſunt poſsibiles,ut exiſtentes,erit etiam poſsibilis,ut exiſtens,concluſio. Demum ſi propoſitiones falſæ ſint,non tamen impoſsibiles, ſequens concluſio falſa ſit neceſſe eſt. Arqui cùm dies non ſit,diem eſſe ſi dicatur, Solemq́; ſuo lumine terram illuminare,antecedens falſum erir,at non impoſsibile,ipſum quoque conſequens falſum , non tamen impoſsibile erir.Præterea paulo ante aperuimus,quid ſibi Philoſophus uelit,cùm ait, Cùm A ſit , B eſſe: explanauimus enim A pro antecedenti,& B pro conſequenti intelligendum eſſe . A igitur, inquit , non tanquam una propoſitio capienda eſt,quoniam cõcluſio ex uno quodam,hoc eſt ex una propoſitione non ſequetur,pro duabus itaq; propoſitionibus ſumatur:nam è duabus propoſitionibus ad minimum concluſio eſt inducenda. A igitur pro duabus prnpoſitionibus capienda eſt.

Cùm hæc ita explicauerimus,A omni B inſit,B omni C contingat , neceſſe igitur eſt, ut A

omni C ineſſe contingat.at nõ contingat,ſed B omni C tanquam ineſſe ponatur,id falſum quidem erit,nõ tamen impoſsibile.Igitur ſi A non contingit omni C B ineſt omni C, A non omni B contingit,fit enim in tertia figura ratiocinatio.Sed omni cõtingere ineſſe ſtatuebatur, neceſſe igitur eſt.ut A omni C contingat.Si enim falſum.& non impoſsibile ſubiiciatur,quod inde euenit,impoſsibile eſt,quin etiam per primam figurã facere impoſsibile poſſumus,ſi B ineſſe C poſuerimus.Si enim B omni C ineſt,A uerò omni B contingit,A quoque omni C continget , ſed poſitum erat,ut non omni contingeret.

QVAE cùm diſtinxerimus,ac demonſtrauerimus concluſionem talem inferri , quales propoſitiones fuerint:ſumendum eſt A omni B ineſſe, eo modo, quo quidquam ineſt,B uero omni C contingere , hoc eſt ſortuito ineſſe:& eo pacto A omni C ex neceſsitate contingens erit . Quòd ſi quis dixerit, è propoſitionibus hoc pacto ſumptis contingentem concluſionem non induci,ſi A ineſſe omni C contingit,falſum dicitur,uerum dicetur,ſi non contingere aſſeratur,hoc eſt,ſi dicatur, A omni C ineſſe non contingit : De omni enim affirmatio eſt,uel negatio:hæcq́; Non contingit omni,repugnanter opponitur huic,Omni contingit,quæ æqualis huic eſt,Non omni neceſſe eſt,& Alicui neceſſe eſt:propterea quòd hæc, Non contingit omni,in hanc Non omni neceſſe eſt.permutanda ſit. Accipiamus autem B C contingentem tanquam inſit,ſiquidem contingens dicitur,quod cùm non ſit , ineſſe tamen ut fiat poteſt . Si uero B C contingens fuerit,& tanquam exiſtens permutata,falſa quidem , at non impoſsibilis erit : commutatur igitur contingens propoſitio in eam,quæ ineſt,idq́; nec temerè fit,uel ex eo,quod demonſtrari non poteſt,qualis cõcluſio ex contingentis,& neceſſariæ propoſitionis mixtione inferatur. Si igitur A omni C neceſſario , quod idem eſt,atque omni non contingit,B uerò omni C eo modo,quo quicquam ineſt, quintus tertiæ figuræ modus efficitur,concluſioq́; hæc inſertur. A non omni C eo modo,quo quicquam ineſt. at erat omni eodem modo,quo ſcilicet quippiam ineſt,ſed fieri non poteſt,ut A omni B eo modo,& non omni inſit, idq́; impoſsibile non inductum eſt,ex B C propoſitionis contingentis in eam,quæ ineſt, mutatione,quæ licet falſa eſſet,non tamen erat impoſsibilis,ſed ex co ſuit illatũ,quod aduerſarius ſubiecerat, A uidelicet omni C ineſſe non contingit:cumq́; abſurdum ex hac ſubiectione naſcatur , bene habet:quod inductum eſt nobis,A uidelicet omni C contingere ineſſe . At ſi quis rogaret,Quidnam abſoni,& abſurdi ſit, A & omni, & non omni B ineſſe, ſiquidem omni co modo,quo quidquam ineſt, poteſt mutari in Non omnẽ ineſſe: Diceremus, B C quæ contingens eſt,in eam,quæ ineſt,conuerti , cùm etiam futurum tempus in præſens mutetur,quo in loco temporis mutatio non propterea facta eſt,quòd fieri non poſsit,ut A omni B,& Non omni in præſenti tempore inſit.Hoc autem ſi A non contingit C, idem eſt,atque A omni C ineſſe non contingit,ſed propter euidentiam,& perſpicuitatem in Non omni,neceſſe eſt , reciprocatur . Nam ſi falſum ſubiectum & non impoſsibile ſit,idem erit,quod B C propoſitio,quæ contingens eſt,in eam,quæ ineſt,commutata,quæ falſa quidem erat,non tamẽ impoſsibilis.Euentus autem,ſeu concluſio A non omni C co modo.quo quidpiam ineſt, ſi ponatur A omni B eodem modo,impoſsibilis eſt: at impoſsibile non ex mea ſubiectione falſa,& non impoſsibili , ſed ex ſubiectione aduerſantis,qui ſtatuebat A omni C ineſſe non contingere,ſequitur.Animaduertendum eſt,cùm A B uniuerſalis aiens ſit,quæ ineſt,& B C contingens, concluſionem omni contingit , inferri: illudq́; contingens non proprie contingens eſt, quod ex hoc perſpicuum eſt , quòd in proprio contingenti aientes in negantes. & negantes in aientes reciprocantur. nam quod omni contingit, idem nulli ineſſe contingit : quodq́; nulli ineſſe contingit, hoc etiam omni contingit. Si igitur A omni C ineſſe contingit , proprie contingens erat, concluſioni Omni contingere, opponebatur . Hæc igitur Omni , neceſſe eſt , per ſeipſam , & hæc Alicui , neceſſe eſt , propterea quod Nulli contingit,æqualis eſt,opponitur:diximus enim,quod omni contingit,nulli ineſſe contingere. nunc autem Non omni neceſſe eſt,huic Non omni contingit,opponitur.Ex quo fit, ut ſi Non omni neceſſe eſt,capiatur tanquam contraria in deductione ad id,quod fieri nequit,A non omni B inductum fuerit.At poſitum eſt omni,eo modo quo quidquam ineſt,hæc autem Alicui neceſſe eſt,non opponitur.atq; hinc patet,ſi A alicui C ex neceſsitate ineſſe ceperis, in tertia figura concluſionem induces , A uidelicet eo modo quo quidpiam ineſt,alicui B ineſt.at omni eodem modo poſitum erat.nihil autem intereſt A & omni,& alicui B ineſſe,quoniam Aliquis ab omni continetur.Huic,Omni contingit,hæc Non contingit omni,oppoſita eſt,huic autem æquales hæ ſunt,Non omni neceſſe eſt, & Alicui neceſſe eſt, Ariſtoteles igitur hanc Non contingit omni,in hanc,Non omni neceſſe eſt,non cõuertit:immo manifeſto apparet, ex quibus hoc uelit cõcludere. Fortaſſe diceret quiſpiam,nihil impoſsibile induci,ſi A non contingit omni C. quid enim prohibet A omni,& nõ omni B ineſſe,pręſertim cum id,quod ineſt,eiuſmodi ſit,ut poſsit etiã non ineſſe? A enim & omni,& non omni B poteſt ineſſe:quapropter B C,quę contingens eſt,in eam,quę ineſt,quæ falſa eſt,& non impoſsibilis,mutata fuit.Nos ad hæc reſpondebimus, contingentis mutationem in eam, quæ ineſt,factam eſſe,nec eodem tempore ſeruato,nec contingenti remanente contingenti: unam enim quæ contingens ſit,ſimul etiam exiſtentem eſſe falſum eſt,& fieri nequit, ſed propoſitio à futuro in præſens tempus fuit commutata. Siquidem contingens,tempus ſuturum,quæ uerò ineſt,præſens indicat. Commutare igitur contingentem tanquam exiſtentem falſum eſt:propterea quòd inſtans accipitur tempus,quod futuro opponitur,non tamen fieri non poteſt,ut coutingens aliquando exiſtens ſeu inſtans fiat,

in A, B uerò manenti eadem uniuerſali aienti inſtanti, mutataq; in non omni eo modo, quo quicquã ineſt, eodem etiam tempore remanente ex ſubiectione huius A non cõtingit omni C eo modo, quo quidpiam ineſt impoſsibile inductum eſt A & omni, & non omni C ineſſe.

Omni ineſſe, non tempore præfinitum, uelut nunc, aut in hoc tempore, ſed abſolutè capiendum eſt: nam ex huiuſmodi etiam propoſitionibus ratiocinationes facimus, quoniam ſi propoſitio ut nunc aſſumatur, ratiocinatio non fiet. Fortè enim nihil prohibet, quandoq; omni moto hominem ineſſe, tanquam nihil aliud moueatur: quod autem mouetur, cõtingit omni equo, ſed homo nulli equo contingit. Præterea ſit primum animal, medium quod mouetur, poſtremo in loco ſit homo, propoſitiones eodem modo ſe habebunt, & concluſio non contingens erit, ſed neceſſaria, quoniam homo ex neceſsitate animal eſt. Vniuerſum igitur abſolutè, & non tempore præfinitum ſumendum eſſe manifeſto apparet.

OPORTET ut capiamus Omni ineſſe, oportet inquam, ut Omne, ſumamus non per tempus, hoc eſt quod determinate uerum dicat: tunc enim huic Aliquis par eſt. ut ſi dixeris, Homo omni ei quod mouetur, & ſubieceris, nunc Omne quod mouetur, homo eſt: Omne uerum dicet, non tamen natura ſui, ſed propter tuam ſubiectionem. Cùm uero æqualis eſt huic Aliquis, inutilis figura fit. Sed abſolutè eſt aſſumendum, hoc eſt indefinitè, & uniuersè, & propoſitionem ipſam in qua Omnis ſit, ſui natura uerum dicentem, ut, Animal omni homini, capere debemus.

Rurſum ſit A, B propoſitio priuans uniuerſa, capiaturq; A nulli B ineſſe, B uerò omni C ineſſe contingat: his ita conſtitutis, A contingere nulli C ineſſe neceſſe eſt. Nam non contingat, & B ineſſe C ponatur, ſicut prius, A inſit alicui B neceſſe eſt: nam ratiocinatio in tertia figura fit, at hoc fieri non poteſt, quo fit, ut A nulli C contingat: nam ſi falſum, & non impoſsibile ponatur, quod ſequitur, impoſsibile eſt. Hæc igitur ratiocinatio contingentis ex definitione non eſt, ſed eius, quod nulli neceſſario ineſt, hæc enim illius ſubiectionis repugnantia eſt, quam ſubieceramus: nam ſubiectum eſt A alicui C ex neceſsitate ineſſe: ratiocinatio autem per id, quod fieri nequit, oppoſitæ dictionis eſt. Præterea ex terminis perſpicuum eſt, concluſionem contingentem non eſſe. Sit in quo A coruus, in quo B cogitans, in quo C homo, nulli ſanè B ineſt A, propterea quòd nullum cogitans coruus eſt: B uerò omni C contingit, omni enim homini cogitare contingit: ſed A neceſſariò nulli C ineſt: concluſio igitur contingens non eſt: at nec ſemper neceſſaria. Sit A quod mouetur, B ſcientia, in quo C homo. A quidem nulli B inerit, B omni C contingit, & concluſio neceſſaria non erit: nam non neceſſe eſt nullum hominem moueri, ſed aliquem non neceſſe eſt. Patet igitur concluſionem eſſe ex eo, quod nulli ex neceſsitate ineſt. Termini ſunt accuratius aſſumendi, ſi minori extremitati priuans, quæ contingere ſignificet, adiungatur, ex ipſis propoſitionibus aſſumptis nulla fiet ratiocinatio, at contingenti propoſitione reciprocata efficietur, quemadmodum dictum prius eſt. Inſit enim A omni B, & B nulli C contingat, terminis quidem ſic habentibus nullum neceſſarium erit: at ſi B, C conuertatur, capiaturq; B omni C contingere, fiet haud ſecus ac prius, ratiocinatio. Simili etiam ratione termini per poſitionem ſe habent, eodem modo ſi utraque interualla priuantia, ſint, ſi A, B non ineſſe, B C nulli contingere ſignificat. ex ipſis enim ita conſtitutis neceſſariũ non fit, erit tamẽ ratiocinatio, ſi contingens propoſitio reciprocetur: ſumatur enim A nulli B ineſſe, B nulli C contingere, nihil ſanè ex iis neceſſarium conficitur. Quòd ſi capiatur B omni C contingere, prout uerum eſt, & A, B propoſitio ſimiliter ſe habeat, eadem ratiocinatio rurſus erit, ſed ſi B omni C non ineſſe, nec contingere non ineſſe ponatur, erit nullo modo ratiocinatio: neque ſi A B propoſitio priuans, nec aiens ſit. Termini communes eius, quod ex neceſsitate inſit, Album, Animal, Nix: eius autem, quod non contingat, Album, Animal Pix. Perſpicuum igitur eſt, ſi termini ſint uniuerſales, alteraq; propoſitionum ineſſe, altera contingens ſumpta fuerit, cum ea, quæ minori extremitati adhæret contingens capiatur, ſemper fieri ratiocinationem. Attamen quandoque ex ipſis, ac quandoque ex propoſitione reciprocata: quando autem ex horum utroque & demum quam ob cauſam fiat, diximus. Si autem ex interuallis hoc uniuerſale, & hoc particulare capiatur, cùm uniuerſum & contingens maiori extremo apponatur, ſiue negans ſiue aiens ſit, alterum uerò particulare aiens, & exiſtens, perfecta erit ratiocinatio perinde, ac cùm termini uniuerſales ſunt, eadem eſt demonſtratio, quæ & prius erat. At ſi uniuerſalis ad maiorem extremitatem exiſtens, & non contingens ponatur, altera particularis, & contingens, ſiue aientes, ſiue negantes utræque ponantur, aut hæc negans, illa aiens, imperfecta ratiocinatio prorſus erit: hæ tamen ex eo, quod fieri non poteſt, illæ uerò ex contingentis reciprocatione, quemadmodum in præcedentibus, demonſtrabuntur. Tunc etiam erit ex reciprocatione ratiocinatio, cùm uniuerſalis ad maiorem extremitatem poſita ineſſe, uel non ineſſe ſignificarit,

ficarit, ea uera quæ in parte eſt, cùm priuans ſit, contingere ſumat, ut ſi A omni B ineſt uel non ineſt, B uerò alicui C non ineſſe contingat: conuerſa enim B, C per contingens ratiocinatio fit: at quando propoſitio particularis non ineſſe ſumit, ratiocinatio non erit. Termini quòd inſit, Album, Animal, Nix: quòd non inſit, Album, Animal Pix. Demonſtratio enim per indefinitum ſumenda eſt. Si uerò uniuerſale ad minorem extremitatem, & particulare ad maiorem ſeu priuans aiens'ue, aut contingens, aut exiſtens utrum uis ponatur, erit nullo modo ratiocinatio: nec etiam cùm propoſitiones particulares, aut definitæ, aut contingentes, aut exiſtentes, aut uiciſsim ſumptæ collocentur, ratiocinatio fiet, cuius rei demonſtratio eadem eſt, quæ & in prioribus. Termini communes eius, quod ex neceſsitate ineſt, Animal, Album, Homo: quod uerò contingit, Animal, Album, Tunica. Vniuerſali igitur maiori extremitati adiuncto ſemper, minori uerò appoſito, nunquam fieri ratiocinationem perſpicuum eſt.

PRETEREA, inquit, ſit A, B propoſitio uniuerſalis priuans, concluſio quæ ex priuante ratiocinatione, uidelicet A nulli C contingit, propriè contingens non eſt, propterea quòd huic Nulli contingit, hæc Alicui neceſſe eſt, per ſeipſam opponitur: atq; etiam huic, Omni contingit, hæc, Non omni neceſſe eſt, opponitur. in proprio enim contingenti, quod nulli ineſſe contingit, omni etiam contingit. Si igitur A nulli a fortuito ineſt, in propriè contingenti hæc, Non omni neceſſe eſt, haud ſecus, ac Alicui neceſſe eſt, opponitur: at nunc non opponitur: idq́; teſtatum uel ex hoc eſt, quòd Contingens nulli, idem eſt, atq; Neceſſe eſt alicui. Si A non omni C accipias tanquam huic concluſioni Nulli contingit, repugnet, dicasq́; A non omni C neceſſe eſt, a omni C eo modo, quo quidquam ineſt, induces A non omni a eo modo, quo ineſt quidpiam, concluſionem. Quinetiam erat Nulli eodem modo, quo ſcilicet, quidquam ineſt, at fieri nequaquam poteſt, ut A & nulli, & non omni B inſit, & attribuatur: nam non omnis à nullo cõprehenditur, ac continetur. Quod ſi ſumpſeris A alicui C, neceſſario inſeres id, quod fieri non poteſt, A ſcilicet nulli, & alicui a ineſſe. Quod nulli contingit, idem eſt, atque Alicui neceſſario: quippe cùm eadem ſit factæ ſubiectionis repugnantia, præſertim cùm eadem quoque propoſitio ſit. Nulli neceſſe eſt, huic repugnanter opponitur, Alicui neceſſe eſt, poſita ſubiectione. Huic, Alicui, neceſſe eſt, hæc Non neceſſe eſt alicui, quæ eandem, quam Nulli neceſſe eſt, uim habet, repugnanter opponitur. Etſi Ariſtoteles hanc Non contingit nulli, non ſolum in hanc, Alicui neceſſe eſt, capit: tamen patet, ex quibus uelit hoc pacto concludere.

Non enim neceſſe eſt, nullum hominem moueri, ſed aliquem non neceſſe eſt. Hæc, Nulli ex neceſsitate, huic, Non neceſſe eſt, alicui, æqualis eſt. differt enim ab hac, Nulli contingere, tanquam magis uniuerſalis, & amplior, quàm illa exiſtat. Quod etiam ex terminis perſpicuum eſt: nam qui dicit, Deambulare nulli animali ex neceſsitate ineſt, uerum dicit. & de animalibus ambulantibus, & de reptantibus: quippe cùm ea, quæ reptant & ſerpunt ambulare neceſſe non ſit. At qui dixerit, Deambulare nulli animali fortuitu ineſt, non amplius in omnibus uerum narrabit, ſed tantùm in ambulantibus modò: quoniam in beſtiis ſerpentibus mentitur. quapropter in quibus contingit Nulli, in illis Omni contingere uerum eſt. Si igitur Contingit omni, in iis quæ reptant, falſum eſt: neceſſum etiã eſt hanc, Contingit nulli, falſam eſſe. Latius igitur patet, ac ſerpit Nulli ex neceſsitate, quàm Nulli contingit. Cum maior uniuerſalis aiens exiſtens, ſeu mauis inſtans ſit, maior priuans uniuerſalis contingens, ratiocinatio non fiet. Quod ſi deſpexeris, mutaueriſq́; Nulli fortuitu in Omni, erit haud minus, quàm in prioribus ratiocinatio: concluſionem enim in eo etiam loco contingeotẽ induces, quæ inſtanti, quam ineſſe uocant, par ſit: ut prius fuerat inducta, cum A omni a eo modo, quo quicquam ineſt, & B nulli C fortuitu accipiebas.

Simili etiam ratione termini ſe habent per poſitionem. Hoc eſt, Si reciprocaueris Nulli fortuito in Omni, termini hoc eſt propoſitiones aientes fiũt, ſimilitudinemq́; per poſitionẽ in ea habẽt ratiocinatione, quæ ab Omnis, & Omnis conflatur: quoniam illic quoq; maior, quæ inſit, erit, & minor cõtingens ut ibidẽ.

Interualla. Interualla uocat propoſitiones, Geometras imitatus: nam ut illi ſigna & puncta Terminos nominant: tanquã ea diuidi nequeãt, & ſimpliciſsima ſint, ita Ariſtoteles ſubiectum, & de ſubiecto dictum nuncupat Terminos, tanquã ſimpliciſsima quædã ſint: & quemadmodũ punctum productũ facit lineam, quæ per ſolam longitudinẽ extenſionem habet, quæ & Interuallũ dicitur: ſic Philoſophus hoc etiam loco, cùm ad eam rationem, quam uox de ſubiecto dicta, ad ſubiectum habet, reſpicit, per quam & enũciatio, & propoſitio fit, Interuallum uocat: atq; ut Geometra Figuram uocat eam, quę ex differentibus lineis coaleſcit: ita & hic Figuram uocat ratiocinationem ex differentibus propoſitionibus conflatam.

Quòd ſi capiatur B omni C contingere, prout uerum eſt, & A, B propoſitio ſimiliter ſe habeat, eadem ratiocinatio rurſus erit. Nam uerum eſt, ſi Nulli fortuito, loco Non omni fortuitu, aſſumamus: rurſus enim eadem erit ratiocinatio, hoc eſt concludetur nulli fortuito ineſſe: nam utraq; hæc comprehendit, Non contingit nulli, quæ huic Nulli contingit, repugnanter opponitur.

Cum è propoſitionibus altera ex neceſsitate ineſſe, uel non ineſſe, altera contingere ſignificat, ſi termini eodem modo ſe habuerint, erit ratiocinatio, atque ea perfecta, cùm ad maiorem extremitatem

mitatem neceſſaria adiungatur. Concluſio autem contingentis erit, & non ineſſe, ſi termini enunciantes ſint utriſque uniuerſis, & non uniuerſalibus conſtitutis. Sin autem hoc aiens, illud negans fuerit, quando aiens neceſſarium extiterit, concluſio contingentis erit, & non eius, quod eſt, non ineſſe. At quando priuans erit neceſſarium, & contingentis non ineſſe, & non ineſſe erit concluſio, ſiue termini uniuerſales ſint, ſiue non uniuerſales. Contingere in concluſione eodem, quo in prioribus, modo capiendum cenſeo. Eius autem, quod eſt ex neceſsitate non ineſſe, non erit ratiocinatio: aliud enim eſt, Non ex neceſsitate ineſſe, & Ex neceſsitate non ineſſe. Clarum igitur eſt, ſi termini ſint uniuerſales aientes, concluſionem neceſſariam non inferri. Inſit A omni B ex neceſsitate, B autem omni C contingat, imperfecta ratiocinatio erit, quia A omni C ineſſe contingit, hanc autem perfectam eſſe, ipſa demonſtratio nobis declarat: eodem enim modo, ut in prioribus, oſtendetur. Item A contingat omni B, & B omni C neceſſario inſit, erit ratiocinatio, in qua concludetur, A omni C ineſſe contingit, non quod exiſtat: atque ea ratiocinatio non imperfecta erit, ſed perfecta: quandoquidem ſtatim ex iis propoſitionibus perficitur, quæ à principio ſumuntur. Quòd ſi propoſitiones diſsimili ſint figura, ſit primum priuans neceſſaria, & A nulli B ex neceſsitate contingat, B uero contingat omni C, A nulli C inſit neceſſe erit: Omni autem, aut alicui ineſſe ſtatuatur, at poſitum eſt, ut nulli B contingat, igitur quoniam priuans reciprocatur, B quoque nulli A continget. At A uel omni, uel alicui C ineſſe ſtatuitur: quare fit, ut B uel nulli, uel non omni C ineſſe contingat: at à principio omni ineſſe poſitum fuerat. Cum itaque eius, quod non ineſt, fiat ratiocinatio, eius quoque, quod non ineſſe contingit, fieri ratiocinationem conſtat. Sit præterea aiens propoſitio neceſſaria, & A nulli B ineſſe contingat, B autem omni C neceſſario inſit, ratiocinatio perfecta erit: uerùm non ſanè exiſtendi illa quidem, ſed contingendi non ineſſe. Nam & ea propoſitio, quæ ex maiori extremitate conſtabat, ſic ſumpta eſt, neque ad id, quod fieri nequit, deducere poſſumus: nam etſi A nulli C ineſſe ponitur, cùm & A nulli B contingere ineſſe poſitum fuerit, nihil ex iis efficitur, quod fieri non poſsit. Cùm uerò ad minorem extremitatem priuans, quando contingere ſignificarit, ponatur, erit ratiocinatio per reciprocationem non ſecus, ac prius. At ſi contingere non ſignificarit, non erit: nec etiam ſi utraque propoſitio priuans ponatur, & id, quod ad minorem eſt extremitatem, contingens non ſit. Termini ut inſit, iidem ſunt, Album, Animal, Nix: ut non inſit, Album, Animal, Pix. In ratiocinationibus, quæ in parte ſiunt, eodem modo ſe res habebit: ſi priuans fuerit neceſſaria, concluſio eius erit, quod non ineſt, ut ſi A nulli B contingat ineſſe, B uero alicui C ineſſe contingat: A alicui C non inſit neceſſe eſt. Si enim A inſit omni C, & nulli B contingat, B quoque nulli ineſſe A contingit. Quare ſi A omni C exiſtat, B nulli C continget: ſed alicui contingere poſueramus. Si ea particularis, quæ in priuante ratiocinatione eſt, aiens neceſſaria fuerit ut B, C aut uniuerſalis ea quæ in aiente eſt, ut A B, non erit eius quod ineſt ratiocinatio. demonſtratio eadem eſt, quæ & in ſuperioribus. Si uniuerſum aiens, priuans'ue, & contingens ad minus extremum, idq; quod in parte eſt neceſſarium ad maius ponatur, ratiocinatio non erit. Termini ut ex neceſsitate inſit, ſunt, Animal, Album, Homo: ut non contingat, Animal, Album, Veſtis. Quando neceſſarium uniuerſale ſit, & quod in parte eſt, contingens, ſi priuans uniuerſale ſit, termini ut inſit, ſunt, Animal, Album, Coruus: ut non inſit, Animal, Album, Pix. Cum aiens ſit, ut inſit, termini ſunt, Animal, Candor, Coruus: ut non inſit, Animal, Candor, Nix. Neque ſi infinitæ propoſitiones, aut utræq; particulares aſſumantur, erit etiam ratiocinatio hoc modo. Termini communes, ut inſit, Animal, Album, Homo: ut non inſit, Animal, Album, Inanimatum. Nam & animal alicui albo, & album inanimato alicui inſit eſt neceſſe: & ut inſit non contingit. Similiter fit in contingenti. Ex quo manifeſto apparet, terminos in omnibus eſſe utiles. Ex iis igitur, quæ dicta ſunt, patet, ſi termini ſimiliter ſe habeant, ut in eo, quod ineſt, & in neceſſariis fieri, & non fieri ratiocinationem: ſed in eo, quod ineſt: poſita propoſitione priuante contingens erat ratiocinatio: in neceſſario uerò poſita priuante, & contingens, & exiſtens ratiocinatio eſt. Perſpicuum etiam eſt, omnes ratiocinationes eſſe imperfectas: quas manifeſtum eſt, ex figuris memoratis abſolui, ac perfici.

In ſecunda figura cum utræque propoſitiones contingentes capiuntur, nulla erit ratiocinatio, neque ſi aientes, neque ſi priuantes, neque ſi uniuerſales, neque ſi particulares aſſumantur: at quando altera ineſſe, altera contingere ſignificat, ſi aiens ineſſe ſignificet, nunquam erit ratiocinatio: at ſi priuans uniuerſalis fuerit, ſemper erit: item quando altera propoſitio neceſſariò ineſſe, altera contingere ſumatur, eodem modo ſe habet. Contingens in concluſionibus ita ut in prioribus capiendum eſt. Primùm igitur priuantem in contingendo non reciprocari demonſtrandum eſt nobis: ut, ſi A nulli B contingit, ut B nulli A contingat neceſſe non eſt. Ponatur enim hoc, & B nulli A ineſſe contingat: ergo quoniam affirmationes, quæ in eo ſunt, quod contingit, in negationes, ſiue contrariæ ſint, ſiue oppoſitæ, reciprocantur: B autem nulli A ineſſe contingit, clarum eſt B omni A contin-

gere

gere poſſe. Hoc autem falſum eſt: non enim ſi hoc huic omni contingit, hoc quoq; huic cõtingat neceſſe eſt: priuans igitur non reciprocatur. Præterea nihil prohibet, quin A contingat nulli B, & B alicui A neceſſario non inſit, ſicut album omni homini non ineſſe contingit, nam ineſt. Hominem autem ſi dicas nulli albo cõtingere, uerum non erit; multis enim ex neceſsitate non ineſt; at neceſſarium contingens non erat; uerùm neque ex eo, quod fieri nequit, reciprocari demonſtrabitur: ut ſi quis, propterea quòd B nulli A contingere ineſſe falſum eſt, non contingere nulli, uerum eſſe putarent: affirmatio enim & negatio eſt. Quod ſi uerum eſt, neceſſariò alicui A ineſſe B uerum erit, quare & A alicui B inerit. Hoc autem fieri non poteſt: non enim ſi B non contingit nulli A, B alicui A inſit neceſſum eſt: nã Nõ cõtingere nulli, dupliciter, dicitur cùm ſi neceſſario alicui inſit, tum uerò ſi neceſſario alicui non inſit. Nam ſi dicamus, illud quod alicui A neceſſario non ineſt, omni non ineſſe contingere, uerum minime dicemus: quemadmodum neq; id, quod alicui neceſſario ineſt, uerum eſt, ſi omni contingere ineſſe dicatur. Si quis igitur arbitrabitur, quoniam non contingit C omni D ineſſe, ipſum alicui neceſſario non ineſſe, falſum ſumet: omni enim ineſt, ſi contingat: ſed quoniam quibuſdam ineſt neceſſario in cauſa eſt, ut non omni contingere dicamus. quare ei quod omni ineſſe contingit, quod neceſſario alicui ineſt, & neceſſario alicui non ineſt, opponitur, ſimili quoque modo ei, quod nulli contingit. Patet igitur in huiuſmodi contingenti, & non contingenti, ut in principio definiuimus, non ſolùm neceſſario alicui ineſſe, ſed etiam neceſſario alicui non ineſſe aſſumi: quo ſumpto nihil euenit, quod fieri non poſsit. quare ratiocinatio non fit. Priuantem igitur non reciprocari, ex iis quæ dicta ſunt, manifeſto apparet. Quod cùm demonſtratum iam ſit, ponatur A nulli B & omni C contingere, per reciprocationem quidem non erit ratiocinatio: dictum enim eſt, eiuſmodi propoſitionem non reciprocari: ſed neque ex eo, quod fieri nequit conficietur: nam ſi B contingere ineſſe omni C conſtituatur, nihil euenit falſum. contingeret enim ut A & nulli, & omni C ineſſet. Ad ſummam ſi qua ratiocinario erit, patet eam conringentẽ fore, uel ex eo, quòd neutra è propoſitionibus ab ineſſe ſumpta fuit; eaq; ratiocinatio aiens erit, aut priuans: ſed neutro horũ duorũ dictorum modorum licet. nam ſi aiens ponatur, per terminos non contingere ineſſe, at ſi priuans, concluſionem non contingentem, ſed neceſſariam eſſe demonſtrabitur: ſit enim A album, B homo, in quo C equus. A igitur, quod eſt album alteri omni, alteri nulli contingit ineſſe; B tamen neque ineſſe, neque non ineſſe ipſi C contingit: ineſſe igitur non poſſe clarum eſt, nullus enim equus eſt homo: ſed neq; contingit non ineſſe, quoniam nullum equum hominẽ eſſe neceſſe ſit: neceſſarium uerò contingens non erat, igitur ratiocinatio non fit. Demõſtrabitur eodem pacto, quando priuans econtrario ponatur: licet ambæ aientes uel priuantes collocentur: ex eiſdem enim terminis demonſtratio fiet: etſi altera uniuerſalis, particularis altera, uel utræq; particulares ſint, uel ambæ indefinitæ, aut quouis alio modo commutari propoſitiones poſſunt, ſemper & eiſdem terminis demonſtrabitur. Igitur ſi utræq; propoſitiones contingentes ponantur, nullam fieri ratiocinationem clarum eſt, ac perſpicuum.

QVOD mouetur, alicui corpori ex neceſsitate ineſt, hoc eſt corpori cœleſti globoſo, quibuſdam uero corporibus fortuito ineſt, omnium ſcilicet animalium corporibus.

Si quis igitur arbitrabitur, quoniam non contingit C omni D ineſſe, ipſum alicui neceſſario non ineſſe. Hoc eſt, Motum omnibus corporibus fortuito ineſſe: ſit enim D corpus, C motum, dicatq; aliquis mentiri eum, qui C omni D ineſſe fortuitu aſſeruerit, reſtabit, ut illius negatio, uidelicet, Non contingit C omni D ineſſe, uera ſit. deinde ſi loco huius, Non contingit omni, hanc Ex neceſsitate alicui non ineſſe, hoc eſt Neceſſe eſt, ut non omni, acceperis, adeo ut C ex neceſsitate non omni D inſit, falſo fuerit accepta: nam propalam mentitur is, qui motum neceſſario non omni ineſſe ait: atq; hinc illum mentiri manifeſtum eſt, quòd id, quod mouetur, omni corpori ineſt, quòd ſi Neceſſe eſt, ut non omni inſit, uera fuerit, C omni D non inerit. non enim neceſſario motum à quibuſdam corporibus remouetur, quoniã corpora mouentur omnia, licet nonnulla neceſſario, ut cœleſtia, nonnulla fortuito, ut animalium. Cumq; moueri non omnibus corporibus neceſſario inſint, dicimus ob eam cauſam hanc, Neceſſe eſt ut non omni inſit, quæ uerum dicit, ueram eſſe: nam propterea quòd aliquibus corporibus ineſt, ut ex neceſsitate moueantur, hanc, Neceſſe eſt ut non omni inſit, poſſe ueram eſſe affirmamus. Clarum igitur omnibus eſt, in proprio contingenti, his Contingit omni, & Contingit nulli: has, Alicui inſit neceſſe eſt, & Non omni neceſſe eſt, oppoſitas eſſe. Cæterùm cum demonſtraturus ſit Contingit omni, in ſeſe reciprocari, atque hanc Contingit nulli, per deductionem ad id, quod fieri non poteſt, ait utrãq;, & Neceſſe eſt alicui, & Neceſſe non omni, ſumendam eſſe. Deinde ex ambabus demonſtrare impoſsibile quicquam ſequi, atq; eo pacto inducere Contingit nulli, uel Contingit omni, in ſeſe reciprocari. Si igitur ad reciprocationis Contingit nulli, demõſtrationem capiatur, Neceſſe eſt non omni, ex hoc ratiocinatio non fiet: hoc eſt, ex hac, Neceſſe eſt nõ omni, nihil quicquam impoſsibile emerget, propterea quòd definitè non reciprocatur.

Nam ſi B contingere ineſſe omni C conſtituatur. Nunc contingere pro euenire poſſe intelligendum eſt, ab iis Nulli contingere, & Omni contingere, concluſionem induci oportebat, Omni enim contingit, illata

git,illata fuiſſet. Ponatur igitur B omni C contingit, concluſum eſſe, quam concluſionem ſi quis eſſe falſam dixerit,hancq; Neceſſario contingit,& Euenire poteſt, ueram, propterea quòd B omni C neceſſario contingit,& ſi B omni C neceſſario conſtituatur,aliquid falſum atq; impoſsibile non eueniet:nā ſi A nulli a fortuito,& B omni C ex neceſsitate ineſt,A nulli C fortuitu ineſſe concludes:ſed erat A omni C fortuito. Nihil autē prohibet,quin A & omni,& nulli C ineſſe fortuito poſsit. Ratiocinationē uerò, ſi contingens fuerit,hoc eſt,ſi contingens in concluſionē adducatur,facere omnino non ualemus,quod duæ propoſitiones contingentes ſunt, & nulla inſtans, uel neceſſaria ſit. Atq; hæc ratiocinatio uel aiens erit, hoc eſt, ſi aiens concluſio omnino inducatur,ſiq; duæ propoſitiones ſint aieotes,uel priuātes,ſi uidelicet priuans concluſio fuerit inducta.nam poſita concluſione aienti,hoc eſt ſi a omni C fortuito inferatur, demonſtrabitur per terminos ab hac Non contingit, & Non euenit,inductum fuiſſe, omni fortuito ineſſe. uerum neq; etiam poſſumus priuantē contingentem concluſionē inducere, quoniā per ipſos terminos demonſtrabitur à Nullo,& Omni concluſionē non contingentem illam quidem, ſed neceſſariam induci:quandoquidem ſi album omni homini ineſſe contingit,& nulli equo fortuito: B neq; contingit,& euenit C, uidelicet omni fortuito:nec etiam non ineſt, hoc eſt,neque nulli fortuito:quodq; ineſſe,omni ſcilicet fortuito noo euenit, inducatur,manifeſtum eſt:nam homo nulli equo ex neceſsitate ineſt,ſed neq; contingit non ineſſe,nulli inquam fortuito,at nulli neceſſario inferetur:neceſſe enim eſt,nullum equum hominem eſſe.

Mixtio ex Contingenti,& Exiſtenti in ſecunda figura.

AT SI altera ineſſe,altera contingere ſignificarit,cum aiens ineſſe,priuans contingere ponatur,nullo unquam pacto ratiocinatio fiet:neq; ſi termini uniuerſales ſint,neq; ſi in parte ſumantur. Demonſtratio eadem,ac per ipſos terminos fiet,at cùm aiens cōtingere,& priuans ineſſe ſignificarit,ratiocinatio efficietur. A enim nulli B ineſſe,& omni C contingere capiatur,priuante reciprocata B nulli A inerit,& A omni C continget. Fit igitur ratiocinatio,uidelicet B nulli C contingit in prima figura. Simili quoq; modo ſi ad C priuans adiungatur, quòd ſi utræq; priuantes fuerint,ſignificetq; altera non ineſſe, & altera contingere non ineſſe, nihil neceſſarium ex aſſumptis efficietur : at ſi contingens propoſitio reciprocetur fiet ratiocinatio. B inquam nulli C ineſſe contingit , ut paulo ante dicebamus : erit iterum prima figura. Si uerò ambæ enunciantes ponantur,non erit ratiocinatio. Termini ut inſit, Valetudo, Animal, Homo : ut non inſit, Valetudo , Equus , Homo. Eodem modo res ſe habebit in ratiocinationibus quæ particulares ſunt: cùm enim ſit aiens,quod ineſt,uel in uniuerſo,uel in parte acceptum,nulla erit ratiocinatio:id ex eiſdem terminis oſtendetur,ex quibus antea fuit demonſtratum. At cùm fuerit priuans, erit per reciprocationem ratiocinatio , haud ſecus ac prius. Præterea ſi ambo interualla priuantia conſtituantur, uniuerſumq; ſit , quod non ineſt , ex ipſis propoſitionibus nihil quicquam neceſſarium ſequetur: at ſi,ut dictū prius eſt,contingens reciprocetur,erit ratiocinatio. Porrò ſi id,quod ineſt, priuans fuerit,atq; in parte ſumatur,ratiocinatio non erit:neq; etiam ſi altera propoſitio aiens,priuans'ue fuerit : neq; quando utræq; indefinitæ captæ aut aientes , aut negantes, aut particulares fuerint,eadem,& ex eiſdem terminis eſt demonſtratio.

Si A, B fuerit exiſtens priuans uniuerſalis, A, C aiens uniuerſa contingens , fiet ratiocinatio , quoniam Ariſtoteles hanc Nulli contingit, in Omni contingit reciprocari uult : contrà tamen, Omni contingit, in Nulli contingit,non commutat:quòd Omnis rem,reiq; naturam, & Nullus priuationem inducit : ridiculū enim uideretur,ſi id quod eſt,in illud quod non eſt,conuerteremus.

Mixtio Neceſſarij & Contingentis in ſecunda figura.

E PROPOSITIONIBVS ſi altera ex neceſsitate ineſſe,altera contingere ſignificat,ſi priuans neceſſaria fuerit,erit ratiocinatio:ac non ſolùm quia cōtingit non ineſſe,ſed etiam quia non ineſt. At ſi aiens fuerit,ratiocinatio non erit. Ponatur A nulli B neceſſario ineſſe,& omni C contingere:ſi priuans reciprocetur, B quoque nulli A inerit:uerum A omni C contingebat: fit deintegro in prima figura ratiocinatio , B ſcilicet nulli C ineſſe contingit. Simul etiā manifeſtū eſt,B nulli C ineſſe:ponatur enim ineſſe,igitur ſi A nulli B contingit,& B ineſt alicui C, A alicui C non contingit:ſed omni contingere poſitum eſt. Eodē modo demonſtrabitur ſi ad C priuans ponatur. Præterea ſit enuncians neceſſaria altera priuans,& cōtingens,& A nulli B contingat,& omni C ex neceſsitate inſit,terminis ſic habentibus, nulla fit ratiocinatio : accidit enim ut B ipſi C ex neceſsitate non inſit. A enim ſit album,in quo B homo,in quo C olor:album quidē olori neceſſario ineſt , & nulli homini contingit, homoq; nulli olori neceſſario ineſt. Ratiocina-

tionem igitur contingendi non futuram eſſe perſpicuum eſt: nam neceſſarium non erat contingens. Sed neq; neceſſarii ratiocinatio componetur, quoniam neceſſarium uel ex utriſq; neceſſariis, uel ex priuante efficitur: fieri enim poteſt, ut iis poſitis B ipſi C inſit: quandoquidem nihil impedimento eſt, quin C ſub B ſit, A omni B contingat, & ipſi C inſit neceſſario: ut ſi C ſit uigilans, B animal, A motus: uigilanti enim neceſſario motus ineſt, omniq; animali contingit, atque omne uigilans animal eſt. Quibus quidem fit rebus, ut clarum ſit, eius quod ineſt, ratiocinationem non fore: ſiquidem cùm propoſitiones ita ſe habent, ineſſe neceſſum eſt. Sed nec erit affirmationum oppoſitarum: ea re factum eſt, ut nulla ratiocinatio futura ſit. Pari modo, ſi aiens è contrario ponatur, demonſtrabitur. Cùm uerò eiuſdē formæ propoſitiones fuerint, ſi priuantes ſint, ſemper ratiocinatio fit, reciprocata tamen propoſitione contingenti, ut fuit iam in præcedentibus conſtitutum. Sumatur enim A non ineſſe B neceſſario, ipſiq; C contingere non ineſſe, reciprocatis propoſitionibus fit, ut B nulli A inſit, A uerò omni C contingat: prima igitur figura formatur: etſi item ad C priuans ponatur, eodem modo fit. At ſi aientes conſtituantur, ratiocinatio non fiet: nam non ineſſe, uel neceſſario non ineſſe, non eſſe ratiocinationem conſtat, propterea quòd priuans propoſitio nec in eo quod ineſt, nec in eo quod neceſſario ineſt, fuit accepta: quin etiam in eo quod contingit non ineſſe, nequaquam erit ratiocinatio.

Si A B priuans uniuerſalis neceſſaria eſt, A C omni contingens, fit ratiocinatio, in qua B nulli C fortuito ineſſe concluditur. manifeſtum etiam eſt, B nulli C non ineſſe, perſpicuum inquam eſt, B eſſe nulli C eo modo, quo quicquam ineſt, hoc enim apertum facit B nulli C fortuito ineſſe. At ſi nonnulli dicant, Nulli, eo modo, quo nunc diximus, non induci, ponant ii, B nulli C eo modo ineſſe, poſtea igitur quàm A nulli B cōtingit, & neceſſario euenit B alicui C ineſt eo modo, quo ineſt quidpiam, iuxta aduerſariorum ſententiam.

A alicui C non contingit, A uidelicet non omni C neceſſario inſit eſt neceſſe, erat tamen A omni C fortuito: cumq; fieri nequeat, ut A & omni C fortuito inſit, & neceſſe ſit, non omni ut inſit, falſum dicit is, qui B alicui C per ſe ineſſe dixerit: quod ſi falſum eſt, ita fit, ut B nulli C eodem modo uerum ſit futurum. Cùm ſumeret A B nulli fortuito, & A C omni neceſſario, dixit non fieri ratiocinationem, quoniam Nulli fortuito, in Omni commutatur, inductaq; fuit cōcluſio B nulli C ex neceſsitate. At nunc B omni C ex neceſsitate fieri inquit poſſe: nam inutilium, atque artis expertium coniugationum proprium eſt, ut omni, & nulli inducant. Deinde ait, ſi ita termini ponantur, ut A C omni ex neceſsitate, A B nulli fortuito, quod etiam erat omni, nihil obſtat, quin concluſio B ex neceſsitate omni C ineſt, inferatur, quòd ſi C ſub B capiatur, ſi inquam B animal eſt, C uigilia, uigilia in animalibus ſpectatur, motus pro A capiatur, dicaturq; motus omni animali fortuito, motus ex neceſsitate ineſt omni uigilanti, atq; omne uigilans animal eſt: animal uidelicet omni uigilanti ex neceſsitate ineſt. Qua ex re clarum eſt eius, quod non ineſt. Hoc eſt, Patet Nulli re ipſa inductum iri concluſionem. Propoſitionibus ita ſe habentibus inductum eſt B omni C ex neceſsitate, & quoniam neceſſaria concluſio fuit illata, ablatum eſt contingentem, uel exiſtentem concluſionem induci, neceſſarium enim infirmat, ac confutat contingens, & quod ineſt. Sed oſtenſum eſt, Neceſſarium Nulli, inductum non eſſe, propterea quòd neceſſarium uel ex utriſq; neceſſariis uel ex priuante, quæ neceſſaria ſit, conflatur: ac non ſolum inducitur Nulli neceſſario, uel nulli re ipſa, ſed neque etiam ſi affirmationes oppoſitæ fuerint: hoc eſt, ſed nec Alicui re ipſa, uel Alicui ex neceſsitate concluditur: hæc enim, Alicui ex neceſsitate, huic, Nulli ex neceſsitate & hæc, Alicui re ipſa, huic, Nulli re ipſa repugnanter opponitur. In quibuſdam codicibus ita legitur: Neq; oppoſitarum affirmationum: quæ Lectio cum iis congruit, quæ ſuperius dicta fuere: nam dictum eſt paulo ante, ſi A B fuerit nulli fortuito, & A C omni ex neceſsitate, figuram non eſſe ratiocinatiuam, eo quod nulli ex neceſsitate, & omni ex neceſsitate, quæ ſe inuicem perimunt, inducitur. Reliquum eſt, ut nec omni ex neceſsitate, nec nulli ex neceſsitate, ſed nec iis oppoſitæ, uidelicet contingit omni, & contingit alicui, inducantur. hæc enim, Omni ex neceſsitate, huic, Contingit omni, atq; hæc Nulli ex neceſsitate, huic Alicui contingit, contraria eſt.

Nam ſi ita ſit, B non inerit C neceſſario: ut ſi A ſit album, B olor, C homo. Adde quòd nec etiam erit affirmationum, aut negationum oppoſitarum: quia B ipſi C neceſſario non ineſſe demonſtratum eſt: nullo igitur pacto ratiocinatio efficitur. Haud ſecus res ſe habebit in ratiocinationibus particularibus: cùm enim priuans uniuerſalis, & neceſſaria fuerit, ſemper & eius quod contingit, & non ineſt, ratiocinatio fiet, ac per reciprocationem erit demonſtratio.

CVM propoſitiones ita ſe habuerint, ut ambæ aientes cum ſint, altera neceſſaria ſit, contingens altera, B non ineſſe in C concludetur: hoc eſt B nulli C neceſſariò ineſſe: at ſi Nulli ex neceſsitate inducitur, quonam modo fieri poteſt, ut Nulli contingit, inferatur? Aut oppoſitarum negationum, quia B ipſi C neceſſario non ineſſe demonſtratum eſt. Id eſt, quia demōſtrauimus B olorem, ex neceſsitate nulli

c homini ineſſe, enunciationes oppoſitæ ſibi uiciſsim interitum afferunt. Hæc ita intelligenda ſunt, ac ſi diceret, neq; Omni re ipſa, neq; Omni ex neceſsitate, neq; Omni fortuito induci.

At cùm aiens, nullo pacto fit ratiocinatio, eodem modo ut in uniuerſalibus, eoſdemq́; per terminos demonſtrabitur: neq; cùm ambæ aientes ſumuntur, eius rei demonſtratio ea eſt, quæ & præcedentium: quando utræq; priuantes capiuntur, uniuerſaliſq;, ac neceſſaria ea eſt, quę non ineſſe ſignificat, per eas ita aſſumptas nihil quicquam erit neceſſarium: at contingenti propoſitione reciprocata, ratiocinatio non ſecus, ac prius, fiet. Si uerò ambæ definitæ uel in parte ponãtur, non erit ratiocinatio: demonſtratio eſt eadem, atq; ex eiſdem terminis. Quibus quidem fit rebus, ut neminem fugere debeat: cùm priuans uniuerſalis, & neceſſaria ponatur, ratiocinationem ſemper fore, eamq́; non ſolùm contingendi non ineſſe, ſed etiam non ineſſe, atq; etiam cùm aiens ponatur, nunquam futuram eſſe, poſtremò cùm termini eodem modo ſe habuerint, & in neceſſarijs, & in ijs, quæ inſunt, fieri, & non fieri ratiocinationem: ad ſummam ratiocinationes omnes imperfectas eſſe, & ex figuris antedictis perfici, palàm nobis ſit.

MAIOR propoſitio aiens uniuerſalis neceſſaria, & minor, quæ non omni contingat, nunquam ratiocinationem conficiunt, perinde ac ſi Non omni, in Alicui, commutata fuerit.

De mixtionibus ex utriſq; Contingentibus in tertia figura.

POSTREMA in figura utræq; contingentes cùm ſint, atq; etiam altera, ratiocinatio fiet. Igitur cùm propoſitiones contingere ſignificant, contingens itidem erit concluſio: cumq́; altera contingere, altera ineſſe, eadem ratione ratiocinatio conflabitur. At cùm hæc neceſſaria ponitur, ſiquidem aiens fuerit, concluſio neq; neceſſaria erit, neq; exiſtens: quòd ſi priuans fuerit neceſſaria, non exiſtendi fiet ratiocinatio, ut facta eſt prius. Contingens in ijs eodem modo, in concluſionibus ſumendum eſt. Primum itaq; contingentes ſint, & A & B omni C ineſſe contingat: quoniam ergo aiens particularis reciprocatur, & B omni C contingit, C quoq; alicui B continget. Quare ſi A omni C contingit, & C alicui B neceſſe etiam eſt, ut A alicui B contingat, fit enim figura prima. Et ſi A nulli C & B omni C ineſſe contingit, A alicui B non ineſſe contingat neceſſe eſt: erit enim ſecundo loco prima figura ex reciprocatione. Cùm utræq; priuantes ponuntur, nihi ex ipſis neceſſarium efficitur: fit tamen ratiocinatio, ſicut in ſuperioribus, modò propoſitiones reciprocentur. Nam ſi A & B ipſi C non ineſſe contingat, ſi contingere non ineſſe commutetur, fiet tertio prima figura ex reciprocatione, ſi è terminis alter uniuerſalis, alter particularis capiatur: cùm termini eodem modo ſe habent, ſicut in eo, quod ineſt: erit, & non erit ratiocinatio. A enim omni C & B alicui C ineſſe contingat, ſi particularis propoſitio reciprocata fuerit, prima figura denuo fiet: quoniam ſi contingit, ut A omni C, & C alicui B inſit, A quoq; alicui B continget. Item ſi ad B C uniuerſale conſtituatur, eadem erit ratio: atq; etiam ſimiliter A C priuans, B C aiens ſit, ſi per reiprocationem enim deintegro prima erit figura: ſi ambæ priuantes, hæcq; in uniuerſo, illa in parte ponatur, ex ijs, quæ ſumptæ fuerint ratiocinatio non componetur. ſi tamen propoſitiones reciprocentur, erit ueluti in ſuperioribus. Poſtremò quando utræq; indefinitæ, uel in parte capiantur, ratiocinatio non erit: etenim A & omni B & nulli inſit neceſſe eſt. Termini ut inſit, Animal, Homo, Album: ut non inſit, Equus, Homo, Album: atq; album medium cenſeo.

IN tertia figura ſiue utræq; propoſitiones cõtingentes ſint, ſiue altera ſolùm ſit, ita tamen ut altera uel neceſſaria, uel exiſtens ſit: fiet ratiocinatio. Concluſio autẽ cùm otræq; cõtingentes ſint, uel cùm altera contingens ſit, alteraq́; exiſtens, propriè contingens erit. at cùm altera cõtingens, altera aiens neceſſaria, concluſio neq; neceſſaria, neq; exiſtens erit, ſed ſimiliter atq; ſuperius, erit cõtingens: quòd ſi altera negans priuans ſit, efficietur concluſio, cum qua contingens dicimus concurrere: quandoquidem id eſt quod accipere debemus. Ac contingens quidem ita in his intelligendum eſt, atq; in ſuperioribus: hoc eſt, cùm ſit mixtio cõtingentis & exiſtentis, ſi concludatur contingens illud, contingẽs intelligetur, quod ſignificet idem, quod exiſtens, noo quod proprium ſit, Sed ait, Primum igitur contingentes ſint. Primum inquit, de iis, quæ ex duabus propoſitionibus aientibus fiunt, dicamus. Et A & B omni C contingat, Si igitur B C mioor reciprocetur in aientem particularem quæ eſt Aliquis, fiet in prima figura concluſio hoc pacto: A alicui B. quòd ſi A omni C, & C alicui B per reciprocationem, A alicui B ioerit. Deinde pergit hoc modo: Et ſi A nulli C, & B omni C ineſſe contingat, A alicui B non ineſſe contingat neceſſe eſt. Si inquit, maior negans capiatur, fiet denuo ratiocinatio, ſi B C minor in Aliquis conuerſa ſit. Nam ſi A nulli C, & C ex reciprocatione alicui B, A non omni B concludetur: uerùm ſi ambæ negantes ponantur, non fiet ratiocinatio ex eo, quod huiuſmodi propoſitiones ſumptæ ſint. Sed cùm hæ in aientes poſsint commutari, duobus modis concludi poterunt. Primò ſi ambæ in aientes uniuerſales commutentur, deinde minor conuertatur in Aliquis, quæ eſt aiens particularis, ex Omni & Aliquo concludetur Aliquis. Secundò, ſi maior permittatur eſſe negans uniuerſalis ut erat prius, & minor mutetur in uniuerſalem aientem, poſtea in

Aliquis,ut dictum eſt,conuertatur,concludetur Non omnis,quæ huic Aliquis,æqualis eſt. Tum pergit,& ait:Sicut in ſuperioribus.Hoc intelligendum eſt, uel cùm ſumpti ſint utriq; termini uniuerſales propoſitionum uniuerſalium aientium contiogentium,propriè contingens concludetur:uel cùm altera propoſitio ineſſe ſignificet,& eandem concluſionem inferet:ita enim in particulari quoq; proprie contingens concludetur. Quanquam differunt hæc inter ſe, propterea quòd in contingentibus etiam ſi utræq; oegantes ſint, fiet tamen ratiocinatio, modò minor negans commutetur: ac primum quidem io uniuerſalem aientem,deinde in particularem conuertatur,atq; ita coniugatio ratiocinatiua efficietur.In eo autem quod ineſt,non ita fit, ut in contingenti,propter ea, quæ ante dicta ſunt nobis. ſed tum demum argumentabimur cùm una particularis fiat. Ex quo fit, ut ex propoſitionibus, quæ ioeſſe ſignificant, poſsimus ratiocinari. Cootingat enim ut A omni C inſit, ac B alicui C. ex quibus ſi particularis in ſe ipſam reciprocetur, fiet ratiocinatio,quamuis etiam particularis maior negans, & minor uniuerſalis aiens ſtatuatur: ſed fiet etiam ratiocinatio,ſi maior particularis in ſe ipſam conuertatur: quandoquidem Non omnis,in ſeſe,atq; in Aliquis, quia Aliquis ei æqualis eſt, in ſolis contingentibus conuertitur. Ita ſi ratiocinationem à B incipias, concludes B non omni A. deinde conuertetur oratio,& A omni B ineſſe concludetur.Poſtremo ait,Erit, & non erit ratiocinatio.Si enim uel maior ſit Omnis, & minor Aliquis, uel etiam maior Nullus, & minor Aliquis,in tertia figura ratiocinatio conficietur:ſi uerò maior ſit Omnis,& minor Non omnis, uel maior Aliquis, & minor Nullus, ratiocinatio non fiet: propterea quod tertiæ figuræ proprietas non ſeruaretur:uerùm ſi priuantia conuerterentur,tum deniq; fieret. Iam uerò ſcire debemus, tertium modum particularis ratiocinationis,quæ in tertia figura fit, hoc pacto confici:Candor contingit alicui mouenti,animal omni mouenti,poſtea concluditur ſic,Candor alicui mouēti contingit. Quòd ſiquis nunc rogaret,quamobrem pateat candorem alicui animali contingere, eidem ex reciprocatione perſpicuum eſſe reſponderemus.Nam ex eo,quod candor alicui mouenti,mouens quoq; alicui candori continget. Minor ſanè propoſitio ſe habebat ad hunc modum, Omni mouenti contingit. atq; in tertio primæ figuræ modo ex B C omni contingenti,quæ in maiorem mutatur,concluditur, Animal alicui contingenti candori. Sed id non erat nobis propoſitum, ut animal alicui candori contingere concluderemus. Sed contra, id quod dico, quia cùm Aliquis in ſeſe reciprocetur,concluſumq; ſit, Animal alicui candori,reciprocabitur,& animal contingere alicui candori concludetur.

Si è propoſitionibus altera ineſſe, altera contingere ſignificat, concludetur Contingit, & non quod ineſt: ratiocinatio autem fiet, ſi termini eodem modo, quo in prioribus, ſe habuerint, Sint primum aientes,& A omni C inſit. B uero omni C contingat,ſi igitur B C reciprocetur, prima figura efficietur:atq; etiam concludetur, A alicui B ineſſe contingit,cùm enim altera propoſitionum in prima figura contingere ſignificabat,concluſio cōtingens ſequebatur.Simili quoque modo ſi B C ineſt, A C eſſe contingit, & A C priuans, B C enuncians ſit, utrumuis exiſtat,contingens erit utroq; modo concluſio:fiet enim rurſus prima figura:in qua ſi altera è propoſitionibus contingere ſignificarit.concluſionem contingentem fore demonſtratum eſt. Si contingens priuans ad minorem extremitatem adiungatur,ambæq; priuantes conſtituantur, ex ijs,quę ponuntur,non erit ratiocinatio: at ſi reciprocentur,erit: ut dictum eſt nobis prius. Si uerò altera propoſitio uniuerſalis eſt, particularis altera: enunciantesq; utræq; ſint, atq; uniuerſalis priuans, & peculiaris aiens,idem erit ratiocinationum modus:omnes enim primæ figuræ beneficio abſoluuntur. Quibus quidem fit rebus,ut pateat, eius quod contingit,& non eius quod non ineſt,ratiocinationem fore.at ſi aiens uniuerſalis, priuans uerò in parte fuerit accepta, ex deductione ad id quod fieri nequit,demonſtrabitur.Inſit enim B omni C, A alicui C non ineſſe contingat,neceſſe eſt, ut A alicui B non ineſſe contingat: nam ſi A omni B neceſſario inerit, & B omni C ineſſe ſtatuatur, A omni C ex neceſsitate inerit.Hoc ſanè prius demonſtratum eſt nobis:ſed alicui contingere non ineſſe ponebatur.Cùm uerò indefinitæ,uel propriæ,ac ſingulares,utræq; capiantur,non erit ratiocinatio.Demonſtratio eadem,quæ in uniuerſalibus, & ex eiſdem terminis efficitur.

Si altera propoſitionum ineſſe,altera contingens ſignificabit,concluſio non erit eius,quod ineſt,ſed contingentis.In quo eſt animaduertendum,ſi maior propoſitio contingens ſit, & minor exiſtens, propriè contingeotem concluſionem fore. At ſi maior ea eſt, quæ ineſt, & minor contingens,concluſio ei æqualis eſt, quod ineſt,atq; A alicui B non ineſt,ſed contingit.

Mixtio Neceſſarij, & Contingentis in tertia figura.

Deniqve ſi è propoſitionibus altera Neceſſaria ſit,Contingens altera: ſicq; termini fuerint enunciantes,eius quod contingit, ſemper erit ratiocinatio. At cum aiens, tum negans

fue

fuerit,ſi aiens neceſſarius extiterit: erit ratiocinatio contingentis non ineſſe. Si uerò priuans,eius erit,quod non ineſſe,& ineſſe contingit. At ut neceſſariò non inſit, minimè licet ratiocinationem fieri, quemadmodum nec etiam in alijs figuris efficiebatur. Primùm itaq; ſint termini enunciantes,& A omni C ex neceſsitate inſit, & B omni C ineſſe contingat:quoniam A omni C ex neceſsitate, C uerò alicui B contingit, A quoq; alicui B continget,& non inerit: hoc enim modo in prima figura eueniebat. Haud ſecus demonſtrabitur, ſi B C neceſſaria,& A C contingens ponatur. Præterea ſi alter enuncians,alter priuans, enuncians'q; neceſſarius ſit,& A contingat nulli C ineſſe, B uero omni C ex neceſsitate inſit, erit denuo prima figura, & concluſio contingens, & non inſtans euadet,uel ex eo, quod priuans propoſitio contingere ſignificet:concluſionem igitur contingentem fore clarum eſt. Nam cùm tales eſſent propoſitiones in prima figura,concluſio contingens erat. Si uerò propoſitio priuans neceſſaria ſit, erit itidem concluſio, tum quia contingit alicui non ineſſe,tum quia non ineſt. Ponatur enim A neceſſario in C non ineſſe,& C omni B contingat, B C aiente reciprocata, prima figura fiet, & priuans propoſitio neceſſaria exiſtet. Cùm autem propoſitiones ita ſe habebant,ut A alicui C contingeret non ineſſe, atque etiam ut non ineſſet eueniebat: ex quo efficitur, ut A quoque alicui B non ineſſe neceſſe ſit. At quando priuans ad minus extremum ponitur,ſi contingens fuerit, ratiocinatio propoſitione permutata, ut in prioribus,erit:ſi fuerit neceſſaria,non erit:etenim neceſſe eſt, ut & omni, & nulli ineſſe contingat. Termini,omni ut inſit,ſunt Somnus,Equus,Dormiens homo:nulli,Somnus,Equus,Vigilans homo. Similiter res ſe habebit, ſi alter terminus uniuerſalis, alter particularis ad medium ſit:ſi enim utriq; enunciantes ſint,contingendi,& non exiſtendi fiet ratiocinatio:& cùm alter priuans, alter aiens, neceſſarius'q; aiens capiatur, cùm uerò priuans neceſſarius ſit, eius itidem concluſio non exiſtendi euadet, erit enim idem demonſtrationis modus, & cùm uniuerſales, & cùm non uniuerſales termini fuerint:cùm enim per primam figuram ratiocinationes perficiantur, neceſſe ſit,efficitur,ut quemadmodum in illis,ita quoq; in ijs,neceſſarium eueniat. Quando priuans uniuerſè ſumptus ad minorem extremitatem apponatur, ſi contingens fuerit, per reciprocationem ratiocinatio componetur: at ſi neceſſarium,non erit,eodem modo,quo in uniuerſalibus,eoſdem'q; per terminos demonſtrabitur. In hac igitur figura quando, & quomodo futura ſit ratiocinatio,quando item contingendi,& quando exiſtendi,perſpicuum eſt. Nemini quoq; dubium ſit, omnes ratiocinationes imperfectas eſſe,ac per primam figuram abſolui,ac perfici.

SI A C omni ex neceſsitate, B C uerò omni fortuito inſit, concluſio Alicui fortuitu inferetur, quam æqualem, Alicui re ipſa,conſtat eſſe.

Cum autem ita ſe propoſitiones habebant,ut A alicui C contingeret non ineſſe,atq; etiam ut non ineſſet eueniebat. Hoc eſt,Concluſio & Non omni fortuito,& Non omni re ipſa inducta fuit. Quare & A alicui B non inſit neceſſe eſt. Hnc eſt,Non omni B ex neceſsitate:nam hæc, Non omni ex neceſsitate,has,Non omni fortuito,& Omni re ipſa,inducit.

PALAM autem ex ijs,quæ diximus factum eſt, ratiocinationes, quæ in ijs figuris fiunt, per eas,quæ in prima figura uniuerſales ſunt,perfici,atq; ad illas reduci. Omnem nunc ratiocinationem ita abſolutè ſe habere tum clarum erit, cùm omnem ratiocinationem fieri per has figuras demonſtrauerimus. Ab omni igitur demonſtratione, ratiocinatione'q; uel ineſſe aliquid,uel non ineſſe, id'q; uel in uniuerſo, uel in parte, atq; demõſtratiuè,uel ex ſubiectione demonſtrari neceſſe eſt:eius autem quod ex ſuppoſitione probatur,pars eſt id,quod ex eo quod fieri nequit, oſtenditur. Primùm igitur de ijs,in quibus uis eſt,& facultas demonſtrandi,uerba faciemus:quoniam ex harum declaratione de illis,quæ ad id,quod fieri haud quaquam poteſt,deducunt,atq; adeo de illis,quæ omnino ex ſuppoſitione ſunt,conſtabit. Itaq; ſi A de B tanquam ineſſe,uel non ineſſe ratiocinationē faciat oporteat,aliquid de aliquo capiamus neceſſe eſt:at ſi A de B ſumatur,id quod in principio quærebamus,captum erit: uerùm ſi A de C, & C de nullo,neq; quicquam de illo, neq; alterum de A, nulla erit ratiocinatio;ex eo enim, quòd unum de uno ſumitur,nihil neceſſario ſequitur:quo fit,ut altera propoſitio ſit aſſumenda. Igitur ſi A de alio,uel aliud de A, aliud'ue de C ſumatur,nihil impedimento eſt,quin ratiocinatio fiat:ad B tamen per ea,quæ ſumpta ſunt, non erit: neq; ſi C ineſt alteri,& illud item alteri, hoc'q; rurſus alteri,nec cum B conſeratur,neq; hoc pacto A ad B ratiocinatio fiet.

DE propoſitionum,quibus modus adiungitur,mixtione doctrinā fecit,nunc perorat,atq; inquit omnes ratiocinationes,quæ in iis figuris ſecunda inquam, & tertia, ac particulares quæ in prima ſunt, per duas uniuerſales primæ figuræ ratiocinationes abſolui,idq; fuiſſe iam demonſtratum. Oſtenſurus nunc eſt,quancumq; ratiocinationem ſiue enuncians,ſiue hypothetica ſit,in unam trium figurarū reduci:nam ſi omnem enunciantem ſub unam ex tribus figuris adduci fuerit demonſtratum,eas etiam, quæ cum ſubiectione,aut

conditione quadam fiunt,ſub trium figurarum aliquam adduci conſtabit. ſiquidem huiuſmodi ad ſui perfectionem enunciantis indigent. Demonſtratiuæ dicuntur ratiocinationes,quæ enunciantes ſunt,quæq; ex propoſitionibus enunciantibus ex recto caſu ſic inducunt, Anima immortalis eſt, uel ſic, Anima mortalis non eſt : connexæ uerò ratiocinationes, quæ omnino,& per tres dicuntur, non colligunt abſolutè hoc modo,Deus æterna facit,ſed ex ſubiecta ſuppoſitione hoc pacto,ſi Deus bonus eſt,ſequitur poſtea,& Deus æterna facit.Omnino enim hypotheticæ appellantur, quoniam omnes propoſitiones aſſumptæ per ſubiectionem quandam capiuntur. Per tres etiam uocantur ob eam cauſam,quòd ex tribus ſubiectionibus perfectionem ſortiuntur ſuam. Vna ſubiectio eſt, Si Deus iuſtus eſt,ſunt apud inferos iudicia : altera eſt, Si apud inferos iudicia ſunt,hominum animæ non ſunt mortales : & deinceps tertia, Si Deus iuſtus eſt,hominum animæ mortales non ſunt : id quod fuit etiam in cauſa,ut Philoſophus dixerit eam,quæ ex eo efficitur quod fieri nequit,partem eſſe ratiocinationum,quæ ex ſubiectione fiunt:ac ob id huiuſmodi ratiocinatio omnis,quæ ex eo quod fieri non poteſt,conflatur, duabus utitur ratiocinationibus ex iis quæ cum ſubiectione fiunt.Indiget præterea ratiocinatione enunciante ſui perficiundi gratia : ueluti ſi quis ex demonſtratione,per quam quis urgetur incommodo,probaturus ſit,mediã lineam non eſſe lateri cõparabilem,ſic dicat : Media linea eſt comparabilis uel incomparabilis lateri, uerùm comparabilis non eſt, incomparabilis igitur eſt:Siquis roget,quare comparabilis non ſit, ita ratiocinatio fiet : Si media linea eſt lateri comparabilis,idem numerus par erit,& impar:ſed idem numerus par & impar non eſt, media igitur linea non eſt lateri comparabilis. Quòd autem fieri nequeat , ut idem numerus par atq; impar ſit , per ratiocinationem enunciantem hoc pacto probat : Octo & nouem ſubdupli unius, & eiuſdem numeri , Sexdecim uidelicet, inueniuntur:qui uerò unius,& eiuſdẽ numeri ſubdupli comperiũtur, neceſſe eſt eoſdem eſſe:octo igitur,& nouem eadem inter ſe ſunt. Veritas enim ita ſe habet , mediã lineam non eſſe lateri comparabilem:media enim linea dicitur ea , quæ bipartito quadratum ſecat. At ſi quiſpiam dixerit , dimetientem eſſe eiuſdem, cuius latus eſt,menſuræ:ea uerò quæ menſuram eandem habent, eandem itidem habent rationem , quam numerus redundans,aut maior ad numerum habet:ſit dimetiens quaternus,latus ternus, numerus quaternus ad ternum redundans dicitur , nam & totum ternum , & tertiam inſuper ipſius partem complectitur : qua de re ternus ad binum redundans dicetur , quoniam & totum binarium , & ipſius medium continet. Appellatur hic quaternus ad ternum ſeſquialter : eſtq; à latere quadrati ſpacium , & area , cuius eſt dimetiens nouem , nam ter tres nouem faciunt, quadratum autem à media linea deſcriptum , ſexdecim, quater enim quatuor ſexdecim conficiunt , nam Geometra demonſtrat quadratum à dimetiente effectum duplum eſſe eius,cuius dimetiens ſit: inuenietur numerus ſextus decimus noni duplus, ſed octaui etiam duplus eſt , noniq; ac octaui decimusſextus duplus comperietur , ſunt enim & octauus , & nonus iidem , hoc eſt pares , & impares : quod ſanè impoſsibile ex eo inductum fuit , quòd poſitum ſit , dimetientem menſuræ eiuſdem eſſe , cuius latus ſit. Cæterùm communis non eſt utriſque menſura , igitur non communis.

Primum igitur de ijs , in quibus uis eſt , & facultas demonſtrandi , uerba faciemus. Hoc eſt, de enunciantibus. quas ſi demonſtratum fuerit adduci ſub aliquam ex tribus figuris , clarum erit deductionem ad id , quod fieri nequit , & eas , quæ per ſubiectionem fiunt , ratiocinationes , ſub aliquam trium dictarum figurarum adductum iri. Igitur ſi propoſitum nobis eſt demonſtrare A omni , uel nulli B ineſſe , aliquid de aliquo capere cogimur , id nimirum ex propoſitionibus poterit demonſtrari : atque ſi uis,cape A immortalem , B animam : rogatus itaque,ut demonſtres,cur A inſit B , idipſum in illius demonſtrationem aſſume , & loquere hunc in modum. quoniam A ineſt B , hoc ipſum à principio ſumptum,& in quæſtionem adductum, pro conceſſo, & probato fuit acceptum : at in demonſtrando A ineſſe B , non quod in controuerſiam poſitum eſt, in quæſiti demonſtrationem , ſed alias aſſumere propoſitiones oportet.Si inquam demonſtraturus ſis A ineſſe B accipies A dici de C , & C de nullo alio enunciabis, ut prima figura conficiatur.

Neque quicqam ueluti D dicetur de illo C , ut tertiam figuram facias.

Neque alterum uelut E de A enunciabitur : ut hoc etiam modo prima figura componatur,nulla fit ratiocinatio. Ex eo enim quod unum de uno ſumitur. Hoc eſt , unam propoſitionem capiendo nullam concluſionem demonſtrabis : quibus quidem fit rebus, ut cum accipias D de C altera quoque propoſitio ſit capienda , nam ex duabus propoſitionibus fit ratiocinatio. Igitur ſi A de C , & de alio , hoc eſt de ipſo D enunciatum capiatur, ſecunda figura euadet. Vel aliud. Hoc eſt, ſi D de A enunciabis, primam figuram facies. Aliud'ue uidelicet ſi D de C enunciabis,tertiam efficies. Si propoſitiones ita accipias,nihil obſtat, cur ratiocinatio non fiat. Verùm ex propoſitionibus aſſumptis A ad B non concludes , hoc eſt non demonſtrabis A ineſſe in B , propterea, quòd propoſitiones,quæ captæ fuerant,non coniunguntur ,& adhærent ipſi B , nec ullam habẽt cum B relationem.Nec ſolùm ſi duas propoſitiones deiunctas à B ſumpſeris , non induces A ineſſe B , ſed nec etiam ſi plures : ut ſi A de C , C de D , D de E , E de F. eæ enim non hærent B , neq; cum illo conferri ullo modo queunt.

Neque hoc pacto A ad B ratiocinatio fiet.Neq; uidelicet hoc modo A ineſſe B demonſtrabis. Omnis enim ratiocinatio è duabus propoſitionibus conflatur. euenit ſæpenumero, ut plures capiantur, cùm propoſitiones ſumptæ demonſtratione indigent:haſq; per ratiocinationes antecedentes demonſtramus:&

ratio

ratiocinationum antecedentium propoſitiones accipimus,& hac ratione plures propoſitiones fiunt.

Nullam unquam fore alterius de altero ratiocinationem dicimus, niſi medium aliquod capiatur, quod ad utrumcꝫ quoquomodo per enunciationes referatur. Ratiocinatio enim abſolute ex propoſitionibus efficitur,atcꝫ ea, quæ eſt ad hoc,ex ijs,quæ ad hoc ſunt, propoſitionibus conflatur : quæ autem eſt huius ad hoc, ex propoſitionibus, huius ad hoc conſtituitur. Fieri enim non poteſt,ut ad B propoſitionem capiamus,præſertim cùm de eo nihil quicquam dicatur,aut negetur:aut rurſus eius,quod eſt A ad B cùm nihil commune ſumamus, ſed propria quædã utriuſcꝫ affirmemus,aut negemus.quapropter medium capiendum eſt, quod enunciationes copulet utriuſcꝫ atcꝫ hac ratione huius ad hoc fiet ratiocinatio. Quare ſi quicquam utriſcꝫ cõmune capiendum eſt,hoc triplici modo ſumi poteſt,aut enim A de C,& C de B,aut C de utriſcꝫ,aut utracꝫ de C enunciabũtur.ſunt enim hæ figuræ,quas diximus.clarum eſt quamcumcꝫ ratiocinationem per harum figurarum aliquam fieri neceſſe eſſe,eadem enim ratio eſt, ſi per plura ad B adiungatur : nam figura etiam in multis eadem erit.

ALICVIVS de aliquo nunquam erit ratiocinatio, hoc eſt A ad B, niſi medius terminus habens communionem quandam ipſius A ad B, capiatur.

Ratiocinatio enim omnis ex propoſitionibus efficitur.atcꝫ ea,quæ eſt ad hoc. Hoc eſt, Ratiocinatio,quæ eſt ad ultimam extremitate B inquam ex iis propoſitionibus,quę ad hoc, uidelicet ad B, ex illis ſcilicet fit,quæ ipſum conſequuntur. Controuerſum eſt, quanam ratione id dixerit Ariſtoteles, ratiocinationem uidelicet, & demonſtrationem fieri è ſubiecto, hoc eſt à B, & nunquam ſubiectum demonſtretur.nam ſubiectum anima eſt,ratiocinatioq́; non animam, ſed affectus, qui in anima inſunt, uelut immortale,uel æternum,uel à ſe moueri demonſtrat.quod cum Ariſtoteles elegantiſsimus omnium Philoſophorum,& eruditiſsimus non ignoraret,ſe ipſum corrigens ita inquit, Quæ autem eſt huius ad hoc, uidelicet immortale ineſſe animæ,fit è propoſitionibus inſequentibus,communitatemq́;,ac relationem & ad immortale, & ad animam habentibus. Fieri enim non poteſt, ut propoſitionem coniunctam B capiamus,ſi non acceperimus communem quendam terminum,qui de B dicatur,aut negetur,uel etiam niſi terminum communem ſumpſerimus,qui ad A, & ad B habeat communionem. Sed propria utriuſcꝫ affirmamus. Hoc eſt, propria & A, & B ſeparans uidelicet, diſtinguensq́; negantia, inter quæ nulla poteſt eſſe communio. Vel ſi acceperis immortale ineſſe angelo,globoſum cœlo,æternum animæ,ecce propoſitiones multas,quæ nihil inter ſe conueniunt,aſſumpſiſti,quapropter medium quoddam A & B communionem habens ad utrumq; capiendum eſt,qnod ita enunciatiationem A ad B coniungat,ut ratiocinatio A ad B fieri poſsit.Itaq; ſi medium terminum,qui communitatem A ad B habeat,ſumere neceſſe eſt,talis terminus trifariam capitur:uel enim A de C, & C de B enunciabitur,& fiet prima figura:uel C de utriſque A & B, & fiet ſecunda: uel utraq; A & B de C, & tertia figura conficietur. Hæ figuræ ſunt,quas declarandas ſuſcepimus,ac profeſsi ſumus.Omnem igitur ratiocinationem è duabus propoſitionibus conflatam,in una ex tribus figuris fieri conſtat. Baſis trianguli, quod duo latera habet æqualia, uidelicet E F recta partem quandam circuli abſcindit:fit enim triangulum duorum æqualium laterum per medias lineas per medium deductas,patet angulos ſemicirculi, uidelicet A C, & B D æquales eſſe, æquales etiam ſunt partis anguli C & D: cùm autem æqualia ab æqualibus præciduntur,æqualia itidem ſunt, quæ reſtant:æquales igitur anguli C & D abducti ab angulis A C, & B D,qui æquales ſunt,ea fecerunt æqualia, quæ ſuperfuere,uidelicet E & F. qui anguli trianguli ſunt. A C & B C anguli ſunt ſemicirculorũ ab rectis lineis ſectorum, ab A ſcilicet,& B, quæ per medium protractæ fuerant.

Igitur omnes ratiocinationes demonſtratiuas per figuras antedictas perfici, palam fecimus: ex ijs etiam patebit,eas quæ per id quod fieri nequit efficiuntur,per eaſdem abſolui : omnes enim ratiocinationes, quæ per impoſsibile concludunt, falſum inferunt : quodcꝫ à principio ſumptum fuerat, quando poſita repugnantia quicquam euenerit, quod fieri non poſsit,demonſtrant ut dimetiens eiuſdem dimenſionis non eſt, quoniam ſi dimetiens eiuſdem eſſe menſuræ poneretur, paria imparibus æqualia fierent, aut imparia paribus æqualia eſſe ratiocinarentur. Quòd autem non eiuſdem dimenſionis ſit, ex ſuppoſitione demonſtrant, quoniam propter repugnantiam falſum euenit. Ex eo,quod fieri nequit,ratiocinari dico,impoſsibile quicquam ex ſubiectione à principio poſita demonſtrare. Quapropter quoniam falſi ratiocinatio demonſtratiua fit in ijs,quæ ad impoſsibile deducunt,quod à principio ſumitur,ex ſubiectione demonſtratur. Paulo ante demonſtratiuas ratiocinationes in his figuris concludi diximus. Ratiocinationes quocꝫ, per quas aliquis in commodo urgetur, atcꝫ adeo omnes, quæ per ſubiectionem fiunt, per has figuras fore perſpicuum eſt : nam in omnibus ad id, quod tranſſumitur, ratiocinatio fit, at principium uel pro conceſſo habetur,uel ex alia quadam ſubiectione perficitur. Id ſi uerum eſt,omnem demonſtrationẽ,ratiocinationemcꝫ in tribus figuris memoratis fieri eſt neceſſe. Hoc demonſtratum cùm fuerit, omnem ratiocinationem per primam figurã perfici, & in illius figuræ uniuerſa-

les reduci conſtabit. In omnibus præterea enũcians quidam terminus, aut uox, dictio'ue, atq; uniuerſalis ſit oportet: quoniam abſque uniuerſali uel ratiocinatio non erit, uel ad id, quod propoſitum eſt, non fiet: uel quod à principio propoſitum fuerat, petetur. Ponatur enim, Muſicam uoluptatem honeſtam eſſe: ſi quiſpiam igitur uoluptatem honeſtam eſſe cenſeat, neque Omnem addat, ratiocinatio non erit: at ſi Quandam, ſi ea alia ſit, nihil ad rem eſt: ſi hæc eadem ſit, id ipſum capit, quod initio fuerat propoſitum. In formis, lineamentisq; geometricis hoc clarius, apertiusq; conſpicietur, ut trianguli duorum æqualium laterum angulos, qui ad baſim ſunt, æquales eſſe. Sint enim per medium ductæ A B: igitur ſi A C angulum æqualem angulo B D capiat, neque omnino omnes ſemicirculorum angulos æquales eſſe cenſeat, atque C angulum angulo D, non omnem autem angulum ſectionis acceperit, nec non ſi ab æqualibus angulis æqualia detracta ſint, reliquos E F æquales eſſe, niſi ſi ab æqualibus æqualia abſcindantur, reliqua æqualia remanſura eſſe ſumpſerit, quod principio propoſitum fuerat, poſtulabit. Clarum igitur eſt, in omnibus uniuerſale ineſſe debere, uniuerſale'que ex omnibus uniuerſalibus terminis, particulare uero, & hoc, & illo modo demonſtrari. Quo fit, ut ſi concluſio uniuerſalis ſit, terminos quoque eſſe uniuerſales ſit neceſſe: uerùm ſi termini uniuerſales ſint, fieri poteſt, ut concluſio uniuerſalis non ſit. Manifeſtum quoque eſt, in omni ratiocinatione uel ambas, uel alteram propoſitionem ſimilem concluſioni eſſe oportere. Id autem inquio non ſolum in eo quòd aiens ſit, aut priuans, ſed in eo etiam quòd neceſſaria, uel exiſtens, uel contingens ſit. Alias quoque appellationes conſideremus oportet: manifeſtum etiam abſolutè eſt, quando erit, & quando non erit ratiocinatio: & quando poſsibilis, atque etiam quando perfecta ſit futura: ac cùm ratiocinatio ſit, neceſſe eſſe, ut termini aliquo modo ex antedictis modis ſe habeant.

OMNES ratiocinationes demonſtratiuas, id eſt enunciantes per unam ex tribus figuris fieri, cum demonſtrarit, connexas etiam omnes ſumptionem habentes, per aliquam trium figurarum probat demonſtrari: ac in primis oſtendit deductionem ad id, quod fieri non poteſt, quæ ratiocinationum connexarum eſt pars, ex ratiocinatione enunciante perfectionem ſortiri, quam ſanè per unam ex tribus figuris fieri probauimus. Omnes enim concludentes, & demonſtrantes ex eo, quod fieri nequit, per ratiocinationem enunciantem falſum colligunt: paria ſcilicet imparibus æqualia eſſe. Quod falſum ex eo ſecutum eſt, quod poſitum ſit, Dimetientem habere communem cum latere dimenſionem. Quod tamen à principio ſumptum fuerat. Dimetientem uidelicet non eſſe commetientem ex ſubiectione demonſtratum fuit, à qua abſonum, & abſurdum illatum eſt: nam hoc impoſsibile uidelicet paria imparibus æqualia eſſe ex poſita repugnantia euenit. Repugnantia enim nunc oppoſitionem ſignificat: quoniã hæc, Non communis dimenſionis eſſe, huic, Cõmunis dimenſionis eſſe, repugnanter non opponitur, ſed tantum priuationis, atque habitus ratione. Verùm ut clarior, & illuſtrior fiat oratio mea, ſuperiora iterum iterabimus. Si quippiam demonſtrandum proponatur, ueluti dimetientem non communis eſſe cum latere dimenſionis, illudq; per enunciantem ratiocinationem demonſtrare non ualeamus, illius contrarium capimus, cõmunis ſcilicet eſſe dimenſionis, demonſtramusq; abſurdi quicquam ex eo induci, quod ſubiectum ſit, dimetientem, & latus inter ſe cõmetientia eſſe. At quidnam abſurdi eſt? Nimirum paria imparibus æqualia eſſe. Et quoniam ex ſubiectione id infertur, quod fieri nequit, dimetientem communem cum latere dimenſionem habere tanquam conceſſum, atque exploratũ accipimus. Quapropter quoniam demonſtratiua ratiocinatio è falſo fit in iis. Hoc eſt, paria imparibus eſſe æqualia, ratiocinatio demõſtratiua eſt in deductione ad id, quod fieri non poteſt. Quod autem à principio ponebatur in demõſtratione, dimetientem inquam commetientẽ non eſſe, ex ſuppoſitione, quæ dimetientem commetientẽ eſſe aſſerebat, demonſtratur: ex illa enim ipſa inductũ eſt falſum, paria, dico, eſſe æqualia imparibus. Omnes enim demõſtratiuas ratiocinationes per unam trium figurarũ confici demonſtrauimus. Reſtat igitur, ut & eas, quæ ex eo efficiuntur, quod fieri non poteſt, in una ex tribus figuris conflari neceſſe ſit. Ab iis, quæ in toto ſunt, hoc modo in prima figura ratiocinamur. Ratiocinationes, quæ ex eo conſtant, quod fieri nequit, per ratiocinationem demonſtratiuam perficiuntur: Omnis demonſtratiua ratiocinatio in una trium figurarum fit: Omnes igitur ratiocinationes quæ ex eo, quod fieri nequit, componuntur, per unam trium figurarum fiunt. Nam in omnibus ad id, quod aſſumptum fuit, ratiocinatio fit. Hoc eſt, ad tranſſumptionem: principium uerò in demonſtratione acceptum concluditur, & compertum, atq; exploratum inducitur: ueluti cùm animam ſempiternam eſſe uolumus demonſtrare, dicimus, Anima ſi caduca eſt, reſtat ut à propria malitia corrumpatur, ſed à ſui uitioſitate non corrumpitur, anima igitur æterna. Aſſumptionem hoc modo in ſecunda figura probabis: Nullla anima à proprio uitio corrumpitur, hæc minor eſt propoſitio: Omne, quod corrumpitur, à proprio uitio corrumpitur: nulla igitur anima interitui obnoxia eſt. Quod autem initio propoſitum fuerat, tanquam certum, & minime dubium ſumitur, animam uidelicet immortalem eſſe.

Vel ex alia quadam ſubiectione perficitur. Vt facit Ariſtoteles longe omnibus præſtans ingenio, & diligentia: qui cùm demonſtrare uellet cœleſtia corpora eſſe globoſa, lunam capit, quæ huiuſmodi cum illis eſt, & Luna, inquit, eiuſdem formæ eſt, cuius corpora cœleſtia, quod autem in uno eorum, quæ

eiuſd

eiuſdem ſunt formæ, hoc etiam in aliis habet locum: quoniam luna globoſa uidetur propter uarias apparitiones ſui, aliquando enim cornuta uidetur, deinde utrinque curua, tum falcata, poſtremo diuidua. Præterea Ratiocinationes connexæ in una trium figurarum perficiuntur. Igitur neceſſe eſt omnem ratiocinationem copulatam etiam per tres figuras fieri. Omnis enim ratiocinatio ſecundæ, & tertiæ figuræ per primam figuram perficitur, & ad duas uniuerſales illius figuræ reuocatur. In omni ratiocinatione enuncians ſit oportet, quoniam ſi ambæ negantes fuerint, ratiocinatio non fiet. Eodem pacto in omni ratiocinatione propoſitio uniuerſalis eſſe debet, quandoquidem è duabus particularibus ratiocinatio fiet nunquam. Sed duarum particularium aſſumptio in propoſitæ rei demonſtrationem non ſufficiet: uel quod principio propoſitum eſt, repetetur. Principium peti dicitur, quando idem ipſum, quod proponitur demonſtrandum, in ſuimet demonſtrationem iterum capitur: ueluti ſi animam immortalem eſſe probandum proponatur, ipſum idem, animam ſcilicet eſſe immortalem, accipimus in demonſtrationem ſui. idq́; quoniam immortale nihil eſt. Verum moueri ipſam per ſeſe, uel æternum, ſumenda ſunt. Pariter enim ſi demonſtrandum proponitur, muſicen eſſe uoluptatem, dicitur, Omnis uoluptas honeſta eſt, aut bona, ſi ita ratiocinaberis, bene habebit. Muſica uoluptas, uoluptas eſt, omnis uoluptas honeſta eſt, muſica igitur uoluptas honeſta eſt. quod niſi accipias, Omnis, & dicas, muſica uoluptas eſt uoluptas, uoluptas honeſta eſt, aliqua inquam uoluptas honeſta eſt, (Nam indefinitæ propoſitiones particularibus ſunt æquales,) ſi inquam quandam uoluptatem eſſe honeſtam dixeris, non accipiens muſicam, ſed eam, quæ à geometria prouenit, rem propoſitam non demonſtrabis: quoniam & ſi geometrica uoluptas honeſta eſt, muſica tamen uoluptas honeſta ſit, non eſt neceſſe, at ſi quandam uoluptatem eſſe honeſtam, non tamen muſicam ſumpſeris, quod à principio petebatur, ſumis, hoc eſt eo, quod fuerat demonſtrandum, uteris in ſui demonſtrationem. Sed ratiocinationem ex eo, quod fieri non poteſt, abſque uniuerſali propoſitione non conflari, in geometricis figuris erit clarius, & illuſtrius. Figuræ geometricæ appellantur, triangula, quadrata, utpote quæ à lineis componantur. utrum anguli, qui ad baſim ſunt trianguli, cuius duo latera ſunt æqualia, inter ſe æquales ſint, geometra diligenter inueſtigat, ac circulum pro huiuſce rei demonſtratione deſcribit, ducitq́; duas rectas lineas per medium B D, & A C bipartito circulum ſecans, in duos uidelicet ſemicirculos: cumq́; uniuerſalis concluſio ex duabus propoſitionibus uniuerſalibus inducatur, particularis autem, ſiue aiens ſit, ſiue negans, & hoc, & alio modo infertur, ut in prima figura Aliquis, & Non omnis concluditur, cum altera propoſitio uniuerſalis, particularis altera ſit. In tertia uero figura à duabus uniuerſalibus Omnis, & Omnis: ita etiam Non omnis, in prima figura à Nullo, & Aliquo, infertur, atque in tertia à Nullo, & Omni. In omni ratiocinatione, ſi concluſio aiens ſit, ambæ propoſitiones aientes ſint neceſſe eſt. at ſi negans fuerit concluſio, alteram propoſitionem negantem eſſe neceſſitas cogit. Alias quoque appellationes, modos uidelicet, poſsibilem, ac probabilem. Et quãdo poſſibilis. Hoc eſt, quando rationatio imperfecta eſt, perfici poteſt.

Manifeſtum item eſt, omnem demonſtrationem per tres fieri terminos, nec per plures fore, niſi eadem concluſio per alia, atq; alia fiat, ut E per A B, & per C D, uel per A B, & A C, & B C, quoniam nihil obſtat, quin plura media eorundem ſint. quæ res cum ita ſe habeat, facit, ut non una, ſed plures ratiocinationes euadant. At rurſum, cùm utrunq; A B per ratiocinationem capiatur, ut A per D E, & rurſus B per F G. uel hoc inductione, uel ratiocinatione probatur. ſed hoc etiam modo plures erunt ratiocinationes, uel ob eam cauſam, quòd plures concluſiones ſunt ut A, & B & C. ſi uero non plures, ſed una, efficitur ita, ut per plures eadem fiat concluſio: ſed ueluti C per A B fieri non poteſt.

DEMONSTRARE uult omnem ratiocinationem per tres terminos, duasq́; propoſitiones fieri: nam ſi uolumus demonſtrare aiens quippiam, aut negans, uelut A ineſſe B, uel non ineſſe, accipimus C medium terminum, qui & ad A & ad B referatur: atque per ipſum A ineſſe B uel non ineſſe concludimus. At ſi per alia, atque alia media concluſionem inferimus eandem, multas facimus ratiocinationes, propterea quòd multa media, & inde multæ propoſitiones capiuntur: demonſtrabimus enim hominem ſubſtantiam eſſe per medium animalis, & per medium animati, denique beneficio ſenſus participis. Capiatur E homo, D animatum, C animal, B ſenſus particeps, A ſubſtantia, inducaturq́; E concluſio, hoc eſt homo ſubſtantia eſt: hoc etiam per A B concludes. Cum aiat A B, per A propoſitionem hanc, Animal ſubſtantia eſt, per B hanc, Animal ineſt omni homini, reſerauit. Pariter enim hominem ſubſtantiam eſſe ope C, aut B, uel A B, & A C, & B C, probabitur. hæc uerba declarant, ſi eadem concluſio inducatur, ut album non omni homini per idem medium, Aethiopem inquam, eandem collationem ad extremitates habens eodem modo non unam, ſed plures ratiocinationes conflari. nam Non omnis in prima, ſecundaq́; ac tertia figura demonſtratur. B enim, hoc eſt album non omni C id eſt homini ineſſe probatur per A B capiendo A pro medio in prima figura. Eandem item per A B concluſionem in ſecunda figura inferes: quoniam ſi maiorem primæ figuræ propoſitionem reciprocaris, minorem uerò ita conſeruaueris, ſecundam figuram conficies: & denuo per B C eadem concluſio in tertia figura inducetur: minore enim primæ figuræ reciprocata, & maiore non mutata tertia figura euadet. Cum A B diceret, per A minorem pro-

poſitionem, Aethiops uidelicet alicui homini ineſt, at per B maiorem, album ſcilicet in nullo Aethiope ineſt, indicauit: cumq; ſubiungeret per A C, ſecundam figuram ſignificauit, in qua medius terminus A eſt, præterea per B C tertiam figurã patefecit: in tertia namq; figura C, hoc eſt homo de omni Aethiope enunciatur. **At rurſus ſi utrumq; A B.** Per A hãc maiorem propoſitionem claram fecit, Bonum inquam ineſt omni honeſto, & per B hanc minorem B C coarguit, honeſtum omni iuſto: maiorq́; propoſitio A B, & B C minor debet ex ratiocinatione antecedenti demonſtrari: atq; ita multæ de integro ratiocinationes erunt: efficiuntur enim multæ propoſitiones, multæq́; concluſiones.

Vel hoc. Hoc eſt, unam propoſitionem, architecturam uidelicet, per inductionem uitæ utilem eſſe demonſtramus: uel quòd omnis ars utilis uitæ ſit, uel quod peculiares, ac ſingulæ artes, ut fabrica æraria, architecturaq́; uitæ utilitatem præſtent: at altera propoſitio minor, uidelicet Medicina ars eſt, per ratiocinationem hoc medio termino, ratio uia ad aliquid efficiendum muniens accepto demonſtratur: ea autem ratiocinatio in hunc eſt modum: Medicina ars eſt, omnis ars utilis uitę eſt, Medicina igitur uitæ utilis eſt. Eadem igitur concluſio uel per alia, atque alia media, uel per illud ipſum medium per alias uerò, aliasq́; figuras inducitur: uel maior propoſitio, ex antecedenti ratiocinatione, & altera ex inductione, uel altera ex inductione, altera ex ratiocinatione præcedenti demonſtratur: quocirca multæ ratiocinationes antecedentes fiunt. Si quis dixerit, propoſitiones quoq; per continuationem capi poſſe, unamq́; effici ratiocinationem, non rectè dicet. Fieret quidem ratiocinatio compoſita pluribus è propoſitionibus cõflata, una tamen propria ratiocinatio nequaquam efficeretur: nam multæ eſſent & ratiocinationes, & concluſiones, ut A B C, una enim concluſio eſt A B, honeſtum eſſe bonum, altera eſt A C, iuſtum eſſe bonum, tertia B C, iuſtum honeſtum eſſe.

Si igitur non plures, ſed una. Hoc eſt, Ratiocinatio per plures propoſitiones, & terminos facta, ſimul & propoſitiones, & concluſiones, ratiocinationum antecedentium per complexionem capiendo, una quidem dicitur: at non proprie una eſt, uerùm una compoſitionis ratione: nam ut ratiocinatio, quæ C ex A B inducit, propriè una appellatur, ita una propriè non dicitur illa, quæ concluſionem ex multis propoſitionibus infert. Capiatur C loco concluſionis, & A B loco duarum propoſitionum: euenit enim ut ex multis eadem fiat cõcluſio: hoc eſt, effici namq; poteſt, ut propoſitiones ante ratiocinationes accipiamus, haſq́; per ſeriem, & continuationem unà inferre concluſionem affirmemus. Huiuſmodi tamen ratiocinationem non propriè unam, ſed compoſitam eſſe neminem fugiat.

Concluſio E ſit ex A B C D. ergo aliquid eorũ aliud ad aliud ſumptum eſſe, hoc ut totum, hocq; ut partẽ neceſſe eſt, hoc enim demonſtratũ prius eſt: ut ſi ratiocinatio ſit, aliquos terminos ita ſe habere neceſsitas cogat. hoc itaq; modo ſe habeat A ad B: quædã igitur ex ijs efficitur concluſio. Ergo aut eſt E, aut ex C D alterutrum, aut præter hæc aliud quicquã: ac ſi E, ex ſolis A B fiet ratiocinatio. C D uerò ſi ita ſe habeant, ut alterutrũ ut totum ſit, alterutrũ uerò ut pars, ex ipſis etiam aliquid erit: idq; aut E, aut alterũ ex A B. aut aliud quiddam iis exceptis: ſicq; fuerit E, aut alterutrum ex A B, uel plures ratiocinationes erunt, uel eueniet, ut contingebat, ut idem per plures terminos concludatur. At ſi pręter hæc aliud quidpiam erit, ratiocinationes plures erunt, & inter ſe deiunctæ: uerùm ſi C ad D ita ſe non habeat, ut faciat ratiocinationẽ, fruſtra erunt aſſumpta: niſi uel inductionis cauſa, uel ut differentem in errorem inducamus, uel cuiuſdã alterius huiuſmodi rei gratia fiat. Si autem ex A B non E, ſed alia quædã concluſio oriatur, & ex C D, aut horum alterutrum aut aliud præter hæc, plures, & non eius, quod propoſitũ eſt, ratiocinationes fiunt. Ratiocinatio enim ipſius E eſſe ponebatur. ſi uerò nulla ex C D, fiat cõcluſio, eueniet, ut ipſa quoq; fruſtra ſumpta ſint, eiuſq;, quod in principio inſtituebamus, ratiocinatio non ſit. Ex quo manifeſtum eſt, omnem demonſtrationem, omnemq; ratiocinationẽ per ſolos treis terminos fore. quod ubi pateat, è duabus etiam, & non pluribus propoſitionibus eſſe eas conſtat: nam tres termini duæ propoſitiones ſunt, niſi aliquid, ut dictum eſt prius, ad ratiocinationũ perfectionem aſſumatur. Perſpicuum igitur eſt, in qua ratione ratiocinatiua propoſitiones, ex quibus concluſio propriè infertur, pares non ſint, (nam quaſdã propoſitionum ſuperiorum concluſiones eſſe neceſſe eſt) eam rationem aut ratiocinatiuã non eſſe, aut plura ad propoſitum interrogaſſe, quàm neceſſaria fuerint. Si igitur ratiocinationes ex proprijs propoſitionibus capiãtur, omnis ratiocinatio paribus è propoſitionibus, terminis autem imparibus efficietur.

VVLT demõſtrare omnem ratiocinationẽ propriè ex duabus propoſitionibus induci, quæ ratiocinatio propriè una eſt: quod cùm uellet demonſtrare, ſi E inquit, concludatur, uidelicet iuſtum bonum eſt alterum de altero enunciatum capiamus neceſſe eſt, & A cõtinere B & C D, & mutuam habere relationem adeo, ut hoc totum, hocq́; pars ſit: etenim ſi termini inter ſe conferuntur, & maior propoſitio continet minorem, ut hæc, Subſtantia omni animali ineſt, hanc, Animal omni homini ineſt, complectitur: ſed ſi ſunt termini, in quibus nulla mutua relatio ſit propoſitioneſq́; ſeiunctæ, & quæ inter ſe nulla in re communicent, uelut equus animal eſt, canis quadrupes, homo bipes, ratiocinationem non facies: atque ſi inducatur ex A B, (dicens A, propoſitionem A B indicauit, & cùm diceret B, propoſitionem B E manifeſtam fecit)

cit habemus, quod quærebamus: hoc eſt, ut ex duabus propoſitionibus fiat ratiocinatio. Hoc itaq; modo ſe habeat A ad B. ut A uidelicet ipſum B complectatur, ex illis: aut E, aut C, aut D cõcludes. Aut præter hæc aliud quiddam. Hoc eſt, E, atq; ſi E ex A B inferes, quæſitum aſſequeris, ratiocinationem uidelicet ex duabus propoſitionibus conflari. Cùm propoſita uerba eſſet perfectè probaturus, hoc pertranſiuit, procedens tamen aſſumpſit. Probationis repetitio talis eſſe debebat: Si E non illatum eſt medium ex A B, ſed uel C, uel D, uel F, non una ratiocinatio, ſed plures fient. C D uerò ſi ita ſe habeant, ut alterum tanquam totum ſit, alterum ut pars, ex iis, uel E, uel A, uel B concludetur. A autem & B ita inducitur, ſi ratiocinari ab eo incipias, quod in toto eſt, deueniasq; uſq; ad A, uel B, & eo etiam modo multæ ratiocinationes fient: quiq; multas concluſiones inducit, & ſi propoſitiones, & præcedentium ratiocinationum concluſiones ſimul per continuationem capit, unam tamen concluſionem inferet. E inquam, ut ſæpe uſu uenit. At neque hoc pacto una propriè ratiocinatio, ſed una collocatione, & conſtitutione euadet, ſi ex C D, E induces, A & B non inferes, ſed aliud, ueluti F. Multæ quoque hoc pacto ratiocinationes conficiuntur ob eam cauſam, quòd propoſitiones inter ſe nullo uinculo coniunguntur: nam F in ratiocinationem non ingrediebatur, neque ſub C, aut D continetur, ipſa'ue continet. At ſi C nullam habet ad D comparationem, neque illud complectitur, fruſtra ſumpta ſunt, quippe quæ ratiocinationem non faciant: nam è propoſitionibus, terminisq; incompoſitis ratiocinatio non efficitur, niſi fortaſsis C, & E inductionis cauſa, quæ ex ſingulis uniuerſa demonſtrat, aſſumpſerimus. In inductione enim terminos inconiunctos accipimus, ut ſi uolumus probare, omne animal inferiorem oris partem mouere, accipimus equum, aſinum, bouem, & reliqua animalia inferiorem oris partem mouere. Sæpenumero etiam fallendi cauſa propoſitiones deiunctas capimus, ut differentem decipiamus: cùm enim ſumus demonſtraturi Voluptatem bonum eſſe, dicimus uoluptatem eſſe deſiderandum: deinde non dicimus Deſiderandum bonum eſſe, ne is, qui nobiſcum diſputat, prçuidens quod inferẽdum eſt, propoſitionem non concederet: ſed multa diiũcta petimus, nempe Deſiderandũ ex illis eſt, quç multifariam dicuntur: atqui deſiderandum, & appetẽdum eadem ſunt, igitur Deſiderium eſt boni appetitio. Deinde ſic omnia, quç conceſsit, nouiſsimè congregantes inducimus, Voluptas igitur bonum eſt. Diſiuncta ob hanc cauſam accipimus, ut ſermonem protrahamus, atq; inde propriam uim demonſtremus. Cum enim demonſtraturi ſumus Iuſtũ eſſe bonum, ſi differens iuſtum eſſe bonum non cõceſſerit, interrogabimus, Iuſtum laudabile'ne eſt? non'ne iniuſtos accuſamus, & reprehẽdimus? iuſtum modeſtiæ'ne, boniq; ordinis cauſa eſt? non'ne igitur honeſtum? honeſtum uero non'ne omnes ad ſeſe honeſtè, & pulchrè inuitat, & cõuertit? non'ne hoc fuit in cauſa, ut ei hoc nomen eſſet καλὸν ἐκ τοῦ καλεῖν, quod ad ſe omnes uocet, atque allectet? non'ne omnes illius amore tenentur? quod omnia appetunt, non'ne bonum eſt? poſtremo concludimus, Iuſtum igitur bonum eſt.

Si autem ex A B non E. Si inquam ex A B concluſio non erit E, ſed aliud quicquam, uelut F, ex C D uerò, uel horum alterum continue, uel A, uel B aut aliud præter hæc, ueluti G, ita etiam plures ratiocinationes efficientur, hæq; non eius, quod propoſitum eſt, uidelicet E propoſitum non demonſtrant: nam E propoſitum fuit per ratiocinationem demonſtrandum.

Si uero ex C D non concludatur. Hæc eſt probationis iteratio, quam paulo ante prætermitti diximus, ſed propter exemplarium indiligentiam cum ſcribendum eſſet ex A B, ſcriptum fuit ex C D, quoniam ſi A B diſiuncta ſunt, & alterum in altero non continetur, fruſtra ſumpta fuere, utpote quæ nullam concluſionem inducant, nec aliquam faciant ratiocinationem, quæ id, quod in principio proponebatur, ut uidelicet E concludatur, demonſtret. Vna propriè ratiocinatio terminos impares, treis ſcilicet & propoſitiones pares habet, concluſio eſt media propoſitionum pars, hoc eſt, una propoſitio eſt. In quadam uerò ratiocinatione ita termini, & propoſitiones non habent: etenim nonnullas propoſitiones, concluſionesq; ſuperiorum ratiocinationum ſimul capere, & non eſſe tre ratiocinationis perfectionem neceſſe eſt. Hæc oratio. Hæc uidelicet ratiocinatio è pluribus propoſitionibus conflata, uel non demonſtrauit, quod propoſitum erat, ſed aliquid aliud, uel plura interrogauit, quam quibus ad propoſitum opus ſit. Ad propoſitum. Hoc eſt, ad id, quod demonſtrandum propoſitum fuerat: nam qui cum aliquo ſermocinatur, uultq; demonſtrare hominem eſſe ſubſtantiam, ſi neceſſarias propoſitiones, concluſionemq; continentes, ut Homo animal eſt, animal ſubſtantia eſt, homo igitur ſubſtantia eſt, acceperit, bene habebit: at ſi acceperit hominem eſſe animal ridens, animalq; ſubſtantiam, plures propoſitiones, quàm opus fuerat, ſumpſerit. & illæ quidem concluſionem non colligunt: ſunt enim hæ, Homo riſus aptus, & animal ad riſum natum, quæ ſuperſunt.

Termini propoſitionum numerum uno ſuperant. concluſiones etiam ad propoſitiones dimidiæ ſunt: cùm autem per ratiocinationes antecedentes concluditur, uel plura media non continuata, ut A B per C D, terminorum multitudo eodem modo propoſitiones uno excedet: aut etiam extrinſecus, aut ad medium terminus intercedens ponetur. Vtroq; autem modo contingit, ut interualla ſint uno pauciora, quàm termini, & propoſitiones interuallis ſint æquales. At hæ non ſemper pares erunt, termini impares: ſed uiciſsim. Quoniam cùm propoſitiones pares ſunt, termini impares erunt: cumq; termini pares, impares propoſitiones erunt: ſimul enim cum termino una additur propoſitio, ſi utcunque terminus adiungatur. Quare cùm hæ pares,

illi

illi impares ſint : neceſſe eſt,ut cùm eadem acceſsio ſit,alternentur. Concluſiones autem eundem ordinem neq; cum terminis, neq; cum propoſitionibus habebunt:nam ſi unus terminus additus fuerit, concluſiones terminis præcedentibus uno pauciores accedent. Concluſio enim ad ſolum extremum terminum non fit, ſed ad alios omnes:ut ſi A B C adiacet D, ſtatim duæ quoq; concluſiones ad A & ad B adiungentur. Similiter in alijs. Si etiam in medium incidet, eodem modo: ad unum enim ſolum non fit ratiocinatio. Quare multo plures concluſiones erunt, quàm uel termini, uel propoſitiones ſint.

TERMINI cùm tres ſint, uno plures, quàm propoſitiones, quæ duæ ſunt, exiſtunt. atq; etiam concluſio, quæ duabus è propoſitionibus efficitur, illarum dimidium eſt : illarum inquam una eſt. Cum autem concluditur, fitq; ratiocinatio non è duabus propoſitionibus modò, ſed etiam per ratiocinationes antecedentes : hoc eſt, per propoſitiones, quæ in ratiocinationibus antecedentibus accipiuntur : ut, Iuſtum honeſtum eſt, honeſtum laudabile, laudabile appetendum, appetendum bonum, iuſtum igitur bonum. Vel quando media non continua capiuntur, hoc eſt, media non clarè, & apertè, ſed occultè diſpoſita hinc, & inde per medium ſint:ut, ſint ratiocinationis termini A, E, B, medius B, duos terminos inter ſe occultos cape, & D medium E, & B, C uerò medium A & E, omnes termini quinq; ſunt, & numerum propoſitionum uno exuperant, quæ ſunt quatuor : aſſumptus terminus uel aſſumitur extra B uel extra D, uel medius A E, uel E B medius eſt.

Vtroque modo. Hoc eſt, ſiue extrinſecus aſſumptus terminus capiatur, ſiue medius ſit, & hoc, & illo modo continget interualla, id eſt propoſitiones, uno eſſe terminis anguſtiores. Propoſitio enim, uelut homo animal eſt, dicitur eſſe interuallum : uerum ut elata, ac pronunciata, & rogata propoſitio appellatur : ſed quatenus animal in homine dicitur, ab ea re interualli nomen ducit : ſimul etiam accipiendo terminum, ſi utcumque terminus addatur, ſiue medius ſit A, & B uel extra A, uel extra B, una utique adiungitur propopoſitio : adeo ut ratiocinatio ex A, B, C, conflata terminos impares, propoſitiones pares habeat:atſi extra C D aſſumpſeris, ratiocinatio terminos pares, propoſitiones impares habebit. Concluſiones uerò eundem ad terminos, & propoſitiones ordinem non habent:ita ſit, ut ſemper & terminis, & propoſitionibus pauciores ſint:ſæpenumero enim terminos, & propoſitiones excedunt : nam ſi unus terminus ſiue foris, ſiue in medio adiungatur, concluſiones præcedentibus terminis pauciores ſunt uno. Præcedant termini A, B, C, ex quibus concluſio A C tantum inferatur. Igitur ſi aſſumpſeris D extra C, duæ concluſiones A D & B D additæ fuerint, & duæ inferiores uno ſunt, quam tres propoſiti termini. Ad ſolum extremum terminum. Hoc eſt, C, non facies cõcluſionem:nam concluſio C ad D non fit, quoniam medium illorum terminorum nullũ ſtatuitur. Concluſiones ad A, & ad B adiungentur. A id eſt A B, & B, hoc eſt, B D. ac niſi D extra C non apponatur, ſed medium B C, eodem modo duæ concluſiones adiungentur, hoc eſt A B, & B C, D uerò ad C concluſio non efficitur:quare multo plures concluſiones propoſitionibus, & terminis euadent, ſi uno termino addito duæ concluſiones accedunt. nam ſi in ratiocinatione A B C D, extra D addas E, termini fiunt quinq;, propoſitiones quatuor, cõcluſiones ſex:uidelicet A B, A C, A D, B D, B E, & C E. ecce igitur ſex concluſiones efficiuntur.

De quibus ratiocinationes ſint, qualesq; in unaquaq; figura, & quot modis demonſtrentur, cùm habeamus:propalam nobis eſt, qualis quæſtio facilis, qualis ue difficilis ſit:nam ea, quæ pluribus in figuris, & per plures caſus concluditur, facilis eſt: quæ in paucioribus, & per pauciores, difficilius tractatur. Igitur aiens uniuerſalis per primam tantum figurã ſemel demonſtratur:at priuans & per primam, & per mediam:ac per primam uno ſolo modo, per ſecundã duobus. Particularis uerò aiens per primã, & per ultimam, ac ſemel per primam, ter per extremã. Priuans autem particularis in omnibus figuris demõſtratur:uerùm in prima uno modo, in media, atq; ultima: in altera duobus modis, in altera tribus. Eſt igitur perſpicuum, uniuerſalẽ aientem ſicut ad confirmandũ difficillima eſt, ita ad infirmandum eſſe facillimã. Ad ſummã, uniuerſales faciliores refellenti, quàm particulares ſunt. Etenim ſi aut Nulli, aut Alicui nõ ineſt, ſublatũ ſit, ex ijs quod Alicui non ineſt, in omnibus figuris, quod Nulli in duabus demonſtratur. Eodẽ etiam modo in priuantibus eueniet, uel ſi Omni, uel ſi Alicui inſit:quod principio propoſitum erat, aufertur:id autem duabus in figuris fiebat. In particularibus uerò uno ſolo modo, ſi uel Omni, uel Nulli ineſſe demonſtretur:uerùm cùm quiſpiã confirmat, faciliores particulares ſunt : id enim & pluribus in figuris & per plures caſus efficitur. Poſtremò nos non fugiat, uniuerſalia per particularia, hæcq; per uniuerſalia refutari per ſe uiciſsim poſſe:at uniuerſalia per particularia non poſſe confirmari, hæc tamen per illa poſſe. Simul etiam manifeſtum eſt, facilius eſſe refellere, quàm confirmare. Omnis igitur ratiocinatio quomodo & ex quot terminis ac propoſitionibus, quóque modo inter ſe collocatis efficiatur, qualis item quæſtio in unaquaq; figura, & qualis in pluribus, qualiſq; in paucioribus demonſtretur, ex ijs, quæ dicta ſunt nobis, aperuimus.

APPELLAT hoc loco quæſtiones Omni, Nulli, Alicui, Non omni, quatenus adduntur demonſtrandi cauſa:

cauſa : ut, uel omnis, uel nulla, uel aliqua, uel non omnis ooluptas bonum eſt : quæ ſanè quæſtiones fiunt etiam concluſiones. Habemus igitur quæſtiones, in quibus ratiocinationes, & conſiderationes uerſantur:ac quænam quæſtio in unaquaque figura concluſio fiat,atque unaquæque quot modis demonſtretur. Omni ſemel in prima, Nulli ſemel in prima, bis in ſecunda, Alicui ſemel in ptima, ſæpe in tertia,Non omni ſemel in prima, in ſecunda bis, in tertia perſæpe demonſtratur. Perſpicuum quoque eſt, qualis nam quæſtio difficilis ad confirmandum ſit : nam uniuerſales Omnis, & Nullus difficultatem habent, ut confirmentur : at ut refellantur, facilitatem. Quod enim in pluribus figuris demonſtratur, & coocluditur per plures propoſitiones, & modos, præparatu facile eſt : ecoutra, quod in paucioribus figuris, paucioribusq́; modis demonſtratur, ut Omnis, difficultatem habet, ut confirmetur, ac facilitatem, ut refellatur : atq; dum Nulli, & Non omni, demonſtratur,idem euenit. Eodem modo priuans uniuerſalis confirmatu facilis eſt : nam ſi Omni, uel Alicui, demonſtraueris, Nulli, quod à principio ponebatur, auferetur. Alicui uerò duabus in figuris demonſtratum fuerat. Particularia uerò, uidelicet Aliquis, & Non omnis,uno tantum modo refutantur,atq; infirmantur:tollitur enim, Non omnis uoluptas bonum eſt,cùm demonſtratur, omnem uoluptatem booum eſſe : &, Aliqua uoluptas bonum eſt, ab hac aufertur, Nulla uoluptas bonum eſt. Quare particularia difficiliter infirmantur, & facile confirmantur : id quod ob eam cauſam fit, quòd in multis figuris, & per multas propoſitiones, id eſt modos, inducuntur. Vniuerſa uerò à ſingulis effici non poſſunt : neque euim licet demonſtres, quandam uoluptatem eſſe bonum, ſtatim ſimul demonſtraueris omnem uoluptatem bonum eſſe : atque ſi non omnem, ooo ſtatim nullam. Vniuerſalium ueritas ex particularibus habetur, particulariaq́; ab uniuerſalibus conſtituuntur. Nam ſi demonſtraris, omnem hominem animal eſſe:unà quoq; aliquem hominem animal eſſe probaueris. Atque ſi demonſtraueris, oullum lapidem eſſe animatum : demonſtraueris itidem, non omnem lapidem eſſe animatum.Quo quidem in loco,Non omnis,Aliquem ſignificat : materia enim huiuſmodi eſt, ut eius, quod fieri nequit,nomeo acquirat.

DE PROPOSITIONVM COPIA,

PARS SECVNDA.

In caput de copia propoſitionum præfatiuncula.

RAtiocinatio eſt omnis ex materia, formaq́;confecta. Ea forma Concluſio eſt : nam ut per formam unamquanque rem cognoſcimus, ita ex concluſione cognitum nobis fit, in qua figura, quóue modo concluſio inferatur : ac ſtatim, ſi Omni inducitur, compertum habemus, eſſe primum modum primæ figuræ : ſi Nulli, ſcimus in prima,uel in ſecunda concluſum eſſe : ſimili quoque modo in aliis. De ratiocinationis forma, hoc eſt concluſione, Philoſophus ſatis in prima parte huius libri diſſeruit : ſed cùm de uia ratiocinationum componendarum uellet uerba facere,id tribus capitibus complexus eſt : tribus uidelicet in figuris, capite de propoſitionum copia, & tractatione de reſolurione ratiocinatioonm. In prima autem parte, hoc eſt in tribus figuris, formam ratiocinationis, hoc eſt concluſiooem nos docet, ut ſciamus,qualis,quantaq́; concluſio ex duabus uniuerſalibus aientibus inferatur : & qualis ex Omni,& Nullo:qualiſq́; ex Omni & Aliquo,& Nullo & Aliquo, debeat concludi. In primis conſiderat, quænam concluſiones ex propoſitionibus modo uacantibus inducantur.In mixtionibus uerò propoſitiones neceſſarias, poſsibiles, contingenteſq́;, & ineſſe ſignificantes accipit : ac primùm uidet quales concluſiones ex duabus oeceſſariis, & ex duabus contiogentibus, ſeu ineſſe ſignificantibus inferantur : deinde neceſſariam, & contingentem,ſiue exiſtentem miſcet : & quænam concluſiones ex illarum mixtione inducantur, patefacit. Et cùm ita in prima parte concluſionem ſatis abundè declarauerit, in capite de copia propoſitionum ſibi propoſitum eſt, de materia ratiocinationis, hoc eſt de propoſitionibus docere. Nobis autem uiam, & rationem traditurus eſt,per quam propoſitiones inuenire poſsimus,quibus de quacunq; propoſita quæſtione diſſeramus,

NVNC igitur dicendum eſt, quonam pacto nobis ratiocinationũ ſuppetat copia, & quanã uia principia omnibus in rebus ſumamus, ut ſemp̨ de propoſita re diſputare poſsimus.Non eim ſolùm,quomodo ratiocinationes fiant,cogitãdum eſt nobis:ſed magis adeo, quomodo faciendarum facultatem habeamus. Igitur eorum omnium, quæ ſunt,alia huiuſcemodi ſe habent,ut de nullo alio uerè in uniuerſo enuncientur, prout Cleon,& Callias,ſingulareq́ꝫ, & quod ſub ſenſum cadit:at de ijs alia dicuntur : nam & homo,& animal hanc legem ſubeunt:Alia de alijs ipſa quidem,at de ipſis alia prius nequaquã enunciantur:alia & ipſa de alijs,& alia de ipſis efferuntur,ut homo de Callia,& de homine animal. Ex quo patet nonnulla eorum, quæ ſunt,in nullo dici apta eſſe, eorum, quæ ſentiuntur, ferè unumquodq́ꝫ huiuſmodi eſt,ut de nullo dicatur,niſi fortè ex accidenti:nonnunquam enim illud, quod album eſt,Socratem,& quod progrediens eſt,Calliam eſſe affirmamus.

Quo

QVONAM modo in re propoſita ratiocinationibus abundemus: & quamnam inſiſtamus uiam,& rationem pro ſumendis,inueniendiſq; principiis,ac propoſitionibus,ut de quacunq; quæſtione diſſeramus, jam nunc eſt dicendum. Non enim ſolùm ſcire debemus, quomodo ratiocinationes fiant, ex duabus uidelicet aientibus uniuerſalibus Omni,& ex Nullo & Omni, Nulli induci:ſed facultatem illarum efficiendarum habere debemus, hoc eſt habere nos oportet diſcendi uiam, & rationem, cuius ope magnam propoſitionum ubertatem habeamus: ex quibus,uel Omni,uel Nulli,uel Alicui,uel Non omni, demonſtremus. Ac priuſquam hanc doctrinam, & rationem nos doceat,declarat, in quibus rebus,ex iis, quæ ſunt,ratiocinationes,& demonſtrationes uerſentur. Eorum,inquit,quæ ſunt,nonnulla ita ſunt,ut uerè de aliis dici non poſsint,ſed ut tantùm ſubiiciantur,atq; alia de iis enuncientur,ut Cleon,& Callias, & quod ſub ſenſum cadit. Sub ſenſum cadentia appellat particularia, quatenus per ratiocinationem, & demonſtrationem non fiunt,ſed per ſenſum ſolùm,hoc eſt per uiſum. Dixit inſuper, Verè enuncientur;quoniã ſi dixeris, Cleon animal eſt,& Cleonem pro ſubiecto acceperis,animal de ipſo uerè enunciaueris:at ſi Cleonem de animali, aut homine feceris enunciari,falſa fiet enunciatio: quoniam ſi dicatur,omne animal homo eſt,uel omne animal Cleon eſt,falſum dicetur. Eorum autem,quæ ſunt,alia de aliis dicuntur,ut decem ſumma genera, de quibus alia non dicuntur,ut ſubſtantia de animali,& Quantum de linea, & ſuperficie enunciatur:ſupra tamen Subſtantiam, & Quantum nihil eſt aliud, quod in ipſis dicatur. Ea uerò quæ ut media ſunt, & ipſa de aliis,& alia de ipſis dicuntur:ut homo de Callia,& animal de homine.

Eorum, quæ ſentiuntur, ferè unumquodq; tale eſt: Singulæ res de aliis non dicuntur, ſed ſemper ſubiiciuntur,niſi fortè id fortuito fiat. Animaduertendum hoc loco eſt, Ariſtotelem cum præter naturam, dicere uellet,id ſignificaſſe, cùm diceret,ex accidenti: ſiquidem qui particulare enunciat de uniuerſo,non fortuito, ſed præter naturam enunciationem facit. Omnis enim enunciatio, aut ſecundum naturam, aut præter naturam eſt:hoc eſt, fortuito, & ex accidenti. Secundum naturam eſt, cùm uniuerſum de parte,ut animal de homine,& color de candore enunciatur: quo etiam modo accidentia de ſubſtantiis dicuntur,ut album de homine,quoniam accidentia in ſubſtantiis inhærent. Præter naturam eſt,quando pars de uniuerſo dicitur,ut homo Socrates eſt,uel animal Callias,uel quando ſubſtantia ex accidenti enunciatur, ut hoc, quod caluum eſt,uel hoc,quod philoſophatur,Socrates eſt. Ea autem enunciatio Ex accidenti,uel Fortuita appellatur,quoniam alterum de altero dicitur,quatenus euenit,ut utrumq; in Socrate ſpectetur.

Dicemus etiam ſurſum aſcendentes quandoq; conſiſtere,ſed hoc nunc poſitum ſit:de ijs igitur aliud quicquam enunciari,niſi ex opinione,demõſtrare non poſſumus. Sed hæc de alijs dici probabimus. Singularia non de alijs, uerùm alia de ipſis dicuntur:ijs uerò,quæ medium locum ſortiuntur,utrumq; euenit:nam & ipſa de alijs,& alia de ipſis enunciantur.

SI ab infima parte enunciationem occipiens hoc pacto ad ſupremam recurras: Socrates, homo,homo animal,animal animatum, animatum ſubſtantia, ſurſum aſcendens in infinitum non regredieris: ſed tum conſiſtit enunciatio,cùm ad ſubſtantiam deuentum fuerit. Hoc in poſterioribus Analyticis,demonſtrabimus,& de eo uerba faciemus. Nunc autem enũciationes ab infimo ad ſupremum ſtare,neq; exitum ullum reperire,tanquam conceſſum & exploratum accipias. De generibus autem primis nihil poteſt uerè enunciari,ex opinione tamen poteſt,ut ingenii princeps & doctrinæ Plato,cùm ponat ſupra genera, quæ generaliſsima uocantur, unum, & id,quod eſt, ea tanquam genera de illis ſupremis facit enunciari. Sed hæc in quinq; rerum Porphyrianarum tractatu non tanquam genera, ſed ueluti uoces homonymas dici demonſtratum eſt. Ratiocinationes igitur,& conſiderationes,hoc eſt demonſtrationes,neq; in generibus ſupremis, quæ ſolum enunciantur,neq; in particularibus, quæ tantummodo ſubiiciuntur, ſed in intermediis,quæ & enunciari,& ſubiici poſſunt,conſpiciuntur. Demõſtratio enim aliquid de aliquo, uel aliquid ab aliquo demonſtrat:uerùm de primis generibus,neq; affirmatur quicquam neq; negatur. Eodem etiam modo particularia in aliquo minimè dicuntur:ac propterea orationes,id eſt ratiocinationes in illis non uerſantur.

Et ferè rationes,conſiderationesq; de ijs fiunt,quæ in medio ſunt collocata. Propoſitiones igitur de horum unoquoq; hunc in modum excipiantur oportet:ut prius res ipſa propoſita, eiuſq; definitiones,& quæcunq; rei propria exiſtunt: deinde quæ rem conſequuntur,& ea omnia,quæ res ipſa conſequitur & quæcunq; in ea ineſſe non contingunt,accipiantur. At quibus non contingit,ut res inſit,ea conſtituere,propterea quòd priuans reciprocatur,non oportet. Ea uerò,quę ſequuntur,in ea diuidi debent,quæ in quæſtione,qua quid quidq; ſit,quæritur:& quæ ut propria, quæq; ut accidentia dicuntur. Atq; horum,quæ ex opinione, ac quæ ex ueritate enuntientur, diſtinguendum eſt: nam quò pluribus huiuſmodi quiſpiam abundarit, eò citius concluſionem inueniet,& quantò ucrioribus, tantò melius demonſtrabit. Non enim ea eligenda ſunt, quæ partem,ſed quæ uniuerſum conſequũtur,uelut non quod aliquem,ſed quod totum hominem ſequatur. Id quod fit,quoniam ratiocinatio ex propoſitionibus uniuerſalibus efficitur:cùm enim indefinita res eſt,uniuerſalis propoſitio ſit, nec ne,incertum eſt: cùm uerò præfinita,compertum eſt, atq; exploratum.

HAEC cùm dixerit, rationem, ac uiam quandam nobis inueniendarum propoſitionum tradit. Si inquit,

quit, tibi propoſitum ſit, ut demonſtres Omnem uoluptatem bonum eſſe, prius illud ipſum propoſitum, quod uidelicet debes confirmare, accipiendum eſt, ac deſcribendum ita, ut terminum, qui de ſubiecto dicitur, propriè deſcriptus ſit, & hinc ponatur A bonum, & E proprie, id eſt ſubiecta res, Voluptas inquam: deinde Boni definitio, & ipſius proprietates deſcribantur: in B uerò ea ſcribantur, quæ bonum ſequuntur, uidelicet utile, expetendum. In D uerò, quæ à bono aliena ſunt, ut inutile, fugiendum, nocuum, nullum emolumentum præſtans, malum, peſtiferum, alienum, incommodum: in C uerò bono ſubiecta ſcribenda ſunt, hoc eſt, quæ bonum conſequuntur, felicitas, ſcilicet bona ualetudo, quod ſecundum naturam eſt, cuius cauſa, perfectum, ſecundum uirtutem uita: in F deſcribantur uoluptatem ſequentia, motus, actio ſecundum naturam, uita non impedita, quod ſecundum naturam deſideratur, laboris uacuitas, appetendum: in G uoluptati aliena, metus, inopia, motus præter naturam, labor: in I ſubiecta uoluptati, id eſt ea, quæ ipſa uoluptas ſequitur, ualetudo, gloria, bonus euentus, uita ex uirtute, quies, ablatio laborum, ubertas. Eſt autem uolupras actio imperfecta. Si tibi animal ineſſe omni homini demonſtrandum proponatur, animal, propriaq́; hominem & animal ſequentia deſcribe, uidelicet ſubſtantiam, animatum, ſenſus particeps: deinde ab eo aliena, inanimum, ſenſus expers, quod non mouetur: illa quoque deſcribe quæ ſequitur, ea uidelicet, quæ ſubiiciuntur, hominem inquam, equum, bouem, & reliqua: deſcribe etiam hominem conſequentia, rationis particeps, mortale, mentis, ſcientiæq́; capax, ridendi habilitatem, rectè uadens, ſolùm ex animalibus manibus utens: deinde ab eo aliena, rationis expers, immortale, perpetuum: poſtea quæ homo ſequitur, uidelicet Socratem, Platonem, Alcibiadem, & Philoſophum, & Grammaticum.

Deinde quæ rem conſequuntur. Hoc eſt, quæ utroſque terminos, attributum uidelicet, & cui attribuitur, ſequuntur. Nam cùm Rem, diceret, utroſq; complexus eſt. Sed deſcribantur etiam ſubiecta, quę ſequitur res, id eſt termini, ſubiectus uidelicet, & de ſubiecto: poſtremò ea etiam deſcribantur, quæ à re propoſita ſunt aliena. At quibus non contingit, ut res inſit, ea conſtituere, propterea quod priuans reciprocatur, non oportet. Hæc ita intelligenda ſunt, ac ſi diceretur, ſi quæ aliena ſunt, & remota à re, deſcribantur: ea quæ rei non contingunt, hoc eſt, quæ à bono remouentur, nequaquam deſcribenda ſunt, propterea quòd uniuerſalis priuans in ſe reciprocetur. Nam ſi inutile, & fugiendum, necnon cætera nulli bono inſunt, bonum itidem in nullo horum ſit, neceſſe eſt. Si uerò ea, quæ hominem uel bonum conſequuntur, accipias, hanc facies diuiſionem. Propria eorum, quæ ſequuntur, in eo, in quo quid ſit, quæritur, & ex ui, & natura de homine enunciantur, ut animatum, ſenſus particeps: & eorum quæ ſequuntur, quædam homini propria aſcribuntur, ut habilitas ridendi, latos ungues: habere & quædam accidunt, ut Philoſophum eſſe, & Grammaticum: & eorum aliqua ex opinione enunciantur, ut unum, & id, quod eſt, quæ ex opinione illa quidem, non tamen uerè de primis decem generibus dicuntur. Voluptatem uerè ſequitur motus, & deſiderandum: at ex opinione ſequitur id, quod ſecundum naturam eſt. Iis tamen, qui ſcabie laborant, uoluptas ex pruritu naturaliter non prouenit: ſed propter acutam bilem quandam coagulatam, quæ nimio ſudore exhauritur. Exoletis quoque, qui aliorum amori flagitioſiſsime ſeruiunt, uoluptas ex eo, quod turpiter patiuntur, ſecundum naturam non eſt, ita fit, ut ſecundum naturam non de omni uoluptate uerè, ſed de illa ſola, quæ ex cognitione, & uita ſanctiſsimè, honeſtiſsimeq́; acta fit, enuncietur. Nonnulli uoluptatem cinædorum, ſcabioſorumq́; ſecundum naturam eſſe cenſuerunt: magis enim dolor quidam, & moleſtia ſcabioſis, & meritoriis pueris, & turbatio ex affectibus augetur. Nam quo plures propoſitiones deſcribentur, eo facilius parabis, & conficies concluſionem. Demonſtratiuam ratiocinationem cùm efficere uolueris, accipies à deſcriptione, quæ uerè enunciantur, & quæ à rei natura ſunt atque etiam definitiones: quo enim ueriores propoſitiones nobis ſuppetent, eo melius demonſtrabimus. At ſi dialecticam ratiocinationem facere uult quiſpiam, ea quæ ex opinione dicuntur, accipere debet: ſi fallacem, & captioſam, ea quæ rei adueniunt, accipienda erunt. Neq; enim eligenda ſunt, quæ quidpiam ſequuntur, uelut nigrum, quod hominem, Aethiopem uidelicet, ſequitur, & quendam hominem ſex digitos habentem, & alicui uoluptati ineſſe id, quod ſecundum naturam eſt, ſed non omni, (uoluptas enim puerorum, qui libidinis cauſa empti ſunt, atque adeo quibus ſcabies moleſta eſt, præter natutam eſt.) ſed ea accipienda ſunt, quæ totam rem, id eſt, utroſq; terminos & eum, qui de ſubiecto dicitur, & ipſum ſubiectum conſequantur. Omnem enim uoluptatem ſequitur motus, & omne bonum, utile. nam propoſitiones uniuerſales illæ quidem, ſed non particulares, nobis in ratiocinationibus uſui ſunt, uel ex eo, quòd abſque uniuerſali argumentatio fiet nunquam. Verùm neq; etiam deſcribendum eſt ſubiectum, quod præfinitum non ſit, uerùm uniuerſi ſignum eſt illi adiungendum: ut Optabile omnem uoluptatem, & Rationis particeps omnem hominē ſequitur. Etenim ſi abſq; ſigno ſubiectum deſcripſeris, deinde eius conſequentia conſideraueris, ut uoluptatem ſequitur appetendum, & hominem rationis particeps, propoſitiones non determinatæ particularibus erunt æquales. At ſi deſcribatur ſubiectum determinatum, hoc eſt cum ſigno uniuerſali, patet propoſitiones uniuerſe capi, & ea, quæ ſequuntur, eſſe uniuerſe conſecutura.

Haud ſecus eligendum eſt ea, quæ omnia ipſa res conſequitur propter cauſam antedictam: ipſam autem rem, quæ ſequitur, totam ſequi ſumendum non eſt, ut hominem omne animal, aut

muſicam omnis ſcientia:ſed ut ſolùm ſimpliciter ſequatur.quemadmodum etiam in uſu eſt, ut loquamur, ac proponamus, illud enim inutile eſt, & fieri non poteſt, quod dicimus, Omnis homo omne animal eſt:uel, Iuſtitia omne bonum eſt:ſed in eo Omni, cuius conſequens eſt, dicitur.

ELIGENDA ſunt eodem modo ſubiecta, quæ omnia ambo termini, is inquam, qui de ſubiecto dicitur, & ipſe ſubiectus, conſequantur. Iis tamen uniuerſalis determinatio adiungenda eſt, ue fortaſsis non præfinita ſtatuerentur.

Propter cauſam antedictam. Hoc eſt, propterea quòd indeterminatæ particularibus propoſitionibus æquales ſunt. Bonum enim omnem felicitatem, & bonam ualetudinem ſequitur: non ſecus etiam Voluptas omnem ualetudinem, atque opinionem incorruptam.

Ipſam autem rem, quæ ſequitur. Id eſt, Bonũ, quod ſequitur uoluptatẽ, & Animal hominem ſequẽs, ita ſumendum non eſt, ut totum ſequatur:hoc eſt, non ſolùm oportet proferre, ac deſcribere uniuerſalẽ determinationẽ, ut omnem hominem animal ſequitur, & uoluptatem omne bonum, muſicemq́; omnis ſcientia:ſed ut ſolùm abſolutè ſequatur, ut uidelicet una propoſitio abſque determinatione ſequatur, ut animal hominem, ueluti in libro de Pronunciatione demonſtratum eſt nobis. Illic enim diximus, determinationẽ uniuerſalem oportere termino, non illi quidem, qui de ſubiecto dicitur, ſed ipſi ſubiecto adiungi. Tantum enim abeſt, ut Omnis, uel Nullus, determinationes ei termino, qui enunciatur, adhæreant, ut etiã fieri non poſsit: quòd ſi eueniat, nihil incommodi ſuſcipiemus, ſi dixerimus Omnem hominem omne animal eſſe, & Solam iuſtitiam eſſe omne bonum. nam & prudentia bonum eſt, fortitudo, ac cæteræ uirtutes. ſed illo in ſubiecto debebat omne dici, quud terminus qui de ſubiecto dicitur, ſequeretur:prout omnem hominem animal, & omnem uoluptatem, uel iuſtitiam bonum conſequitur.

Cum ſubiectum, cuius conſequentia ſumenda ſunt, ſub aliquo continetur, ea, quæ uniuerſe ſequuntur id, quod continet, aut non ſequuntur, non ſunt in iis eligenda: in illis enim ſumpta fuerunt. Et quæcunq; animal ſequuntur, ea hominem ſequuntur: & quæcunq; animali non inſunt, ea itidem homini non inſunt. Oportet, ut propria uniuſcuiuſq; ſumamus, quædam enim ſpeciei propria præter genus ſunt:nam diuerſis formis propria quædam inſint, eſt neceſſe.

SVBIECTVM hoc loco & eum terminum qui enunciatur, & ipſum ſubiectum ſignificat, in quo capienda, & deſcribenda ſunt ea, quæ ſequuotur:nam ſi omnem hominem aoimal ſequẽs acceperimus, nequaquam oportet ea, quæ uniuerſale ſequuntur, deſcribere, uidelicet animatum, & ſenſus particeps, quæ ſequuntur animal, uel quæ non ſequuntur, ſed quæ ab animali ſunt aliena, ut inanimatum, & ſenſus expers. Cùm enim ſumptum ſit animal ſequi hominem, ſumptum quoq; eſt, omnia, quæ animal ſequuntur, hominem itidem ſequi:& quæcunq; in animali non inſunt, in homine non ineſſe. Sed ea ſolùm deſcribenda ſunt, quæ homini tantummodo re ipſa inſunt, propterea quòd quædam propria ſunt, quæ formis inſunt actione, ea tamen geuus actu non habet. Neceſſe enim eſt, quaſdam proprietates diuerſis formis re ipſa ineſſe, quæ in genere inſunt illæ quidem non actione, ſed facultate: ut homo & equus diuerſæ ſpeciei ſunt, & alteri ineſt rationis particeps, ridendiq́; habilitas: alteri uerò rationis expers, & facultas hinniendi, quæ in animali reipſa non inſunt.


Verùm neq; uniuerſali ea, quæ ſequitur id, quod continetur, eligenda ſunt:ut animali quæ ſequitur homo. Neceſſe enim eſt, ſi animal hominem ſequatur, illa etiam omnia ſequi:hæc autẽ homini electioni magis conueniunt. Sumendum uerò eſt, & quæ rem plerunq; ſequuntur, & quæ res ipſa conſequitur. Nam ex quæſtionibus ſunt, quæ plerũq; contingunt, ac ratiocinatio è propoſitionibus, quæ plerunq; eueniunt, uel omnibus, uel aliquibus eſt: atque uniuſcuiuſq; concluſio ſimilis erit principiis ſuis.

EA, quæ uniuerſale, Animal dico, ſequitur, capienda non ſunt: ſubiecta inquam, quæ id, quod continetur, Homo uidelicet, ſequitur, accipere in deſcriptione noo debemus. homo enim continenter ſimum, Socratem Philoſophum ſequitur, quæ neceſſe eſt, ut animal, utpote hominem continens ſequatur. Animal enim continenter ſequitur hominem, equum, bouem: ſed Grammaticus Philoſophus, Socrates in hominis electione propinquiora ſubiecta ſunt, & magis propria. Sumenda quoque ſunt ea, quæ utplurimum hominem ſequuntur, ut quinque digitis natum eſſe, recte ambulare. Sunt etiam eodem modo deſcribenda ſubiecta, quæ homo maiori ex parte conſequitur: nam ut plurimum homo aſſequitur artem quandam, aut ſcientiam, in qua ſe exerceat, atque eam ob cauſam deſcribenda ſunt ea, quæ ut plurimum ſequuotur, & quæ utplurimum res ipſa conſequitur. quoniam ſi quæſtio quæ demonſtranda proponitur, utplurimum eſt, uelut ſi demonſtrandum ſit, hominem quinque digitos habere, neceſſe erit, in ratiocinatione id demonſtrante uel duas propoſitiones, uel unam utplurimum accipiamus: quandoquidem concluſio propoſitionibus ſimilis debet eſſe. Nam ſi concluſio neceſſaria eſt, uel utplurimum, neceſſe eſt etiam propoſitiones eſſe neceſſarias, uel earum alteram eſſe ex iis, quæ utplurimum ſunt.

ſunt.Haud ſecus ea uniuerſa ſunt eligenda,quæ res ipſa conſequitur, propter eam,quam diximus cauſam. Quemadmodum Voluptatem cùm deſcribimus, ei determinationē Omnis apponimus,ſic etiam ſequentia omnem uoluptatem, motum ſcilicet, actum, & reliqua deſcribimus. Indigemus enim propoſitionum uniuerſalium,at non particularium, atq; indeterminatarum, in ratiocinationibus. Id quod fit, quoniā indeterminatæ ſunt particularibus æquales:adeo ut cùm bono & uoluptati ſubiecta deſcribimus,ea cum ſigno uniuerſali deſcribere debeamus,ut bonum omnem beatitudinem,omnem ualetudinem, omnem gloriam, omnem felicem exitum ſequitur : quæ ipſa quoque uoluptas unà cum reliquis, quæ hoc modo cum uniuerſali ſigno deſcribenda ſunt,conſequitur.

Præterea quæ omnia conſequuntur eligēda non ſunt,quoniā ex ipſis ratiocinatio non fiet,cuius rei cauſam deinceps afferemus. Cùm igitur uoluerint aliqui quicquā de toto quodam confirmare,eius,quod enunciatur,antecedentia,illius,quod ſubiicitur,conſequentia inſpiciant oportet: nam ſi horum quidpiam idem ſit,alterum alteri inſit neceſſe eſt. At ſi oſtendere uoluerimus,non quod omni, ſed quod alicui inſit:ea erunt inſpicienda, quæ utrunq; conſequitur. Etenim ſi quod ex iis idem ſit,neceſſe erit,ut in aliquo inſit.Cùm uerò nulli ineſſe oſtendendū eſt,ſequentia eius, cui ineſſe non oportet , & ea,quæ illi , quod non ineſſe oportet, ineſſe non contingunt , inſpicere debemus. Aut contrà eius,cui ineſſe non oportet, quæ illi ineſſe non contingunt, & illius, quod non ineſſe oportet,ſequentia ſunt conſideranda:nam ſi utraq; hæc inter ſe eadem ſint,alterum nulli alteri ineſſe contingit , quandoquidem tum in prima , tum in ſecunda figura fit ratiocinatio. Quod ſi alicui non ineſſe uolumus probare,ſequentia illius,cui ineſſe oportet,& illius,quod non ineſſe oportet,quæ illi ineſſe non poſſunt,uidenda ſunt nobis:uel ex eo, quod ſi quicquā horum idem ſit, alicui non ineſſe neceſſe eſt. Fortaſsis etiam ea quæ diximus erunt ſingulatim apertiora & clariora.Quæ enim A ſequuntur,ſint in B : quæ ipſum ſequitur,ſint in C : quæ uerò ei ineſſe non poſſunt,ſint in D : præterea quæ ipſi E inſunt,ſint in F : quæque ipſum ſequitur,in G: quæ uero illi nequaquam ineſſe queunt,in H collocentur. *

Hæc eſt figura de propoſitionum copia,in qua A & E , propoſitio,quæ A, id eſt bonum, terminum de ſubiecto dictum,& E uidelicet uoluptatem,ſubiectum habet,notanda eſt. Quæ A conſequuntur,ſunt in B:quæ ipſum A ſequitur, ſunt in C : quæ illi repugnant,ſunt in D. Præterea quæ ſequuntur E, in F ſunt : quæ ipſum ſequitur, in G : ab ipſo aliena,in H. Nouem igitur coniugationes fiunt, B F, C G, D H, C F, B H, D. F, C H, D G, B G. ex quibus ſex ratiocinationem faciunt,tres uerò B F, C H, D H, ratiocinationi nequicquam conferunt.



Quæ ſequuntur A, ſunt, Vtile, Optabile, Imitandum, Proprium, Conducens, Frugiferum, Commodū. Quæ ab A aliena ſunt, Imperfectum, Fugiendum, Nocuum, Malum, Incommodum, Alienum, Inutile. Quæ ſequitur A, Felix, Valetudo. Quod ſecundum naturam eſt, cuius cauſa, Perfectum, Vita ex uirtute.

Quæ, ſequuntur E, Actio appetitus ſecundum naturam non impedita, quod ſecūdum naturam deſideratur, Laboris, & doloris, ægritudinisq; uacuitas, optabile, Quæ ſunt ab E aliena, Morbus, Labor, Inopia, Metus, Motus præter naturam. Quæ ipſum E conſequutur, Valetudo, Vbertas, Gloria, Bona proles, Secundum uirtutem uita, & Laboris expers.

Si quid igitur eorum, quæ ſunt C, cum aliquo eorum, quæ ſunt F, idem ſit: neceſſe eſt, A omni E ineſſe. F enim omni E, & A omni C ineſt: adeo ut A omni etiam C inſit. At ſi C & G eadem ſint, neceſſe erit A alicui ex E ineſſe. etenim A ineſt C, & E omne G ſequitur, ſicq; F & D eadem ſint, A nulli E inerit ex ratiocinatione antecedenti. Quoniam enim priuans reciprocatur, & F cum A idem eſt, A nulli eorum, quæ ſunt F inerit, & F omni E inerit. Præterea ſi B, & H eadem ſint, A nulli E inerit. A enim omni B & nulli eorum in quibus eſt E inerit: nam H & B eadem erant, atque H nulli E inerat. Si uerò D & G ſint eadem A alicui eorum, quæ ſunt E non inerit: nam A non inerit G propterea quòd neque D ineſt. G enim ſub E eſt. Quibus rebus fit, ut eorum alicui quæ ſunt E non inſit. Quòd ſi G & B eadem ſint, ratiocinatio reciprocata efficietur: G enim omni A inerit, & B ipſi A, E uerò ipſi B ineſt: idem enim erat cum G. Sed nequaquam neceſſe eſt, A omni E ineſſe, at alicui, neceſſe eſt: propterea quòd uniuerſalis enunciatio in particularem reciprocatur. Eſt igitur perſpicuum ad prædicta utriuſque unaquaque in quæſtione inſpiciendum eſſe, nam per hæc omnes ratiocinationes fiunt. At uniuſcuiuſque ſequentia, & antecedentia, primaq;, & uniuerſalia intueamur oportet: ut ipſius E magis ad M F, quàm ad F ſolùm: ipſius autem A magis ad M C, quàm ad C tantum. Nā ſi A ineſt M F, & F & E ineſt: at ſi hoc non ſequitur, fieri poteſt, ut F ſequatur. Aequè etiam id, quod ſequitur, conſiderandum eſt: nam ſi prima, ea itidem, quæ illis ſunt, ſequitur: quòd ſi non hæc, illa tamen, quæ ſub ipſis ſunt, ſequi poterit. Patet etiam ex tribus terminis, duabusq; propoſitionibus conſiderationem fieri, & conſtare, atque ex figuris memoratis omnes ratiocinationes conflari. Demonſtratur enim A omni E ineſſe, quando ſimile quippiam ex C & F accipitur, atque id medium eſt: A uerò, & E extrema, ex quo prima figura euadit. Alicui ineſſe demonſtratur, cùm C & G eadem aſſumuntur, hæcq; figura extrema erit: & G medium fit. Nulli ineſſe demonſtratur, cùm D, & F eadem ſunt. Atque hoc pacto & prima, & media figura efficitur: ac prima, quoniam A nulli F ineſt, quandoquidem priuans reciprocatur, & F omni E ineſt. Media uerò eam ob cauſam fit, quòd D nulli A, & omni E ineſt. Alicui deniq; non ineſſe demonſtratur, cùm D, & G eadem ſint, atq; hæc extrema figura eſt: nam A nulli G, & E omni G inerit. Perſpicuū igitur eſt, per tres figuras prius dictas fieri ratiocinationes omnes, nec eligenda eſſe ea, quæ omnia conſequuntur: propterea quòd ex illis nulla ratiocinatio fit, uel ob eam cauſam, quòd ex ſequentibus quicquā omnino confirmare non poſſemus. Priuare etiam per ea, quæ omnia ſequuntur, nequimus: cùm præſertim alteri ineſſe, alteri non ineſſe oporteat. Clarū autem eſt alias cōſiderationes, quæ ex electione fiunt, inutiles eſſe ad ratiocinationē efficiendā: uelut ſi quæ utrūq; cōſequūtur, eadē ſint, aut quæ ſequitur A, & quæ ineſſe E non poſſunt: aut etiam quęcunq; utriq; ineſſe non queunt: ex iis enim nō fit ratiocinatio. etenim ſi utrūq; ſequentia eadē ſunt, ut B & F media figura fit, quæ ambas propoſitiones enunciantes habet: at ſi quæ A ſequitur, & quæ ipſi E ineſſe nō poſſunt, ut C & H fiet prima, quæ ad minorem extremitatem priuantē propoſitionem habebit: uerùm ſi quæcunq; utrique ineſſe non poſſunt, ut D & H, utræq; propoſitiones priuantes erunt uel in prima uel in ſecunda figura, ſed eo modo nulla fiet ratiocinatio.

QVI ratiocinationem facturus eſt, ex ſequentibus Bonum, & Voluptatem medium terminum eligere non debet. quoniam ſi ex ipſis medius terminus exciperetur, ratiocinatio ob eam cauſam non fieret, quod in ſecunda figura ex duabus aientibus efficiatur: cuius rei cauſam in iis, quæ deinceps dicentur, afferemus. Igitur ſi quicquam, quod de quodam ſubiecto uniuerſo determinatione etiam uniuerſali adiuncta enuncietur, confirmare uolumus: ueluti ſi demonſtrare uellemus omne, & bonum omni uoluptati ineſſe, inſpicienda ſunt in C illius, quod confirmatur, boni uidelicet ſubiecta, quod bonum enunciatur: de illis itaque ſubiectis bonum ipſum dicitur. Videndum quoque eſt in F, quæcunq; ſubiectum conſequuntur, id eſt quæcunque ſequuntur uoluptatem, de qua dici bonum demonſtrare debemus, atque in iis C inquam, & F quicquam idem inuenire, ueluti quod ſecundum naturam deſideratur, quod medium terminum faciemus, quem ſanè medium terminum per primam figuram demonſtrari neceſſe eſt ita, ut alterū, bonum uidelicet, alteri, id eſt, omni uoluptati inſit. Verùm ſi nolueris demonſtrare Omni, ſed Alicui uoluptati bonū ineſſe, inſpicienda ſunt ſubiecta C G. hoc eſt, quæ ſequitur utrūq;. (nam bonū ſequitur C, uoluptas G.) & quod in iis idem comperies, prout eſt Vita ex uirtute, effice medium terminum

minum in tertia figura, cuius ope bonum ineſſe cuidam uoluptati demonſtrare oportet. Si uerò nulli demonſtrare uis, adeo ut dicas bonum nulli uoluptati: uidendum eſt in F quæ ſubiectum, hoc eſt, uoluptatem conſequuntur, cui bonum ineſſe non debet, hoc eſt à qua bonum alienum eſt. Inſpiciendum itidem eſt in D, quæ à bono ſecluſa ſunt, quæ illi ineſſe non contingunt, ut alienum, quod demonſtrandum eſt nulli uoluptati ineſſe, atq; ſi inſpexeris D F, imperfectum, & motum eadem inuenies (ſiunt enim eadem hæc, propterea quòd omnis motus imperfectus eſt) eaq́; pro medio termino in prima figura capiantur: per quem bonum nulli uoluptati ineſſe ſic demonſtrabis: Bonum nulli imperfecto, imperfectum omni motui ineſt, bonum igitur nulli motui ineſt: motus omni uoluptati ineſt, bonum igitur nulli uoluptati. cõtra efficies, ſi deſcripta conſideraueris. uidendum enim eſt in H, quæ ſubiecto, hoc eſt uoluptati tanquã aliena non ineſſe poſſunt, cui inquam ſubiecto oportet bonum non ineſſe. (uolumus enim demonſtrare bonum nulli ineſſe uoluptati) ſed uidenda etiam ſunt in B ea, quæ bono ſubiiciuntur, quoniam bonum nulli uoluptati ineſſe demonſtrare animum induximus: atque in B & H aliqua eadem reperies, uerbi gratia, Vtilitatem, & Laborem (labor enim à uoluptate alienus eſt, at illis, qui laborant, arteſq́; exercent ſuas, magno eſt emolumento) ſumere debes utile, & laborem pro medio termino in ſecunda figura, deinde dicere, utile, & labor omni bono, & nulli uoluptati inſunt, bonum igitur nulli uoluptati.

Nam ſi utraq; hæc inter ſe eadem ſint. Hoc eſt, Si in utrouis horum, uel in D F, uel in B H, idem inueneris, ſi illud pro medio termino aſſumas, alterum demonſtrabis: hoc eſt demõſtrabis bonũ nulli uoluptati ineſſe: ſed per D F in prima, & per D H in ſecũda figura. Si autem alicui non ineſſe uis demonſtrare, bonũ uidelicet non omni uoluptati ineſſe, reſpiciendũ eſt in G ſubiecta uoluptati, quæ ſubiectũ, uoluptas inquã, ſequitur: de qua demonſtrandũ eſt bonũ non omni, ſed alicui ineſſe. Videnda etiã ſunt D, quæ ipſi bono, quod non omni, uoluptati ineſſe demonſtraturi ſumus, tanquam aliena ineſſe non poſſunt: ſiq; aliqua eadẽ in D G, ueluti inutili, & deſidiam, inueniemus, ea in tertia figura pro medio termino accipito, dein dicito, Bonum nulli inutili, quòd cum deſidia idem ſit, uoluptas omni inutili, bonum igitur non omni uoluptati. Per D G igitur demonſtraſti bonum neceſſario alicui non ineſſe, hoc eſt, non omni ineſſe uoluptati. at ſi F, & D eadem ſint, ſi inquam in F, & D aliqua eadem inuenies, per ratiocinationem antecedẽtem, hoc eſt per ratiocinationem in prima figura concludes A nulli E ineſſe. Nam quod inquit, Ex ratiocinatione antecedenti: pro eo, quod eſt, ex ratiocinatione intelligendum eſt, quoniam eo loco non eſt propriè antecedens ratiocinatio, propterea quòd oportet, minorem antecedentis ratiocinationis terminum à medio diuerſum eſſe: ut in medicina manifeſtò uidetur, in qua medius terminus eſt, ratio uiam ad aliquid efficiendum muoiens. hic enim motus, & inutile eadem ſunt,

Quoniam priuans reciprocatur. Hæc dicta fuere, propterea quòd D à bono remouetur, & ob eam cauſam inutile nulli bono ineſt. Nos autem capere uolumus bonum nulli inutili ineſſe, dicamus igitur, & ſi imperfectum nulli ineſt bono, tamen quia Nullus in ſe reciprocatur, bonum nulli inutili ineſſe. F enim idem erat cum D. quo fit, ut bonum in nullo eorum, quæ F ſunt, hoc eſt in nullo motu ſit futurum: F uerò motus, omni E, hoc eſt uoluptati ineſt, igitur bonum itidem nulli uoluptati.

Quòd ſi G, & B eadem ſint, Hoc eſt, Si in G B aliqua eadem, ut ualetudinem, & optabile comperies, G ſubiectum uoluptati eſt, & B conſequens bonum, fit ratiocinatio, quæ ita concludit A alicui E ex reciprocatione ineſt. Recte enim demonſtratur E ineſſe omni A, ut uoluptas omni bono: ſed quoniam non id, ſed bonum ineſſe uoluptati ſumpſimus demonſtrandum, concluſio reciprocanda eſt, ac dicendum, Voluptas omni bono, & bonum alicui uoluptati ineſt. Id quod fit, quoniam Omnis in Aliquis conuertitur. Ad uniuſcuiuſq; ſequentia, atq; antecedentia, primaq; & uniuerſalia intueamur oportet. In deſcriptione ea locanda ſunt, quæ continuò ſequuntur: ut hominem continenter ſequitur animal, ſed quę animal ſequuntur, uidelicet animatum, ſenſus capax, corpuſq́;, non ſunt adſcribenda: quoniam ſi animal hominem ſequitur, ut hæc itidem ſequantur, neceſſe eſt: ſic enim nec longior, nec prolixior fit deſcriptio.

In quæſtionibns uerò cõſtituendis, uidelicet Omni, Nullo, Aliquo, & Non omni conamur à deſcriptione medium terminum accipere, ex quo hominem ſubſtantiam eſſe demonſtremus. Quæ in animali generaliora ſunt, pro medio termino ſumuntur, uelut eſt animatum, ſenſus'ue particeps: nam ſi ex iis uniuerſalibus homioem eſſe ſubſtantiam concludetur, ex illis etiam, quæ magis particularia ſunt, ex animali uidelicet, illud idem inducatur neceſſe eſt. Cùm autem F diceret, animal indicauit, at cùm M F animatum, quod animal contineret, aperuit. Contrà tamen, ſi ex particularibus quicquam inducatur, minime neceſſarium eſt, idem ex generalioribus inferri: ueluti cùm demonſtramus, hominem eſſe rationis capacem, per medium philoſophandi terminum ita probamus: Homo philoſophatur, quod philoſophatur, ratione utitur, quod ratione utitur, rationis capax eſt, homo igitur eſt rationis capax. Sed per generalius, quam philoſophari, per habitum inquam, & affectionem, ac qualitatem (nam philoſophia in hæc reducitur) non demonſtrabimus: ueluti ſi dixerimus, Homo cuiuſdam habitus, & qualitatis, ualetudinis ſcilicet, uel ægritudinis, uel caloris particeps eſt, quod alicuius habitus eſt particeps, ratione utitur, falſa eſſet propoſitio, propterea quod bruta bene cùm ualeant, & ægrotent, ratione tamen non utuntur. Præterea homo eo quòd rationis particeps ſit, animali ſubiicitur, ſi enim animal rationis particeps eſt, neceſſe itidem eſt hominem, Socratemq́; rationis eſſe participem. Igitur qui uoluerint medium terminum in ſubiectis accipere, ad generaliora recurrere debent, & ea pro medio termino ſumere. animal enim

mortale,ac rationis particeps,& huiuſmodi magis patent,quàm homo,qui ſubiectus eſt.

Et ipſius E magis ad M F. Hoc eſt,generalius eſt,quàm F ſolum,quod ſtrictius,& contractius eſt.

Nam ſi prima. Hoc eſt, magis uniuerſalia:Si inquã ſubſtantia cõſequitur ex animato,& ſenſus quoq; participe & homine ſequatur,neceſſe eſt.

Ea itidem quæ ſub illis ſunt,ſequitur. Id eſt,animatum, ac niſi differens conceſſerit ſubſtãtiam uniuerſaliora ſequi, conceſſerit ſaltem ſubſtantiam ſequi ea, quæ ſub ipſa ſunt, uidelicet rationis particeps: hoc eſt, ea, quæ magis particularia ſunt,quàm ratione utens. Clarum igitur eſt ex hac tractatione, & doctrina, doceri ratiocinationem ex tribus terminis,duabusq; propoſitionibus,atque in una aliqua trium figurarum conflari, atque ea eligenda non eſſe, quæ omnia conſequuntur. Cùm dixerit, in quænam deſcripta inſpiciendum ſit,ut ex iis medius terminus in unaquaq; quæſtione ſumatur: nunc docet, quænam ſint ea deſcripta, quæ ad medium inueniendum inutilia ſunt. Nequaquam, inquit,oportet te inſpicere in ea,quæ A, & E ſequuntur, ut ex illis medium terminum capias, propterea quòd ſi medius terminus ex illis exceptus fuerit,non erit in ſecũda figura ratiocinatio, quæ duas aientes ſit habitura,ex quibus Omni non inducetur.

Priuare etiam per ea, quæ omnia conſequuntur, nequimus. Hoc eſt, Non demonſtrabis Nulli: quoniam Nulli infertur ex una aienti,& altera propoſitione negante.at ſi quæ ſequitur A, & quæ non ſequitur,contingit E, ſequitur A ea,quæ ſunt C, & H ipſi E non ineſt,alienum enim eſt. Si igitur à C, H medium terminum eligas,primam figuram facies,quæ maiorem uniuerſalem aientem,& minorem negantem habebit.Neq; uerò ab D, H medium terminum eligere poteris,propterea quòd prima uel ſecunda figura fieret,quæ duas propoſitiones negantes haberet.

Perſpicuum autem eſt,& quænam eadem,& non quæ diuerſa, quæ'ue contraria in conſideratione ſumere oporteat. Ac primùm,quoniam medii inueniendi gratia fit hæc animaduerſio, medium ipſum non diuerſum,ſed idem eſt capiendum. Conſtat etiam,in quibus ideo ratiocinationẽ fieri euenit,quòd aut contraria,aut ea,quæ eidem ineſſe non poſſunt,aſſumãtur:omnia in modos prædictos reductum iri:ut ſi B,& F aut contraria ſint,aut eidem ineſſe non poſsint:ex his enim ſumptis ratiocinatio conſtituetur: A nulli E ineſt non tamen ex ipſis erit, ſed ex modo memorato:nam B omni A & nulli E inerit:quare B & quoddam N idem ſit neceſſe eſt.

IN codicibus quibuſdam ita legitur, Perſpicuum eſt & quænam eadem,& quæ diuerſa,aut contraria: quod ita eſt intelligendum. Corollarium quoddam ex prædictis inducitur,quoniam ſi dicit ſe demonſtraſſe, quæ ex deſcriptis eadem ſint, habemus etiam quæ diuerſa ſunt, uel contraria. Etenim ſi C, F eadem conſtituemus, per quæ Omni concludamus, D F contraria erunt, aut diuerſa,quandoquidem D alienum à C cùm ſit,ab F quoque erit alienum:atque ſi C,& H eadem ſint, D itidem à C alienum erit, ab H uerò diuerſum, contrarium'ue. Item ſi C, G eadem ſunt,C aliud erit ab H,& G aliud à D.Hæc tamen lectio nihil in ſe habet recti,propterea quòd iis,quæ deinceps dicuntur, non congruit. Lectio uerò illa,in qua eſt, Et quæ non diuerſa,aut contraria: uerior eſt,& melior,eaq; ita eſt intelligenda:Dum ea, quæ deſcripta ſunt,conſideramus, conamurq; ex ipſis medios terminos excerpere, quæ eadem ſunt, non autem quæ diuerſa ſint, uel contraria excipere debemus. Medius enim terminus ex iis eſſe debet, per quæ extremitates in concluſionem inducimus. Quòd ſi in medio termino diuerſa, contraria'ue capiantur,propoſitiones non coniungentur, nullamq; inter ſe communionem habebunt:ut, Homo bipes eſt, & equus quadrupes eſt:à propoſitionibus enim diſiunctis nulla ratiocinatio fit.

Conſtat etiam in quibus ideo ratiocinationẽ fieri euenit. Laudaturus nunc eſt uiam,& rationem, quã tradidit medii,& propoſitionũ inueniendarum.quã ſolum dicit,tanquã fieri nequeat,ut aliæ uiæ comperiantur,per quas & mediũ,& propoſitiones inueniamus. Conantur nonnulli contraria, ut Album,& Nigrũ capere,uel quæ eidẽ ineſſe non poſſunt,ut diuerſa,quod ſcilicet ſub ſenſum cadit,& quod ſenſu non comprehenditur: ac primùm quidem ratiocinationem non faciunt,propterea quòd euenit,ut propoſitiones deuinctæ ſint,nec inter ſe quicquam cohæreant. Illi autem,qui ratiocinationes componũt,non ob eam cauſam eas efficiunt,quòd diuerſa,aut contraria capiant, ut illi ſunt arbitrati:ſed propterea quòd incidant in omnes modos prædictos,ex quibus medium,& propoſitiones diximus inueniri.

Vt ſi B, & F aut contraria ſint,aut eidem ineſſe non poſsint. Hoc eſt, ſi diuerſa accipiantur,B & F, erit ratiocinatio.

His ſumptis.Hoc eſt,ſi uel diuerſa,uel contraria ſumantur.

Non tamen ex ipſis erit. Sed non,inquit,propterea quod aut diuerſa, aut contraria ſumpta ſunt, ratiocinationem fecerunt.

Sed ex medio memorato. Ex modo uidelicet, ac ratione, quam de medio, & propoſitionibus inueniendis dedit. Nam qui B, F capiunt, ratiocinanturq;, faciunt, ut B idem ſit cum aliquibus eorum, quæ ipſius H ſunt. ſitq; nigrum, & B, & H, atque tanquam conſequens ipſius A, de omni A, hoc eſt de Aethiope enunciabitur: uerùm quatenus de H inueniemus, ab E remouebitur, eritq; nigrum nulli E. pro eo enim,quod dicere debuerat,nulli E,dixit nulli F. albũ uidelicet ſequitur E,hoc eſt olorẽ,remouetur

uetur uerò ab albo nigrum:igitur nigrum de E continente F, nequaquam dicetur. At ſi quis B cum D idem faciat, primum ut conſequens B de omni A enunciabitur, ut autem idem, B de nullo D dicetur, & in repugnantiam incidemus. quinetiam ſecus de A ſolùm dicetur. B uerò & D quiddam commune habent, ut de E enuncientur.

Deinde ſi B & C non poſsint in eodem ineſſe, hæc ratiocinatio fiet, A alicui E non inerit: ſic enim erit itidem media figura. B enim omni A & nulli G inerit: quo fit, ut G cum aliquibus eorum quæ ſunt D idem ſit: nihil enim differt, ſi G & B eidem ineſſe non poſſe, uel G cum aliquo D idem eſſe dixerimus: quæcunq; enim in A eſſe non poſſunt, in D ſumpta ſunt. Ex iis igitur inſpectionibus nullam fieri ratiocinationem conſtat, at ſi B & F contraria ſint, & B cum aliquo eorum, quæ ſunt H idem ſit, ex iis ratiocinationem fieri perſpicuum eſt. Euenit enim, ut ii, qui ita inueſtigant, & explorant, aliam à neceſſaria uiam uidere uideantur, propterea quòd B & H eadem eſſe eos quandoq; præterit.

Si B album, G nigrum tanquam contraria capiantur, A uidelicet olorem non omni E, id eſt colori ineſſe concludetur. Nam B cùm idem ſit cum H, de albo, ſed quatenus ipſius A conſequens eſt, de omni A dicetur: uerùm ut idem cum H, B nulli E inerit. Verum hoc pacto A nulli E inferetur: ſed id non omni inerat: igitur B nulli G, quod ipſi E ſubiicitur, inerit: & ita olorem nulli nigro ineſſe concludemus. At nigrum alicui E, hoc eſt colori inerit: G uerò tanquam ſubiectum magis particulare eſt, quàm E, atque A non omni E inferetur. Quocirca neceſſe eſt, ut B cum eorum aliquo, qui ſunt H, idem ſiat.

Nihil enim differt, ſi G & B eidem ineſſe non poſſe dixerimus. Hoc eſt, Si aliqui capiãt B G contraria, & ex iis Non omni inducant, nihil ab hoc differt, ſi uidelicet B cum H idem capiatur, & B de omni A enuncietur. B uero tanquam idem cum H à G remoueatur, quod utpote ſubiectum, magis particulare quàm E eſt: atq; inde inducitur, A non omni E ineſt. Nam ſi B idem factum cum H dixeris nulli E, nec G ineſſe: concludes A nulli B, non tamen non omni ineſſe: omnia enim ſumpta ſunt, quæ ipſi E ineſſe non poſſunt. Ex iis igitur inſpectionibus nullam fieri ratiocinationem conſtat. Hoc eſt, Si diuerſa, aut contraria ſumantur, non fiet ratiocinatio ob eam cauſam, quòd propoſitiones diſiunctę ſunt. at ſi B & F contraria ſumantur, & B cum aliquo eorum, quę ſunt H, idẽ fiat, ex iis ratiocinatio fiat, eſt neceſſe: hoc eſt, quia B idem atq; H fit, non quod contraria capiantur. Qui in contraria, & diuerſa inſpiciunt, cum ratiocinationem efficiunt, Nulli, uel Non omni, uel Alicui, ex quęſtionibus cõcludentes, arbitrantur aliam uiam, & rationem propoſitionum inueniendarum eſſe. Aliam à neceſſaria uiam. hoc eſt aliam præter eam, quam nos tradidimus. Id quod propterea euenit, quòd ignorant ſe facere ratiocinationes ex eo quod B idem cum H fiat, non quod contraria, uel diuerſa capiant.

Simili quoq; modo ſe habent ratiocinationes, quæ ad id, quod fieri nequit, deducunt, ſicut demonſtratiuæ: etenim hæ quoq; ex iis fiunt, quæ conſequuntur, & ex iis, ex quibus utrunq; ſequitur: atq; in utriſq; eadem eſt conſideratio. Quod enim demonſtratiuè oſtenditur, poteſt etiam ex eo, quod fieri nequit, & per eoſdem terminos colligi: & contrà, quod ex eo, quod fieri nequit, demonſtratiuè itidem poteſt, ut A nulli E ineſt, ponatur enim alicui ineſſe: igitur quoniam B omni A, & A alicui E ineſt, B alicui E inerit. ſed nulli etiam inerat. præterea quia alicui ineſt. nam ſi A nulli E ineſt, & E omni G, A nulli G ineſt: omni tamen inerat.

CVM reſerauerit, ratiocinationes demonſtratiuas, quæ etiam enunciantes, & per rectum appellantur, fieri medium eligendo ab ea, quam diximus deſcriptorum conſideratione: oſtendit etiam, eas, quæ ex eo, quod fieri nequit, fiunt per eandem inſpectionem ſequentium deſcriptorum, & alienorum, ac reliquorum fieri: nam in utriſque conficiendis, demonſtratiuis inquam, & iis, quæ ex eo conflantur, quod fieri non poteſt, in eadem inſpiciendum eſt, ſiue Omni, ſiue Nulli, aut aliam ex quæſtionibus confirmari oporteat. Etenim quod demonſtratiuè demonſtratur, idem quoque per deductionem ad id, quod fieri nequit, demonſtrabitur, idq; per eoſdem terminos, eaſdemq; propoſitiones, atque idem medium. Illud itidem, quod ex eo, quod fieri non poteſt, demonſtratum eſt, demonſtratiuè per eoſdem terminos demonſtratur. Velut ſi demonſtratiuè fuerit demonſtratum A nulli E, hoc eſt, animal nulli lapidi ineſſe, accepto medio termino B, hoc eſt ſenſus participe, in ſecunda figura, hoc Nulli demonſtrabitur in prima per deductionem ad id, quod fieri nequaquam poteſt. Quoniam ſi falſum eſt animal nulli lapidi, ponatur alicui, cumq; B hoc eſt ſenſus particeps omni A, ideſt animali inſit, & animal alicui E, hoc eſt lapidi, ut repugnans uolebat, & B ſenſus particeps alicui E, hoc eſt lapidi inerit. Sed B inerat nulli B, hoc eſt ſenſus particeps nulli lapidi poſitum eſt: & cùm fieri nequeat, ut B & nulli, & alicui E inſit, ſint inductum in concluſionem id, propterea quod A, alicui E ineſſe ſubiectum eſt: nulli autem ineſſe uerum eſt. Per tertiam quoque figuram demonſtratiue fuit demonſtratum, A uidelicet bipes, alicui B hoc eſt animali, per medium G, hoc eſt, hominis, ineſſe at hoc etiam ex deductione ad id, quod fieri nequit,

O 4 demonſt

demonſtrabitur, quoniam ſi falſum eſt alicui ineſſe, ſit A bipes nulli E, nulli uidelicet animali, & E animal omni G homini in prima figura, A igitur bipes nulli G, homini inerit: ſed A hoc eſt bipes omni G, ideſt homini inerat. ac quia per abſurde inducitur A & omni, & nulli G ineſſe, propterea quod A nulli E ineſſe ſubiectum fuit, reſtat ut alicui ineſſe uerum ſit.

Aliis quoque in quæſtionibus eodem habet modo, in omnibus enim erit ex eo, quod fieri nequit, demonſtratio ex iis, quæ ſequuntur, & quæ utrunque conſequitur: eademq́; in unaquaq; quæſtione eſt animaduerſio, & ei qui demonſtratiuè ratiocinari, & ei, qui ad id, quod fieri non poteſt, reducere uoluerit. Ambæ enim demonſtrationes iiſdem terminis conſtant: ut ſi demonſtratum ſit A nulli E ineſſe, quia efficitur etiam ut B alicui E inſit, quod fieri nequit: ſi B nulli E & omni A ineſſe ſumptũ ſit, E, nulli A ineſſe palam eſt. Rurſus ſi ratiocinatione demonſtratiua probatum fuerit A nulli E ineſſe, cùm iam ineſſe conceſſerimus, nulli ineſſe ex eo, quod fieri nequit, demonſtrabitur.

SIMILITER etiam in aliis quæſtionibus, Omni uidelicet, & Non omni, ſe res habet: nam ſi A omni E ineſſe per medium C F probetur, idem in tertia figura per deductionem ad quod fieri nequit, demonſtrabitur: atq; ſi in tertia figura per medium D G non omni inductũ fuerit, idem in prima figura per deductionem ad id, quod fieri non poteſt, demonſtrabitur. In omnibus enim quæſtionibus erit demonſtratio ex eo, quod agi nequit, ſi is, qui ratiocinatur, ſequentia, & quę utrunq; conſequitur, ac diuerſa deſcripta ſpectabit. Ad ſummam, qui unamquamq; demonſtrare quæſtionem uult ſiue Omni, ſiue Alicui, ſiue Nulli demonſtratiue, ſeu ex deductione ad id, quod fieri nõ poteſt, eadem deſcriptorum conſideratione utatur oportet: quoniam utræq; demonſtrationes, & per demõſtratiuam ratiocinationem, & per eam, quæ ex eo, quod fieri nequit, conſtat, factæ per eoſdem terminos coucluduntur. Vt ſi ex eo, quod fieri non poteſt, A animal, nulli E lapidi ineſſe ideo demonſtratur, quia euenit, ut in ea demonſtratione, ex eo, quod fieri nequit, B ſenſus capax alicui E lapidi uidelicet inſit: id quod fieri nunquam poteſt. Sed hoc in prima figura per deductionem ad id quod fieri nequit, demonſtratum eſt nobis, cùm A nulli E ineſſe demonſtraretur. Atq; demonſtratiuè per ſecundam figuram demonſtrabis, ſi B ſenſus particeps nulli E, id eſt lapidi, & omni A, hoc eſt, animali ineſſe acceperis: patet enim A animal nulli E hoc eſt lapidi ineſſe, idq́; reciprocatur, ſi demonſtratiua in ſecunda figura fiat ratiocinatio, A animal nulli ineſſe E, id eſt lapidi concludetur: quod etiam per deductionem ad id, quod fieri nequit, in prima figura demonſtrabis.

Haud ſecus in aliis fit: nam in omnibus communem quendam terminum, alium ab iis, qui ſubiecti ſunt, capiamus neceſſe eſt, ad quem ratiocinatio eius, quod falſum eſt, conſtituatur. Itaq; propoſitione reciprocata, altera uerò ſimili modo relicta, fiet demonſtratiua ex iiſdem terminis ratiocinatio. Intereſt enim demonſtratiua ab ea, quę fit ex eo, quod fieri nequit, quod in demonſtratiua ambæ propoſitiones ueræ ponantur, in alia uerò altera propoſitionum falſò collocetur. Sed hæc poſthac apertiora erunt, cùm de eo, quod fieri nequit, diſſeremus: nunc tantum nobis cognitum ſit, & perfectum, oportere eos, qui uel demonſtratiuè ratiocinari, uel quicquã, quod fieri non poſſit, inducere uolunt, ad hæc ſpectare.

NEC minus in aliis fit, uidelicet in Omni & Non omni: in omnibus enim ratiocinationibus, quæ ex eo, quod fieri nequit, ſunt factæ, quendam terminum communem, uidelicet B, diuerſum à terminis, qui in quæſtione ſunt, hoc eſt A & E capiamus neceſſum eſt. Communem inquit terminum B, non tanquam medium, ſed tanquam ſumptum & in ratiocinationibus demonſtratiuis, & in iis, quæ ex eo fiunt, quod fieri non poteſt: ad quem inquam communem terminum, hoc eſt B, erit falſi ratiocinatio in demonſtratione illius quod fieri nequit. B, enim ſenſus capax alicui E lapidi ineſſe concluditur: at hoc falſum eſt. Hac uerò propoſitione, in qua dicitur B ſenſus capax alicui E lapidi ineſſe, conuerſa, & permutata in hanc, B nulli E ineſt, quod uerum eſt, alteraq́; ita remanente tanquam uera, uidelicet B ſenſus capax, omni A homini ineſt, per eoſdem terminos demonſtratiua ratiocinatio fiet. Hac enim in re ratiocinatio demonſtratiua, & ex eo, quod fieri nequit, differunt: quòd in demonſtratiua ambæ propoſitiones ueræ ſuut: in ea uerò, quæ eſt ex eo, quod fieri non poteſt, una è propoſitionibus eſt falſa, & altera uera: quæ ſanè differentia clare in ſequentibus patebit: in iis uidelicet, quæ poſt dicentur, cùm id, quod fieri nequit, perfectius, diligentiusq́; tractabimus. Nunc docuimus, ratiocinationem demonſtratiuam, & eum qui in hac ratiocinatur, ſi uel Nulli, uel Omni, uel aliud quippiam concludere uult, in ea quæ in deſcriptione eadem ſunt, inſpicere oportere, licet conetur ex eo, quod fieri nequit, Omni uel Nulli, uel quicquam aliud demonſtrare.

In aliis ratiocinationibus, quæ ex ſubiectione ſunt factæ, uelut quæcunque ex tranſumptione, uel ex qualitate in ſubiectis fiunt, non in iis, quæ à principio ſunt conſtituta, ſed in illis, quæ tranſumuntur, diſputatio uerſatur: inſpiciendi idem eſt modus. Perpendendum etiam eſt,

ac diſtin

ac diſtinguendum,quot modis fiant, quæ ex ſubiectione efficiuntur. Vna igitur quæq; quæſtio ſic demonſtratur. Alio præterea modo nonnulla horum colligi poſſunt,uelut uniuerſa,ex ſingulorum conſideratione,ex ſubiectione:nam ſi C, & G, eadem ſint,& E ſolis iis, quæ in G ſunt, ineſſe capiatur, A omni E inerit.atque etiam ſi D & G ſint eadē,& E tantum in iis, quæ in G inſunt,dicatur, A nulli E inerit.Ita igitur inſpiciendum eſſe clarum eſt.

MEDIVM terminum,& propoſitiones in ratiocinationibus,quæ ad id,quod fieri nequit, deducunt, ex ea uia,ac ratione,quam patefecit,inueniri demonſtrauit.In præſentia ratiocinationes, quibus ſubiectio adiecta eſt,quæ per tranſſumptiooem,hoc eſt aſſumptionem,& qualitatem fiunt,eadem effici ratione declarat.Per aſſumptionem ratiocinationes dicuntur,in quibus illa dictio SED, collocatur,ut ſi illud exiēs homo eſt,animal itidem eſt,ſed homo eſt,animal igitur itidem eſt.Si igitur per aſſumptionem, ſed homo eſt,demonſtratur,ut dictum eſt,ex una ratiocinatione enunciante, & ratiocinationes enunciantes hac uia & ratione fiunt,connexæ quoque,quæ per aſſumptionem ſunt,illa ipſa ratione efficiuntur. Ratiocinationes connexæ quæ hypotheticæ dicuntur,per qualitatē ſunt,quæ ex maiori,uel minori,uel ſimili probant: ex maiori ita,Si ualetudo magis bona diuitiis uidetur, bona non eſt, neque igitur diuitiæ bonæ ſunt.Ex minori,Si ualetudo minus bona,quàm uirtutes,uidetur, & ualetudo bona eſt, uirtutes igitur bonæ ſunt. Ex ſimili confirmamus & infirmamus hoc pacto,Si robur,& pulchritudo corporis ſimiliter ſunt uirtutes, robur igitur & pulchritudo bona ſuot:uel cootrà,ſi ambo æqua portione corporis uirtutes ſunt, robur bonum non eſt,oeque igitur pulchritudo quoque bona eſt.

In ſubiectis,quæ à principio ſunt conſtituta. Subiecta à principio appellat coniunctionem, qua antecedens conſequenti copulatur:ut ſi accedens homo eſt, animal quoque eſt, hoc adiunctum eſt. Præſens itaque tractatio non eſt de ea ratiocinatione,quam Enunciantem uocamus, ſed de ea, quæ tranſſumitur, quæ inquam per aſſumptiooem efficitur.

Idem eſt inſpiciendi modus. Vbi enim aſſumptio per demonſtratiuam ratiocinationem demōſtratur,eadem ptobabis,& eadem facies,quæcunq; eadem in ratiocinatione enunciante feceris.

Quot modis. Ratiocinationes enim,connexæ,in eas,quæ per aſſumptionem,& quę per totum fiunt, diuiduntur. Atque ratiocinationes connexæ per totum,& omnioo neque propriè ratiocinationes dicuntur,neque per ratiocinationem enunciantem demonſtrantur,propterea quòd propoſitiones concluſionem conſequuotur, & propoſitiones concluſio. huiuſmodi enim ſunt, ſi deus bonus eſt, bona facit, ſi bona facit,æterna facit,ſi deus bonus eſt,æterna facit:atque etiam ita affectæ ſunt,quoniam concluſio,& propoſitiones coniūnctim capiuntur,neque fit ratiocinatio,neque hæc uia deſcribendi,quam tradidit Philoſophus,ullo oobis pro illis probandis erit adiumento. Vna igitur quæq; quæſtio. Hoc eſt omni, Nulli,& reliquæ ita in iis,quæ diximus in deſcriptione inſpiciendis demonſtrātur. Nonnullæ ex iis quæſtionibus ut uniuerſales Omni,& Nulli,colligi ex eorum conſideratione,& contemplatione poſſunt, in quæ particulares Alicui,& non omni,colligentes inſpeximus:nam ex quibus C G demonſtratum alicui eſt,ex eiſdem Omni demonſtrabitur:ſi uerò in C G proprium quicquam deſcriptum inueniatur,uelut habilitas ridendi,uel rectè gradiendi,& E tantummodo in G ineſſe ſtatuatur, A omni E, hoc eſt:animal omni homini ineſſe,capiendo C, uel ridendi facultatem,inducetur.Ex D etiam,& O Non omni concluſum fuit,ac per eadem quiddam proprium induces,de quo H tantum,hoc eſt homo dicetur. A lapidem,ridendi facultatē habere,& E hominem capere debes.

Fit eodem modo in Neceſſariis,atque adeo in ipſis Contingentibus:eſt enim eadē animaduerſio,eodemq; ordine,& eiſdem ex terminis eius,quod contigit,& eius,quod ineſt,ratiocinatio fiet. In contingentibus ſumenda etiam ſunt ea,quæ non inſunt, ineſſe tamen poſſunt:quoniam ex iis etiam fieri contingentis ratiocinationem demonſtratum eſt nobis. In aliis quoque enunciationibus res ſe non ſecus habet.Igitur ex iis,quæ diximus,apertè liquet,non ſolùm ratiocinationes omnes hac uia fieri,ſed etiam alia non poſſe.Demonſtrauimus enim, quamcunq; ratiocinationem in aliqua ex iis figuris,quas antea diximus,conflari.hæ uero ex aliis conſtitui, quam ex iis,quæ uel unumquodq; ſequuntur,uel quę ſequitur unūquodq;,non poſſunt:quippe cùm ex iis & propoſitiones,& medii ſumptio fiat,adeo,ut ex aliis fieri ratiocinatio non queat.Hæc igitur uia in omnibus,& philoſophia,& quauis arte,& diſciplina eadem eſt:ex iis enim,quæ uel inſunt,uel quibus inſunt,unumquodq; colligere,hiſq; quamplurimis abundare, hocq; per tres terminos conſiderare oportet,dum hoc pacto confutamus,& hoc dum confirmamus, & ex ueritate quidem ex iis,quæ ex ueritate ineſſe deſcribuntur. In dialecticis uerò ratiocinationibus probabilibus utendum eſt.Dictum igitur eſt uniuerſè,quomodo ratiocinationum principis ſe habeāt, quomodoq; ea inquirere debeamus:atque etiam ne ad omnia, quæ dicuntur,neq; ad eadem ſi confirmemus, atque infirmemus,neq; ſi de omni,uel de aliquo probemus,& ſi confutemus ab omnibus, uel aliquibus,ſed ad pauciora,ac definita ſpectemus.

EXERCVIT ſeſe Philoſophus in quęſtionibus,quę inſunt,ut in Omni,qđ ineſt,& Nullo,necnō reliquis

liquis:ſtylum nunc conuertit ad Neceſſarias,& Contingentes. Dicit itaque,debere nos in ea ex deſcriptione reſpicere,io quę reſpiciebamus,cùm Omni,uel Nulli,re ipſa ineſſe inducebamus:ac ſi Omni,uel Nulli, ex neceſsitate,uel ſortuito uoluimus inferre,ita quoque eſſe inſpiciendum. eundem enim ordinem deſcriptorum,ſiue Omni,ſiue Nulli ineſſe uolumus concludere,inſpicere debemus. Quod autem inquit manifeſtum eſſe,ita inſpiciendum nobis eſſe,ita intelligendum eſt:ſi uidelicet inducis Omni,nō ſolum in C E, ſed etiam in C G inſpicies:atque ſi inducis Nulli,nō tantum in B H, uel D F, uerum in D G. Poſſumus enim Omni,& Nulli,per ea colligere,per quæ Alicui,& Non omni,collegeramus. & propterea quod contingens ſignificat,& id quod ineſt,& neceſſarium,& propriè contingens,dixit , in contingentibus proprie contingentia capienda eſſe,quæ licet non inſint,fieri tamen poſſunt,nam ex iis etiam proprie contingentibus fit ratiocinatio.

In aliis quoque enunciationibus. Hoc eſt,in aliis modis,bene inquam,pro uirili,& laudabiliter.

Res ſe non ſecus habet. Hoc eſt,in iis etiam in eadem ex deſcriptione inſpiciendum eſt, ſed hoc erat perobſcurè dictum. Vniuerſalia per particularium conſiderationem ex ſubiectione ſcriptum eſt colligi, qua in re hæc uerba, Ex ſubiectione , non declarant , aut ſignificant quodam ſubiiciendi modo:ſed per ſubiectionem,hoc eſt,ſi per ſubiectionem in iis,quæ G ſunt proprium deſcriptum ſit , cui E tantum inſit: nam in deſcriptione & propria,& definitiones,& quæ unumquodque ſequitur,hoc eſt & antecedentia,& conſequentia deſcribimus. Via igitur & modus medõ inueniēdi in omnibus idem eſt : ac per Philoſophiã, naturales,moraleſq;,deq; diuinis rebus quæſtiones indicauit:cumq; adderet , Quauis arte , rhetoricas , & medicinales quæſtiones patefecit:demum adiungens, Diſciplinam, mathematicas,geometricas inquam, arithmeticaſq;,& muſicas quæſtiones reſerauit. Io unaquaq; quæſtione ea capiēda ſunt,quæ inſunt,& quibus uterq; terminus,ſubiectus uidelicet,& de ſubiecto dictus ineſt,hæq; quæſtiones per tres terminos ſunt colligendæ.

Dum hoc pacto confutamus, Hoc eſt,Dum in D F, uel in B H inſpicimus.

Hoc dum confirmamus. Hoc eſt,ioſpiciendo in C F.

Ex ueritate quidem. Si quæſtio uera,& demōſtratiua ſit, propoſitiones ueras à deſcriptione accipies: ſiq; dialectica fuerit ratiocinatio,propoſitiones probabiles ſuot capiendæ.

Quomodo ratiocinationum principia ſe habeant. Maior propoſitio debet minorem continere:dictum etiam eſt,quomodo propoſitiones in deſcriptione inuenire poſsimus.

Atque etiam ne ad omnia,quæ dicuntur . Hoc eſt , non in omnia, quæ deſcribuntur,ſed in minora, & determinata inſpiciendum eſt,neque eadem inſpicies probando,& refellendo,ſed cùm cōfirmas & probas Omoi,inſpicies C F, cum uero Alicui demonſtras , C G accipies.

Et ſi confutemus ab omnibus. Hoc eſt,demonſtrando Nulli eadem D, & G conſtituere debemus.

Vel ab aliquibus. Hoc eſt,eadem facias D G, ſi non Omni uis demonſtrare.

In unoquoque eorum,quæ ſunt,facienda electio eſt:ut de bono,& de ſciētia, in una enim quaque plurima ſunt propria. Quare principia,quæ in uno quoq; inſunt,tradere eſt experientiæ, dico autem aſtrologicam exercitationem aſtrologicæ ſcientiæ,ſumptis enim commodè,quæ apparent inuentæ ſunt aſtrologicæ demonſtrationes. Conſimiliter etiam in quaq; alia arte , & ſcientia res ſe habet. Quo fit,ut ſi quæcunq; in unoquoq; inſunt,aſſumantur,noſtrum ſit,promptè demōſtrationes proferre,& propalare. ſi enim nihil eorum , quæ uerè inſunt in rebus , ex inſpectione omittatur,poterimus de omni,& cuius demonſtratio ſit , eam inuenire,ac demonſtrare , & cuius non fuerit demonſtratio,explanare. In uniuerſum igitur quomodo propoſitiones eligere oporteat,ferè dictum eſt nobis. Accuratius autem hanc eandem rem in ea tractatione,quæ de Dialectica eſt,pertractabimus.

IN unoquoque eorum , quæ ſunt , & proponuntur , ut ſi proponatur diſciplinam eſſe bonum, deſcribe propria bonum ſequentia,& propria,quæ diſciplinam conſequuntur:& quæ ab utriſque aliena ſunt, quæq; ſequuntur. In una enim quaq; quæſtione plures propoſitiones propriæ ſunt:nam aliis utimur in Phyſicis,aliis in Geometricis.

Plurima. id dixit propterea,quod ſunt aliquæ communes propoſitiones,quæ omni quæſtioni accōmodantur,quæ ſunt non minus deſcribendæ,ut de re omni affirmatio, uel negatio eſt, & quæ eidem æqualia inter ſe æqualia ſunt. Item ſi ab æqualibus præcidantur æqualia,quæ ſupererunt,æqualia erunt. Experientia igitur principia in unaquaq; quæſtione nobis tradit:eſt enim Experientia actus per ſenſum: cumq; longo uſu edocti,idem ſæpe eodem modo factum eſſe cognouerimus , uniuerſale quiddam inducimus. Nam propterea quòd uiſus noſter ſemper diſperditur,ac diſsipatur , cùm album uidet , ſemperq; congregatur, ſi nigrum aſpiciat:ea re ſit,ut hoc uniuerſale inferamus: Omne album color eſt aſpectum ſeparans , & omne nigrum color eſt aſpectum comparans. Aſtronomus quoque à periculis factis proprias propoſitiones ſumit. Nam cùm ſæpenumero uiderit ſolis lumen obſcurari,cum luna ſubiecta,& oppoſita eſt ſoli,tum lunam incidētem in umbram terræ interpoſitu,ioteriectuque terræ repente deficere, uniuerſales inde propoſitiones cepit,omnem ſcilicet Solis defectionem eſſe,cum luna ſubiecta , & oppoſita Soli oculis noſtris

eius

eius Lumen obſcurat:omnemq́; Lunę defectionem eſſe, quando illa è regione ſolis facta incurrit in umbram terræ:etq; ita aſtrologica experientia diſciplinæ aſtrologicæ propoſitiones inuenit. Medicus itidem cùm nouerit uictum humidum ſebricitātibus utilem eſſe,hoc uniuerſale induxit: Omnis uictus humidus febre laborantibus prodeſt.

Quæ uerè inſunt in rebus. Hoc eſt,quæ in utriſq; terminis inſunt. Cum diceret,Cuius demonſtratio ſit:indicauit:omnia demonſtrari non poſſe, nec in ratiocinationem adduci: nam neque generum primorum,neque ſingularum rerum,neque definitionum ulla eſt demonſtratio,ſed eorum tantum,quæ medium locum ſunt ſortita.

Poſſumus autem perſpicuè uidere Diuiſionem , quæ per genera fit, particulam quandam eſſe uiæ,quam monſtrauimus. Eſt enim Diuiſio ueluti infirma ratiocinatio:quod autem demonſtrandum eſt,petit,ac ſemper eorum aliquid,quæ ſuperiora ſunt,ratiocinatur.

RATIOCINANDI uiam,& rationem,quam prębuit,laudibus extollit,& celebrat,utpote quam à ſe primum inuentam ueteres ignorarunt. Veteres enim (uehementer nunc in Platonem inuehitur) qui demōſtrare aliquid uolebant,diuidendi uia utebantur,putabantq́; per eam ratiocinari, ac propoſitum demonſtrare:at ex illa nihil quicquam poteſt demonſtrari:atque etiam ſi conceſſerimus , ut colligere poſsit, non tamen ipſam per ſe , ſed eius auxilio,quam nos tradidimus, concedemus . Illi qui diuidendi ratione ad demonſtrationem uſi ſunt , in prima figura ratiocinationes fecerunt . Diuiſionem inquit eſſe particulam quandam demonſtrationis , quam & ſi nondum edocuit , tamen in tribus figuris dixit ſibi propoſitum eſſe, de Demonſtratione diſſerere , cuius gratia de ratiocinatione uerba facere coactus eſt. Diuiſio demonſtrationi tantum adiumentum præſtat , quantum definitiones ex diuidendi uia conſtant. Demonſtratio utitur medio termino definitionis loco. Dixit deinde Diuiſionem eſſe ratiocinationem infirmam , & imbecillam,propterea quòd non demonſtrat , quod probandum proponitur , ſed tanquam conceſſum capit , & aliud quicquam demonſtrat . Nam ſi demonſtrandum proponatur , hominem eſſe rationis participem,accipit genus abſque demonſtratione,tanquam perſpicuum,& manifeſtum, uidelicet Homo animal eſt,omne animal,uel rationis particeps eſt,uel expers,omnis igitur homo, aut rationis particeps,aut expers eſt:hocq́; colligit, & concludit. Sed hominem eſſe rationis participem pro conceſſo aſſumit,hoc modo, Verùm expers rationis non eſt,particeps igitur. Præterea cùm demonſtrandum eſt dimetientem eiuſdem non eſſe menſuræ cum latere,ſic ratiocinantur:ſunt enim,Dimetiens,& latus magnitudines ſunt, omnis magnitudo,uel commetiens eſt , uel non commetiens cum aliqua magnitudine, dimetiens igitur cum latere commetiens erit,uel non erit. Facta eſt igitur hac de re ratiocinatio , quodq́; fuerat demonſtrandum,pro explorato captum fuit. Diuiſionem præterea uocat infirmam,& debilem ratiocinationem,quòd Omni ſolum colligat,nec poſsit de Nullo , Non omni,& Aliquo ratiocinationes efficere:& quòd ea ſolum demonſtret,quæ intus in rebus ex ui,& natura inſunt,prout rationis particeps, mortaleq́;, & eius generis cætera in homine. Quæ uerò aduentitia ſunt rebus,& propria,& hoc huius genus eſſe , atq; adeo ipſas definitiones demonſtrare nequaquam poteſt.

Principio id ipſum omnes latuit,qui ea uſi ſunt,atque perſuadere ſunt conati, fieri poſſe, ut de ſubſtantia,& de rei natura demonſtratio efficiatur . Itaq; neque quid eos ratiocinari liceat,qui diuidunt,neq; hac uia,quam docuimus,utendum eſſe intellexerunt . Igitur in Demonſtrationibus quando aliquid ineſſe colligendum eſt,medium,ex quo ratiocinatio fit, ſemper minus prima extremitate,& non uniuerſale debet eſſe:at Diuiſio,utpote quæ medium uniuerſale ſumat , contrarium requirit. Sit enim animal in quo A, ſit mortale in quo B , & immortale in quo C ponatur, homo autem,cuius definitio excipienda eſt , in quo D collocetur: omne igitur animal uel mortale,uel immortale eſſe petit,hocq; eſt dicere,Quicquid fuerit A,aut B aut C eſſe. Præterea is,qui diuidit,ſemper hominem eſſe animal ponit,ac deinceps A ineſſe ipſi D ſumit. ratiocinatio igitur erit,D uel B uel C omne eſſe:ex quo fit,ut hominem uel mortalem , uel immortalem eſſe neceſſe ſit:at mortalem tantum eſſe non neceſſe eſt,ſed poſtulat:& tamen hoc erat,quod ratiocinatione fuerat colligendū. Cum præterea ponat A animal mortale,in quo B pedes habens, in quo C ſine pedibus,hominem uerò D: ſumit A omne eſſe aut B aut C eodē modo:omne enim animal mortale uel pedes habet,uel non habet. A uerò de D. nam hominem animal mortale eſſe accepit:quare neceſſe eſt hominem uel pedes habere, uel non habere. Sine pedibus uerò eſſe neceſſitas non cogit,ſed ſumitur:id tamen eſt,quod demōſtrare oportebat. Et ſemper hunc in modum diuidentibus euenit,ut medium uniuerſale accipiant,de quo & differentiæ,& extremitates erant demonſtrandę. Ad ſummam hoc eſſe hominem,aut quod quęrebatur,nihil manifeſti proferunt, ex quo neceſſarium ſit.

QVOD demonſtrandum eſt,homo uidelicet rationis particeps, petitur:id eſt pro conceſſo accipitur. Eorum aliquid , quæ ſuperiora ſunt, concluſionem uidelicet generaliorem infert, quàm rationis

capax

capax ſit: ueluti ſi dicatur, Omnis homo uel particeps rationis eſt, uel expers. Ac primum quidem id eos omnes latuit, qui diuiſione utebantur, ſeſe accipere tanquam exploratum id, quod demonſtrandum proponebatur, & aliam concluſionẽ quandam inducere: atq; omnibus perſuaſerunt, poſſe ea ratione diuidendi ſubſtantiam demonſtrari. Deinde explicans quamnam ſubſtantiam intelligat, inquit, De rei natura: hoc eſt, de diffinitione, quippe quæ uim, & naturam rerum explanet. præterea ſi uis tu, hoc ita etiam intellige. omnibus perſuadere conabantur, poſſe demonſtrari ſubſtantiam, hoc eſt genus ultimum, quod generaliſsimum uocant, ſubſtantiam inquam eſſe animalis genus.

Et de rei natura. Hoc eſt, poſtea definitiones demonſtrant. hanc ſcilicet eſſe huiuſce definitionem rei.

Itaq; neq; quid eos ratiocinari liceat, qui diuidunt. Id eſt, qui uia diuidendi utuntur, nõ intellexere, quid ea ratione demonſtrari poſsit: nam neq; eſt ſupremorum generum definitio, neq; definitionum: neq; etiam compertum habebant, fieri alio modo ratiocinationem poſſe, præterquam quo eos uti dictum eſt nobis. Ratiocinationes etiam artis expertes componunt, quoniam in ratiocinationibus medius terminus maiore extremitate minor eſſe debet: illi uerò diuiſione utẽtes medium ampliorem, ac latius manantem, quàm maior extremitas capiebant.

Ratiocinatio igitur. Colligebant deinde, concludebantq́;, omne D, hoc eſt, omnem hominem eſſe uel B, uel C, mortalem inquam, uel immortalem: hocq́; ex neceſsitate inducebant, omnem hominem mortalem eſſe, uel immortalem. At hominem mortalem eſſe, quod demõſtrandum proponitur, & de quo ratiocinari oportet, nequaquam neceſſe eſt, uia ratiocinatiua induci, ſed petitur, hoc eſt tanquam exploratum ſumitur. Additur poſtea, Omnis homo eſt animal mortale, omne animal mortale, uel pedes habet, uel ſine pedibus eſt: ea quo neceſſario concluditur, omnem hominem eſſe animal pedes habens, uel non habẽs. Sed Pedes habere, quod fuerat demonſtrandum, non capitur ex neceſsitate uiæ ratiocinatiuæ, ſed ſumitur tanquam certum, & perſpicuum. Huic etiam aliud accedit, cùm dicitur, Omnis homo animal eſt pedes habens, omne animal pedes habẽs, uel bipes eſt, uel quadrupes, deinde omnem hominem aut bipedem, aut quadrupedem eſſe concluditur: ſed neq; eſt quadrupes. bipes igitur eſt.

Et ſemper hunc in modum diuidentibus euenit. Hoc eſt, his, qui ex diuiſione ratiocinationes faciunt, euenit, ut medium terminum, Animal uidelicet, magis uniuerſalem capiant: pro extremitatibus uerò Hominem ſumunt, de quo dici Rationis particeps, & Mortale demonſtrare oportebat: at pro maiori extremitate differentias, mortale ſcilicet & immortale capiunt, atq; ita ii, qui diuidunt, proprie concludentes hominem eſſe rationis participem, & proprie inducẽtes, mortalem eſſe, ac proprie inferentes bipedem eſſe, omnia hæc poſtremo miſcent cum genere, & animal rationis particeps, mortale, bipes hominis eſſe definitionem arbitrantur. Aut quod quærebatur. Hoc eſt, Si demonſtrandum ſit hanc eſſe equi uel bouis definitionem, ſi animal rationis expers hinniens dicatur equi definitionem eſſe, nihil clari, & ueri, aut neceſſarii afferunt: nam quæ proprie de aliquo dicuntur, ſimul itidem de eo dici non poſſunt. De Simone autem uerè dicentur hę proprietates, ſutor ſcilicet & bonus: at ſimul ſumptę una nequaquam uerè dicentur: nam falſum dicit is, qui Simonem ſutorem bonũ eſſe ait. Rationis uerò particeps, mortaleq́;, & bipes non demonſtrarunt, ſed tanquam perſpicuam ſumpſerunt. Rogaret quiſpiam, Cur dicat Ariſtoteles eos, qui diuiſione utuntur, medium terminum maiore extremitate uniuerſaliorem accipere, & maior extremitas, uidelicet B & C mortale inquam, & immortale, ęqualis eſt medio, uidelicet animali. Nos illi omnem dubitationem hoc pacto tollemus: Ariſtoteles ad id, quod in demonſtratione ponebatur, uidelicet ad hominem rationis participem, animum intẽdebat. Dixit igitur eos medium terminum magis uniuerſalem aſſumere: nam terminus, qui in cõcluſione enunciatur, is eſt, qui in ratiocinatione maior exiſtit: quocirca Animal latius manat, ac ſerpit quàm Mortale, & Ratione utens, quæ demonſtranda proponebantur, licet pro conceſsis acciperentur.

Etenim aliam quamlibet uiam inſtituunt, cùm hanc copiam ſuppeditari poſſe non putent. Eſt autem perſpicuum neq; hac uia quicquam refelli, neq; ab accidenti, aut proprio quicquam colligi, neq; de genere, neq; de quibuſcunq;, quæ aut hoc, aut alio modo ſe habeant, neſciatur, conſtitui licere: ut Dimetientem putas'ne eandem, an non eandẽ habere menſuram? nam longitudo omnis aut eandem, aut non eandem menſuram habet, & dimetiens longitudo eſt, dimetientẽ igitur eiuſdem eſſe menſuræ, aut non eiuſdem ſequetur. Verùm ſi capiatur non eiuſdem eſſe menſuræ, id, de quo ratiocinatum erat, ſumptum fuerit: igitur demonſtrari non poteſt. uia enim hęc eſt, per quam eiuſdem eſſe menſuræ, uel non eiuſdem demonſtrare non ualemus. pro quo A longitudo, B uel eiuſdem, uel non eiuſdẽ menſuræ, C dimetiens. Apertè igitur conſtat, hunc inquiſitionis modum omni tractationi non conuenire: neq; iis, quibus maximè competere deberet, ulli eſt adiumento. E quibus itaq; demonſtrationes fiant, ac quomodo, & ad quæ in unaquaq; propoſita quæſtione inſpiciendum ſit, perſpicuum ex iis eſt, quæ diximus.

SEMPER, inquit, accipiũt genus, ipſumq́; diſcerpunt, donec ad quoddam indiuiduum, ueluti bipes, quod diuidi nullo modo poſsit, peruenerint.

Cum hanc copiam ſuppeditari poſſe non putent. Hoc eſt, quia ignorant, nec cõiectura aſſequi poſſunt, un-

ſunt, unde medius terminus capiatur, cuius ope hominem eſſe rationis compotem introducunt: accipiendum enim eſt habere conſultandi facultatem: Homo facultatem habet conſultandi, quod facultatem habet conſultandi rationis particeps eſt, homo igitur rationis particeps eſt. Neque ſanè per diuiſionem quicquam refellitur, aut infirmatur: non enim poteſt demonſtrari Nulli, ſed Omni ſolùm. neq; etiam potuerũt diuidendo demonſtrare, hoc eſſe huius propriũ: at neq; de genere, hoc ſcilicet eſſe huius genus, eis fuit probandi facultas. Verùm ſi obiiceret quiſpiam, Ariſtotelẽ quoq; non poſſe ſuprema genera demonſtrare: id ſciat, etſi hæc demonſtratiuè non demonſtrentur, in Topicis tamen locos, & cauſas afferri, ex quibus hoc huius genus eſſe fides fiat.

Neſciatur. Via, inquit, illa diuidendi demonſtrare ambigua non poſſunt. Vtrum enim dimetiens cum latere commetiens ſit, dubitatur: putant enim ea, quæ dilucida ſunt, ex diuiſione demonſtrare, uelut hominem eſſe rationis participem: ſed hæc aperta petuntur, hoc eſt ſine demonſtratione capiuntur. Eſt igitur perſpicuum, hunc modum, & uiam inquirendi per diuiſionem, omnibus omnium quæſtionum conſiderationibus eſſe inutilem: neq; enim generum, accidentiumq́;, & propriorum, ac definitionum facere demonſtrationem poteſt: etſi illi arbitrantur omnia hæc per diuiſionem probari. At neq; utilitatem pręſtat ad illorum demonſtrationem, quæ uidentur apta ad ratiocinandum, & demonſtrandum.

E quibus itaq; demonſtrationes fiant. hoc eſt, à ueris. Ac quomodo, ſi uidelicet maior propoſitio minorem contineat. Et ad quæ, hoc eſt, quæ ex deſcriptione excipiamus, & inſpiciamus, ut propoſitum, aut quæſtionem quamcunq; concludamus, ſatis multa dicta ſunt nobis.

DE RATIOCINATIONVM RESOLVTIONE, PARS TERTIA.

QVOD reliquum eſt conſiderationis noſtræ, quonam pacto ratiocinationes in prędictas figuras reducantur, deinceps dicendum eſt: Nam ſi formationem ratiocinationum inſpiciamus, inueniendiq; nobis facultas ſit, ac demum inuentas in memoratas figuras adducamus, finem conſequetur, quod nobis propoſitum fuerat: ſimul etiam fiet, ut ex iis, quę poſthac dicenda ſunt nobis, quę antea diximus, cõfirmentur, fiantq; clariora, ac illuſtriora, propterea quòd ita ſe habeant. Quodcunq; enim uerum eſt, ipſum ſibi ipſi omnino conſentaneum ſit, oportet.

CVM de ratiocinatiua diſcẽdi uia ſibi docere propoſitum eſſet, eam, in qua de hac re ageretur, tractationem diduxit in partes tres: in quarum prima, cui Trium figurarum nomen eſt, ratiocinationum formationem, quomodo uidelicet ratiocinatio fit, nos docuit: dixit enim duabus è propoſitionibus, ac cõcluſione eam perfici, & abſolui: ei parti Mixtiones quoq; adiunguntur. In altera, cui De propoſitionum copia nomen impoſuit, inueniẽdarum propoſitionum uiam, ac rationem præbuit. In tertia, quæ De ratiocinationũ reſolutione inſcribitur, nos inſtituit, quomodo ratiocinationes in iis, quæ ueteres ſcripta reliquerunt, inueniamus: atq; etiam ſi is, qui cum diſſerimus, ratiocinationes efficiat, nobiſq; proponat, eas diſſoluere, & ad unam trium figurarũ reducere, & in qua figura, primáne, an in ſecunda, anq; in tertia ſint, cognoſcere poſſimus. Reſolutio eſt medii inuentio, inuentam enim ratiocinationem in duas propoſitiones, ex quibus concluſio fuerat illata, diſſoluimus, haſq; in tres terminos, ex quibus fuerant compactæ: deinde inueſtigamus, quis è tribus terminis medius capiatur: atq; ſi hic medius terminus inuẽtus maiori ſubiiciatur extremitati, deq́; minori enuncietur, in prima figura ratiocinationem fieri comperiemus. Si uerò de utriſq; extremitatibus dicatur, in ſecũda figura inferri ratiocinationem liquet. Si demum utriſq; ſubiiciatur extremitatibus, in tertia figura ratiocinationẽ effici conſtabit. Sed ad explanationẽ noſtra nunc conuertatur oratio,

Quod reliquum eſt conſiderationis noſtræ, quonam pacto ratiocinationes in prædictas figuras reducantur, deinceps dicendum eſt. Hoc eſt, cùm dictum ſit, quo modo fiãt ratiocinationes, & data ſit uia, & ratio propoſitionum inueniendarum, dicendum eſt quonam pacto reducere, ac reſoluere in tres memoratas figuras debeamus eas ratiocinationes, quas in ueterum ſcriptis inuenimus, & quæ à nobiſcum diſſerentibus proferuntur,

Quod reliquum eſt. Hoc inquit eſt, quod à tractatione noſtra, & doctrina ratiocinationum conficiendarum ſupereſt: ut te doceam, quo pacto poſsis reſoluere, & inuenire in qua ex tribus figuris facta ſit propoſita argumentatio.

Nam ſi formationem ratiocinationum inſpiciamus. Quo modo uidelicet fiat ratiocinatio, ſiq; facultatem habeamus propoſitiones inueniendi, è quibus fit argumẽtatio, ac ſi poterimus in unam aliquam trium figurarum reſoluere ratiocinationes, quas fecerunt aliqui antiquorum docti, & intelligentes uiri, ad finem perduxerimus, quod facere ſtatueramus. Erat enim nobis propoſitum, ut rationem efficiendarum ratiocinationum doceremus. Ex iis præterea, quæ dicenda ſunt, efficietur, ut quæ iam diximus, confirmentur, enodatioraq; reddantur, propterea quòd ita ſe, nec ſecus habent. In tribus enim figuris, atque in capite de copia propoſitionum tres figuras, nec plures eſſe, demonſtratum eſt.

Quodcunq; enim uerum eſt. Veritas inquit ſibi ſemper ipſi conueniens eſt, nunquam diſſentanea. nam ſi tribus in figuris probatum eſt tres eſſe figuras, quiſnam repugnabit, dicetq́; iis plures inueniri?

Primum omniũ conandũ eſt, ut duas ratiocinationis propoſitiones excipiamus: facilius enim eſt in maiora, quàm in minora diducere. Compoſita autem maiora ſunt iis, ex quibus conſlantur.

INITIVM hinc facit uia & ratio, quę diſſolutionem docet. Si ratiocinatio proponatur, ſtude propoſitiões, ex quibus inducta fuit, inuenire. Facilius enim maiora, hoc eſt duæ propoſitiones, quàm minora, id eſt tres termini, è quibus propoſitiones ſunt concretæ, comperiuntur. Vocauit enim duas propoſitiones Maiora, tres uerò terminos Minora: quoniam multitudo, & numerus in magnitudinis diuiſione ſibi mutuo opponuntur. Omnis enim magnitudo in duas maximas magnitudines ſecatur, duę autem ſunt maximæ partes magnitudinis, numeri uerò minores. Sed tres, quatuor ne, aut quinq;, maximæ ſunt numeri partes, & magnitudinis minores. Sint duę magnitudines A B, & C D bipartitoq́; A B ſecetur, C D uerò quadripartito, duæ partes magnitudinis ratione maiores, at ratione numeri, minores. Partes autem, in quas C D magnitudo diuiditur, maiores numero ſunt, & magnitudine minores. ac ratiocinatio in duas propoſitiones, & treis terminos partitur. Duo enim, ut diximus, magnitudine maiora, numero uerò ſunt minora: ſic etiam tres termini magnitudine minores cum ſint, numero maiores erunt.

Compoſita autem maiora ſunt iis. Duæ uidelicet propoſitiones concretas, & magis coniunctas uocat. propterea quòd unaquæq; propoſitio duobus ex terminis ſubiecto, & eo, qui enunciatur, conglutinata eſt. Dixit uerò, Ex quibus, cum uellet treis terminos ſignificare, quoniam duę ratiocinationis propoſitiones è tribus terminis ſunt conflatæ.

Eſt deinde conſiderandum, utra propoſitionum in uniuerſo, & utra in parte ſit: ſiq; ambæ non fuerint captæ, ea, quę deſideratur, adiungenda erit. Fit enim plerũq;, ut cùm uniuerſalis proponatur, quæ in ea eſt, nec ſcribendo, nec interrogando capiatur: aut ſi hæ proponuntur, illæ, per quas concluduntur, ſilentio inuoluantur: & aliæ, quæ non propoſito conducant, temerè rogentur.

IN uniuerſo, hoc eſt; quæ nam uniuerſalis ſit, & alteram contineat. In parte, hoc eſt, minor, à maiore contenta: nam maior, quæ ait, ſubſtantia omni animali ineſt, minorem, quæ ait, Animal omni homini ineſt, in ſe comprehendit: ſiq; duæ propoſitiones in propoſita ratiocinatione poſitæ ſunt, facilis reſolutio eſt: at ſi altera propoſitionũ in ratiocinatione ſit, altera uerò prætermiſſa fuerit, quonam pacto huiuſmodi ratiocinationem reſoluentes, maior ne, an minor fuerit relicta, nobis compertum erit: Dicit igitur id nos ex concluſione cognoſcere: & ſi ambæ propoſitiones captæ non ſunt, alteram adiungere, deinde ratiocinationem in duas propoſitiones reſoluere debemus. Quandoq; enim, qui orationes ſcribunt, quiq́; interrogant, & diſſerunt, uniuerſalem, & maiorem propoſitionem proferentes, eam, quæ ſub illa continetur (minorem inquam,) ſilentio inuoluunt: uel contra, plerunq; enim minores propoſitiones pronunciant, maioresq́; relinquunt: à quibus quidem maioribus illæ minores perfectionem habent ſuam, ita ut concluſiones inducant: nam ſi minor à maiori diſtincta ſit, concludere quicquam non poterit. Illi igitur maiorem prætermittunt, & rogant: ſed temerè, & fruſtra: quippe cùm illa, de quibus agunt, maiore relicta ad concluſionem nihil faciant: ut, Voluptas ſecundum naturam eſt: nõ enim dicunt, Quod ſecundum naturam eſt, bonum eſt, quæ eſt maior propoſitio: ſed aiunt, Voluptas eſt uita uacua ab omni moleſtia: poſtea concludunt, Voluptas igitur bonum eſt,

Poſtremò perpendendum eſt ſuperuacanei ne quicquam captum fuerit, an ex neceſſariis prætermiſſum. Hoc ſi omiſſum eſt, ponendum eſt: illud ſi ſumptum, auferendum, donec in duas propoſitiones ueniamus. Nam ſine his orationes ita interrogatæ, reduci nullo modo poſſunt.

EST igitur animaduertendum, num quid ſuperſit, & num captum quidpiam ſit, quod nihil conferat concluſioni, & quæ propoſitio neceſſaria deſit. Oportet autem te illam neceſſariam apponere, & ſumere, quæ fuerit relicta. Hanc igitur, Omne quod ſecundum naturam eſt, bonum eſt, addere debes. Eas itidem, quæ temerè, & nulla ratione introducuntur, ueluti ſunt hæ, Voluptas eſt leuis, & facilis actio: &, Voluptas eſt uita moleſtiis uacua, tanquam redundent, abiicere, & eouſq; debes ſuperuacanea excludere, donec ad duas propoſitiones, quæ concluſionem propriè, & legitimè inducant, deuenias.

Nam ſine his, Hoc eſt, niſi duas neceſſarias propoſitiones concluſionẽ inferentes inueniamus, nõ poſſumus orationes reducere, ac reſoluere: non poſſumus inquam de ratiocinationibus ab eo, qui nobiſcũ diſputat, prolatis, & rogatis, in qua figura ſint factæ, reſpondere. Sed dicendum eſt, qua uia ex concluſione inuenire prætermiſſam propoſitionem poſſis. Concluſio ſubiectum terminum, & eum, qui enunciatur, habet, quiq́; concluſioni ſubiicitur, minori itidem propoſitioni ſubiicitur: terminus quoq; de ſubiecto dictus maioris eſt propoſitionis. Si quis igitur unam propoſitionem dicat, & alteram ſilentio tranſeat, hoc modo concluſionem inducet: ut, Omne ſecundum naturam bonum eſt, uoluptas igitur bonum eſt. Quod propterea fit, quo

ſit, quoniam ſubiectum cõcluſionis,uidelicet uoluptas,in propoſitione rogata poſitum non fuerat: atq; in hac Alsquis nimio cultu ſibi indulget,patet maiorem propoſitionem relictam eſſe,uidelicet,qui nimio cultu ſibi indulget,mœchus eſt.

Nonnulla igitur ſunt,in quibus facile uidemus quid abſit:in quibuſdam occultum eſt, in quibus aliquid colligi uidetur ex eo,quod neceſſarium quiddam ex iis,quæ poſita ſunt,eueniat. Velut ſi capiatur,ſubſtantia non ſublata,non tolli ſubſtantiam:iis autem,ex quibus aliquid eſt,ſublatis,illud etiam,quod ex iis efficiebatur,corrumpi:nam his poſitis,neceſſe eſt ſubſtantiæ partẽ eſſe ſubſtantiam.Id tamen ex iis,quæ ſumpta ſunt, collectum non eſt , propterea quod propoſitiones deſunt.Præterea,ſi cùm homo eſt,animal eſſe,& cùm animal eſt,eſſe ſubſtantiam neceſſe eſt, cùm homo ſit ſubſtantiam eſſe neceſſe erit . At nondum eſt in ratiocinationem adductum , propterea quod ita ſe propoſitiones non habent,ut diximus.

IN quibuſdam ratiocinationibus,quæ mutilæ ſunt,& quaſi decurtatæ,facile uidemus,quæ propoſitio deſideretur:propoſitionesq́; in terminos abſq; difficultate diducimus,ut medium citius comperiamus , & eo pacto in qua figura facta ſit ratiocinatio,ſcientiam non fugiat noſtram . Verum nonnullæ ſunt ratiocinationes ex iis,in quibus aliquid abeſt,quæ nos latent,& tranſgrediũtur,id quod euenit,quoniam per traditam doctrinam reſolui non poſſunt.Termini enim,qui in concluſionem ingrediuntur, in propoſitionibus ſumptis uidendi ſunt,qui quidem colligere;& eſſe ratiocinationes uidentur, & quiddam neceſſarium inferre,concludere inquam ex iis,quę poſita ſunt,tamẽ ratiocinationes non exiſtunt ob eam cauſam,quod concluſionem ex propoſitionibus,quæ fuerant captæ,non inducunt . Minor enim propoſitio concludens, hæc uidelicet Omnes ſubſtantiæ partes,ſubſtantiæ ſunt,deficit.In ſecunda autem figura ratiocinatio facta eſt hoc modo:Nõn ſubſtantiá ſublatá ſubſtantia non aufertur,maior hæc propoſitio eſt.Non ſubſtantiam enim accidens appellat:nam ſi album à Socrate auferatur,Socrates ablatus non erit,omnes autem ſubſtantiæ partes ſunt ſubſtantiæ:hæc minor eſt propoſitio.Deinceps ſequitur concluſio,Partes igitur ſubſtantiæ non ſunt non ſubſtantiæ:quod idem eſt,ac ſi dicatur, ſubſtantiæ partes ſubſtantiæ ſunt.Ioannes Grammaticus hanc ratiocinationem in ſecunda figura reſoluit,Alexander uerò in prima.Partes,inquit, ſubſtantiæ ablatæ ſubſtantiam auferunt ſimul,quæ uerò ſimul auferunt ſubſtantiam,ſubſtantiæ ſunt,ſubſtantiæ igitur partes ſubſtantiæ ſunt. Deinde cùm uniuerſum pro medio termino caperet , ex minori propoſitione ratiocinationem antecedentẽ fecit.Partes ſubſtantiæ ſimul auferunt uniuerſum, quæ uniuerſum tollunt, ſubſtantiam itidem tollunt,partes igitur ſubſtantiæ ablatæ auferunt quoq; ſubſtantiam.Illud enim,Non ſubſtantia ablata,non aufertur ſubſtantia,maior ſecundæ figuræ propoſitio eſt.

Iis autem,ex quibus aliquid eſt,ſublatis,illud etiam,quod ex iis efficiebatur,corrumpi.Hoc eſt, partibus ſubſtantię ſublatis corrumpitur,& aufertur quod eſt ex iis cõcretum,uidelicet totum,hæc eſt minor antecedentis ratiocinationis propoſitio.

Nam iis poſitis.Hoc eſt,cùm maior propoſitio ſecundę figuræ ſit,& minor antecedentis ratiocinationis,hanc concluſionem inferri neceſſe eſt:Pars ſubſtantiæ ſubſtantia eſt:quod idem,atq; hoc,partes ſubſtantiæ non ſunt non ſubſtantiæ,ſignificat.Verumenimuero hæc concluſio à propoſitionibus collecta nõ fuit: hic enim non ſunt eæ propoſitiones,quę huiuſmodi concluſionem inducant,minor uidelicet propoſitio ſecundæ figuræ,Partes inquam ſubſtantiæ,ſubſtantiæ ſunt.Igitur qui maiorem ſecundę figuræ,& minorem antecedentis ratiocinationis capit,cõcluditq́; partes ſubſtantię ſunt ſubſtantiæ:colligere quidem, & ratiocinari uidetur,ſed non collegit,quia propoſitiones deiunctas accepit,quippe quę ad aliquem medium terminum non adiungantur,qui bis captus eas coniungat,ac ratiocinationem faciat.Præterea qui ait,Homo animal eſt,animal ſubſtantia,homo igitur ſubſtantia:uidetur quidem ratiocinatus eſſe,ratiocinationem tamen non compoſuit:non enim ſumptæ ſunt propoſitiones,ut diximus , ut uidelicet uel ambæ uniuerſales ſint,uel ipſarum altera:ſed utræq; particulares ſunt : nam propoſitiones indefinitæ particularibus ſunt pares,atq; à duabus particularibus nulla fit ratiocinatio.

In huiuſmodi ex eo fallimur,quòd neceſſarium quoddam ex iis,quæ poſita ſunt,efficitur : atq; eam etiam ob cauſam,quòd ratiocinatio quoq; neceſſarium eſt . Latius enim patet Neceſſarium, quàm Ratiocinatio:Omnis enim ratiocinatio neceſſarium eſt,at non omne neceſſarium ratiocinatio.Quare ſi quid poſitis quibuſdam ſequitur,non conandum eſt,ut ſtatim in formam ſuam reducatur;ſed duæ propoſitiones ſumendæ ſunt nobis prius,deinde in terminos ita diuidendę.Ponemus autem eum medium è terminis,qui in utriſq; propoſitionibus dicatur, nam ut mediũ in ambabus ſit,omnibus in figuris neceſſe eſt.Igitur ſi medium ſubiiciatur,enuncieturq́;, aut ipſum dicatur,aliudq; de eo negetur,prima figura fiet,at ſi & enuncietur,& negetur de aliquo,ſecũda componetur,ſi uerò alia de ipſo dicantur,aut hoc quidem de eo enuncietur,illud uerò negetur,poſtremam figuram fieri conſtat:nam in quacunq; figura medium ita ſe habebat.

FALLIMVR inquit in huiuſmodi,hoc eſt in ratiocinationibus non ratiocinatiuis, & putamus eas

eſſe ratiocinationes ob eam cauſam,quòd conclufio illara ex iis,quæ poſita ſunt, & ex propoſitionibus acceptis neceſſaria ſit.Hoc enim,Homo ſubſtantia eſt,neceſſarium eſt,non tamen illatum eſt ex ratiocinatiua propoſitionum coagmentatione,ſunt enim ambæ particulares:ſed ex eo,quod minor terminus, uidelicet Homo,relationem quandã habet ad Subſtantiam,& eius ſpecies eſt.Non enim propterea quòd omnis ratiocinatio neceſſariam concluſionem inducit,omne itidem neceſſarium à ratiocinatione inferri putandũ eſt:nam Neceſſarium latius ſerpit,ac manat,quàm Ratiocinatio:quoniã omnis ratiocinatio concluſionem neceſſariam concludit:at non omnis concluſio neceſſaria eſt ratiocinatio:hoc eſt, ex ratiocinatiua compoſitione propoſitionum infertur,ut in prædicta ratiocinatione factum eſt.Quare ſi cuiq; accidat neceſſariam concluſionem ex quibuſdam ſumptis propoſitionibus inferre,non ſtatim conari debet,ut eam inducat,reſoluat, ac examinet in qua figura concluſio illa cõcluſa ſit: ſed primum num à ratiocinatione fuerit illata, deinde capiendæ ſunt propoſitiones,ac in tres terminos diſtribuendæ , è quibus ille ponendus eſt medius, qui bis in utriſq; propoſitionibus accipiatur.Nam ſi maior terminus de medio, & medius de minori dicatur,ſi ambæ propoſitiones ſint aientes uniuerſales,uel ipſe medius dicatur uniuersè affirmatiuè de minori, & maior de illo medio negetur,prima figura fiet. At ſi medius terminns de una extremitate per affirmationem,de altera per negantiam enuncietur,ſecunda figura euadet.Si demum alia de medin dicuntur, uel alterum dicitur,negatur alterum,tertia figura fiet.

Ita etiam fit,licet propoſitiones uniuerſales non ſint:eſt enim eadem medii determinatio.In ea, igitur oratione, in qua idem ſæpe non dicatur , ratiocinationem non fieri clarum ex eo eſt, quod medium captum non fuit.

Si utraq; propoſitiones uniuerſales non ſint,ſed altera uniuerſalis,altera particularis ſit , eodem modo procedendum eſt:nam cùm orationem in ratiocinationibus uniuerſalibus exercuerit , & oſtenderit, quomodo medius terminus in unaquaq; figura capiatur,ita etiam ſe rem in particularibus habere demõſtrat: eadem enim eſt & definitio,& medii inuẽtio in particularibus ratiocinationibus. Medius enim in illis uel uni ſubiicitur,& in altero dicitur,uel de utriſq; enunciatur,uel utriſq; ſubiicitur.

In ea igitur oratione. Id eſt in ratiocinatione:**Idem,**id eſt medius terminus: **Sæpe non dicatur,** hoc eſt,ſi non bis capiatur,ratiocinatin non fiet,quoniam medius bis nõ aſſumitur, prout in ea ratiocinatione, Non ſubſtantia ſublata,non aufertur ſubſtantia, partibus ſubſtantiæ ſublatis totum ſimul de medio tollitur,non eſt facta ratiocinatio:quoniã medius bis ſumptus non fuit,adeo ut propoſitiones coniungerentur, & communitatem quandam haberent inter ſe:ſed cum utrę; propoſitinnes ſuum terminum habeant,qui de ſubiecto dicitur,& ob id quatuor termini fiant,deiunctæ remanſerunt.

Cum habeamus quænam quæſtio in unaquaq; figura concludatur, & in qua uniuerſalis, & in qua particularis,conſtat non ad omnes figuras,ſed ad propriam uniuſcuiuſq; propoſitæ quæſtionis ſpectandum eſſe.Figuram uerò earum , quæcunq; in multis concluduntur, ex medii collocatione cognoſcemus.

P O S T E A Q V A M reſerauit, ſi uolueris inuenire in qua figura facta ſit ratiocinatio,quæ proponitur,aut quę in antiqunrum Philoſophorum libris inuenitur,oportere te eam in propoſitiones diducere,& has in tres terminos:deinde medium inuenire,atq; ex huius collocatione exponere in qua figura concluſa ſit:ſiq; medius terminus uni ſubiiciatur,& de altero enunc ietur,primam figuram fore. Si uerò de utriſque extremitatibus dicatur,ac de altera affirmet,de altera neget,ſecũdam figuram componi. Siq; utriſq; ſubiiciatur,tertiam figuram euenturam eſſe,ſi item quandoq; deficiens ratiocinatio propoſita fuerit,propoſitionem,quæ deſit,inueniri debere,ad aliam nũc obſeruationem tranſit.Quæſtiones uocat hæc ſigna Omni Nulli Alicui Non omni.Quoniam compertum habemus in qua figura unaquæq; quæſtio concludatur: & in qua uniuerſalis,& in qua particularis inferatur,(omni enim in prima tantum figura,Nulli in prima, & ſecunda, Alicui in prima,& ſecunda, Non omni in tribus figuris concluditur.)cum proponitur ratiocinatin,non debemus in omnes figuras inſpicere,in quibus Omni fuerit illatum , ſed in primam ſubito animum intendendum eſt,& dicendùm,in prima figura concluſam eſſe ratiocinationem. Verùm ſi ratiocinatio Nulli inducat,quoniam Nulli duabus in figuris infertur,reſoluenda ea eſt in propoſitiones,propoſitioneſq́; in terminos,ac medius deinceps inueniendus,ut ex illius collocatione cognitum fiat,quanam in figura concluſa ſit ratiocinatio.Hallucinamur autem multis modis,ratiocinationemq́; in medium productam eſſe ratiocinationem arbitramur,propterea quòd neceſſariam & ueram inducat concluſionem,& propoſitiones ueræ ſint:attamẽ ratiocinatio non eſt:ut ſi quis dicat,Homo animal eſt,animal ſubſtantia eſt,homo igitur ſubſtantia eſt:nam & propoſitiones uerę ſunt,& concluſio neceſſaria,ac uera:tamen non conandum eſt,ut reſoluatur : refutatur enim tanquam ratiocinatiua non fit : quoniam dictum eſt , ex indeterminatis colligi nihil quicquam poſſe.Indeterminatæ enim particularibus ſunt ęquales,ex quibus ratiocinatin non fit:quare de hoc ſatis.

Sæpe igitur efficitur,ut in huiuſmodi ratiocinationibus ex neceſſario in errorem inducamur

ut dictum

ut dictum eſt, prius, ac ſępe etiam ex ſimilitudine collocationis terminorum, quod nos fugere nullo modo deberet. ut ſi A de B dicatur, & B de C. uideretur enim terminis ſic ſe habentibus eſſe ratiocinationem, at neq; neceſſarium quicquam efficitur, neq; ratiocinatio. Sit enim pro A ſemper eſſe, pro B Ariſtomenes cogitatione comprehenſibilis, pro C Ariſtomenes: uerum quidem eſt A ineſſe in B, quoniam Ariſtomenes cogitatione comprehēſibilis ſemper eſt. B itidem in C, nam Ariſtomenes cogitatione comprehenſibilis Ariſtomenes eſt: ſed A non ineſt in C, quoniam Ariſtomenes interitui ſubiectus eſt. Ratiocinatio igitur ex terminis ſic habentibus non fiebat, ſed oportebat, ut A B propoſitio uniuerſalis ſumeretur: hoc uerò falſum putandum erat, quod dicebat, omnem cogitatione comprehenſibilem Ariſtomenem ſemper eſſe, cùm præſertim Ariſtomenes ſit interiturus.

EVENIT perſæpe nos à ſimilitudine collocationis terminorum decipi, arbitramur enim ratiocinationem eſſe eam, quæ proponitur, cùm tamen non ſit. Etenim ſi termini aientes ponantur, & medius alteri ſubiiciatur, deq; altero enuncietur, & propoſitiones ueræ ſint, putamus id ſufficere ad ratiocinationem efficiendam: ut, Ariſtomenes cogitatione comprehenſibilis Ariſtomenes eſt, in alicuius uidelicet intelligētia, & cogitatione huiuſce cogitatio eſt: hæcq; propoſitio uera eſt. Maior quoq; uidelicet cogitatione comprehenſibilis Ariſtomenes, Species inquam cogitatione comprehēſibilis Ariſtomenis ſemper eſt: illius autem ſpecies eſt animal, rationis particeps, mortale: nam ſpecies tanquam corpore uacās, atq; etiam rationes interitui non ſunt obnoxiæ, at corpora utpote quæ materiam habeant, intereunt. Niſi autem propoſitiones ueræ ſint, concluſio falſa eſt: ut in hac, Ariſtomenes ſemper eſt, interiturus enim eſt: decipimur enim, & arbitramur hanc eſſe ratiocinationē, & falſam cōcluſionem ex ueris propoſitionibus induci, propterea quòd pręceptum quoddam, aut obſeruatio, quæ ratiocinationem conſtituebat, ſilentio ſit inuoluta: hoc eſt quia maiorem propoſitionem cum determinatione uniuerſali nō ſumpſimus: nam ſi maior uniuerſalis non eſt, ratiocinatio nulla fit. Pro eo igitur, quod dictum eſt, Cogitatione comprehenſibilis Ariſtomenes ſemper eſt, ſi dixeris, Omnis cogitatione comprehenſibilis Ariſtomenes ſemper eſt, maior propoſitio falſa erit facta, & ob eam cauſam concluſio falſa erit: non enim paruum diſcrimen eſt, ſi dicatur. Cogitatione comprehenſibilis Ariſtomenes, & Omnis cogitatione comprehenſibilis Ariſtomenes. nam hoc ſpeciem, quæ ęterna eſt, at omnis cogitatione comprehēſibilis Ariſtomenes ſingulos Ariſtomenes, qui quidem caduci ſunt, eo quod corpora ſint, declarat. Idem quoq; fit, ſi dicamus, Album color eſt, & omne albū color eſt: nam alterum ab altero diuerſum eſt, quoniam qui ait, Albū color eſt, albi ſpeciem, hoc eſt, colorem, quo uiſio noſtra diſpergitur, explanat, ac uera fatetur: qui uerò omne album colorem inquit eſſe, mentitur: ſignificat enim corpora quæ candorem habent, quæ ſanè non colores, ſed ſubſtantiæ ſunt.

Sit præterea in quo C Miccalus, in quo B muſicus Miccalus, in quo A poſtridie corruptum iri, uerū ſanè erit B de C enunciari, nam Miccalus eſt muſicus Miccalus: atq; etiam A de B, cras enim muſicus Miccalus corrumpetur. at A de C, falſum eſt. hoc enim idem eſt cum priori, quandoquidem uniuerſe uerum non eſt muſicum Miccalum poſtridie corrumpendum eſſe: quo quidem non ſumpto non erit ratiocinatio.

PONITVR Miccalus alterius exempli gratia. error propterea interuenit, & concluſio falſa fuit inducta, quoniam maior propoſitio cum uniuerſali ſigno ſumpta non fuit: ſed ponatur Miccalum muſicum poſtridie muſicam abiecturum, inq; illius obliuionem eſſe uenturum, ipſe tamen non corrumpetur. Propoſitio autem Miccalus muſicus Miccalus eſt, uera eſt, ac maior quoq; uera eſt, muſicus Miccalus poſtridie diſſoluetur, concluſio uerò Miccalus poſtridie diſſoluetur, falſa eſt. nam poſitum eſt Miccalum poſtridie non iri diſſolutum, ſed ipſius muſicen tantum, hoc eſt muſices ſcientiam. Cur falſa concluſio ex ueris propoſitionibus inferatur, id in cauſa eſt, quòd maior propoſitio ſine uniuerſali determinatione fuit accepta. Siq; rurſus ita ſumatur, Omnis muſicus Miccalus poſtridie corrumpetur, ipſa propoſitio falſa erit: & ob eam cauſam concluſio falſa fuit inducta: cùm enim dicitur, Omnes muſicos Miccalos poſtridie corrumpendos eſſe, falſum dicitur, quonium nos unum poſuimus interiturum, & muſices abiecturum ſcientiam, non tamen ipſum interiturum. Qui uerò dicit, Muſicus Miccalus poſtridie corrumpetur, muſici Miccali ſpeciem declarat, quod eſt muſica ſcientia ſeſe exercere, & uerſari, & aliquid ingenioſe inuenire, uerùm igitur dicit, qui ſpeciem, hoc eſt muſicam ſcientiam corrumpi affirmat, quatenus muſicus Miccalus ſub ea ſpecie prolatus eſt, & factus.

Fit igitur hæc fallacia, quod ferè nihil, differre uidetur, ſi id huic ineſſe, & hoc omni ineſſe conceſſerimus. Euenit enim ſæpe, ut decipiamur, propterea quòd termini in propoſitione non rectè exponuntur: ut ſi A ſit ualetudo, B morbus, C homo: uerum ſanè eſt, ſi dicatur, A nulli B ineſſe contingit, nulli enim morbo ualetudo ineſt: uerum etiam eſt, B omni C ineſſe, omnis enim homo morboſus fieri poteſt: uidebitur autem ſequi, ut nulli homini ſanitas ineſſe contingat. Mala terminorum in oratione diſpoſitio in huius rei cauſa eſt. poſtea ſi tranſumpta ea fuerint,

quæ in habitibus ſunt, ratiocinatio non erit:ut ſi pro ualetudine ualẽs, & pro ægritudine id, quod ægrum eſt, ſtatuatur. Nam uerum non erit, ſi quis dicet, ei qui ægrotat ſano eſſe non contingere. Quo non accepto ratiocinatio niſi contingentis non fiet, quoniam id ex iis non eſt, quæ fieri nullo modo poſſunt: nulli enim ualetudinem ineſſe contingit.

QVONIAM arbitramur nihil differre inter hæc, Animal ineſt homini, & Animal ineſt omni homini, plerunque in errorem inducimur. Nec enim eſt parua, ut diximus, differentia, ſi propoſitio cum determinatione, & ſine illa proferatur. Qui enim inquit, homo animal eſt, hominis ſpeciem Animal, rationis particeps, mortale oſtendit: qui uerò dicit, Omnis homo eſt animal, ſingulos homines, eſſe animalia declarat. Habitus dicitur ualetudo, ægritudo, uirtus, ex quibus homo fit horum particeps.

Euenit enim ſæpe, ut decipiamur, propterea quòd termini in propoſitione non rectè diſponuntur. id eſt, propterea quòd habitus, pro participantibus accipimus. **Verùm ſane eſt, ſi A nulli B contingere ineſſe dicatur.** Pro eo, quod dicendum erat, A nulli neceſſario ineſt: dixit, A nulli B ineſſe contingere id quod ait, quoniam eadẽ ſunt, atq; etiam quia, B, omni, C, fortuito ineſt, concluſioq́; falſa ſequi, & induci uidetur, uidelicet Valetudo nulli homini ineſſe neceſſariò contingit: quod quidem falſum eſt: nam ualetudo fortuito ab homine negatur, & remouetur. concluſio illata fuit, non ſolùm quòd habitudines captæ ſunt ſed etiam quod concluſio maiorem ſequitur propoſitionem.

Poſtea ſi tranſumpta ea fuerint, quę in habitibus ſunt. Hoc eſt, ſi habitus in habentes, & participantes commutentur, non erit ratiocinatio: hoc eſt concluſio non neceſſaria, ſed contingens inducitur. Valens & imbecillum dicitur animal, aut homo, quoniam ea ſuſcipere poſſunt. Valens, hoc eſt capax ualetudinis nulli homini ægrotanti fortuito ineſt. homo autem ægrotans ſanitatis capax eſt, non quatenus ægrotat, ſed quantum homo eſt: habilitatem enim habet & bonam, & aduerſam ualetudinem ſuſcipiendi.

Nam uerum non erit, ſi quis dicat ei, qui ægrotat, ſano eſſe non contingere. Hoc eſt, falſum eſt, ſi dicatur beneualere nulli ægrotanti ex neceſsitate ineſſe: nam Contingit beneualere, ab ægro remouetur.

Quo non accepto. Hoc eſt propoſitione maiori non neceſſaria ſumpta, ſed contingenti, ratiocinatio neceſſaria non fit: concluſio inquam non neceſſaria, ſed contingens infertur.

Quoniam id ex iis non eſt, quæ fieri nullo modo poſſunt. Hoc eſt, concluſionem cõtingentem induci cum maior propoſitio contingens ſit, ex iis non eſt, quæ fieri non queunt. Bona ualetudo enim nulli homini fortuito ineſt: nam & omni. m, & nullum hominem bene ualere contingit.

Media itidem in figura ſimili modo falſitas erit. ualetudinem enim nulli morbo, & omni homini ineſſe cõtingat: ita fit, ut ægritudo nulli homini inſit. At in tertia in contingenti falſum accidit. nam & ſanitatem, & ægritudinem, & ſcientiam, & ignorantiam, atq; adeo ipſa contraria omni eidem ineſſe poſſunt: at ſibi inter ſe non queunt, Hoc autem in prædictis conceſſum erat: quando enim multa eidem ineſſe contingebat, inter ſe quoq; contingebat. Conſtat igitur in omnibus iis fallaciam fieri ex terminorum expoſitione. nam ſi ea, quæ ad habitus pertinent, tranſſumantur, nihil falſum fit. Igitur in huiuſmodi propoſitionibus ſemper quod ad habitum ſpectat, pro habitu ſumendum: idq; terminum ponendum eſſe, nemo ſit qui ignoret.

SECVNDA inquit in figura haud ſecus falſum eſt, uidelicet concluſio falſa inducitur, propterea quod habitus pro iis, quæ habentur, accipiuntur: nam ſi ualetudo nulli morbo ex neceſsitate, omni uerò homini fortuito ineſt, & ſi propoſitiones ueræ ſint, concluſio falſa erit: Morbus uidelicet nulli homini ex neceſsitate ineſt: nam morbus fortuito ab homine remouetur. Verùm ſi habitus in habita commutentur, fient duę propoſitiones cõtingentes, & concluſio itidem contingens euadet. In tertia figura falſum in contingenti concluditur, ſi habitus accipias eorum, quæ habentur, loco. Illud uerò, In contingenti: ita intelligendum eſt: non adeo ut concluſio falſa ſit, uidelicet bona ualetudo non omni ægritudini ex neceſsitate (hoc enim uerum eſt) ſed ut cùm duę propoſitiones contingentes ſint, concluſionem quoq; non neceſſariã, ſed contingentem eſſe oporteat.

Hoc autem in prædictis conceſſum erat. Hoc eſt, patet ex iis, quæ diximus de uno, & eodem ſubiecto duos terminos enunciari. Semper enim quod ad habitũ ſpectat, hoc eſt participans, pro habitu capiendum eſt, & pro termino ſtatuendum.

Non ſemper inquirere debemus, ut nomine terminos exponamus: ſæpe enim erunt orationes, quibus nomina non ponuntur, id quod etiam difficultatem affert ad eiuſmodi ratiocinationes reducendas. Accidet nonnunquam, ut propter talem inquiſitionem hallucinemur, ut ratiocinatio eorum ſit, quæ medio uacant: ſit enim A duo recti anguli, B triangulum, C æquis cruribus conſtans: igitur A ineſt C per B, at non inerit B alterius auxilio, triangulum enim per ſe duos rectos angulos habet, quare non erit medium A B, etſi demonſtrari poſſit. Perſp

ſit. Perſpicuum igitur eſt medium non ſemper ita, ut hoc aliquid, ſed quandoq; ut orationem ſumendum eſſe, prout in eo, quod modo dictum eſt, accidit.

ALIVD præceptũ tradit, quod nobis in reſolutionem adiumentũ præſtat. Cùm, inquit, ratiocinationem in propoſitiones, haſq; in terminos reſoluis, ne coneris terminos per nomina exponere, atq; interpretari: ſunt enim quidã termini, quibus ueteres nomina non impoſuerunt, uel quòd non potuerint illis nomina tribuere, uel quòd hoc agere non ſtuduerint. Huiuſmodi igitur termini, quibus nomina non ſunt, per orationẽ à nobis declarantur. Terminus uel per nomen ſignificatur, ut Homo: Nomen enim eſt, quod una dictione terminũ ſignificat: ut ſi accipias terminos Hominẽ, Animal, Subſtantiã: hi termini per tria nomina fiunt manifeſti, uel per orationẽ. Vt ſi A iram, C hominẽ, B uidelicet medium terminum, non per nomen, ſed per orationẽ, uelut ultionis appetitionem ſignificaueris. Oratio enim eſt, quãdo terminũ non per unam dictionem, ſed per plures ſignificamus. Quapropter has ratiocinationes, quæ non per nomen, ſed per orationem terminos habent, ei difficile erit reducere, ac reſoluere, qui terminos ſemper ex nominibus explicare uoluerit. E propoſitionibus aliæ Medio uacant, aliæ Mediũ habẽt. Sine medio eſt, uelut hæc, Corpus ſubſtantia eſt: quæ quidẽ demonſtrari non poteſt, de qua inquam nihil poſſumus ratiocinari, cùm non queamus mediũ corporis, & ſubſtantiæ pro medio termino cõſtituere, cuius ope ratiocinationẽ efficientes corpus ſubſtantiã eſſe demonſtremus. & ob eam cauſam Medio uacans, appellatur. Propoſitio mediũ habens eſt, ueluti Homo animal eſt: quæ etiam Demonſtratiua dicitur: poſſumus enim medium terminum Rationis particeps, accipere, deinde argumẽtari: Homo rationis particeps eſt, rationis particeps, animal, homo igitur animal eſt. Quibus quidẽ fit rebus, ut non immerito Demõſtratiua, & Ratiocinatiua propoſitio appelletur. Qui igitur quærunt mediũ terminũ per nomina ſemper exponere, plerũq; falluntur, & propoſitionẽ, quæ medio caret, ratiocinationẽ, ac demonſtrationem fieri putant, propterea quòd medium terminũ per orationem declarant, ut hoc exemplo perſpicuum, & planum fiet: Iſoſceles triangulum eſt, tres anguli trianguli duobus rectis æquales ſunt, tres igitur anguli Iſoſcelis duobus rectis ſunt æquales.

Igitur A ineſt C, A ineſſe in C per medium B, hoc eſt trianguli, demonſtrat: at A hoc eſt tres angulos duobus rectis æquales eſſe, ipſi B ineſſe, id eſt triangulo, non amplius per alia media (id enim pro maiori propoſitione ſumptum eſt) demonſtrare queunt ii, qui ſemper quærunt, ut terminos per nomina interpretentur, quoniam non inueniunt medium terminum à nomine declaratum: & eam propoſitionem non demonſtratiuam, & ſine medio aiunt eſſe, hancq; demonſtratiuam. Poſſumus enim medium terminum accipere orationem, duos uidelicet ſequentibus æquales eſſe, & hoc pacto argumentari: Tres anguli trianguli duobus ſequentibus ſunt æquales, duo ſequentes duobus rectis æquales ſunt: igitur tres anguli trianguli duobus rectis ſunt æquales: nam triangulum per ſe duos rectos habet. Clarum eſt etiam, eos, qui medium per nomina exponere ſtudent, arbitrari triangulum tres angulos duobus rectis æquales habere, idq; non per media alicuius, ſed ipſum per ſeſe.

Perſpicuum igitur eſt medium non ſemper ita, ut hoc aliquid. Hoc eſt, ut nomen, ſed ſæpe capere medium per orationem debemus. ut in exemplo allato factum eſt.

Primum medio, & hoc poſtremo ineſſe capiendum non eſt, ut ſemper de ſe uiciſsim enuncientur. Similiter primum de medio, & hoc de poſtremo. Eodem etiam modo in eo, quod non ineſt: ſed quoties hoc eſſe dicitur, & uerum ſit idem ipſum dicere, toties putandum eſt, ſignificare ipſum ineſſe: ut contrariorum una ſcientia eſt. Sit enim A unam eſſe ſcientiam, inter ſe contraria B, A igitur ineſt B, non ut contraria huic unam eſſe eorundem ſcientiam, ſed quoniã uerum eſt, ſi dicatur, unam eorundem ſcientiam eſſe.

ALIAM etiam obſeruationem nobis obſeruandam profert, Termini, inquit, coniuncti non ſemper per rectum caſum coniunguntur, ſed ſæpe per alios caſus: ut, Socrates bonus eſt, uel Socratem philoſophantem nos audiamus oportet, uel Socratem in iudicium uocauit Aoytus, uel Socratem uerberare contingit. Per caſum tamen Vocantem propoſitio non exponitur: quoniam is caſus orationi enuncianti incommodus eſt, atq; inutilis. Rectus autem caſus, qui Nominatiuus appellatur, à nomino nomẽ accepit, uel ob eam cauſam, quòd per ipſum unamquaoq; rem nominemus, & appellemus, id quod in aliis ſane caſibus facere prohibemur. Fit eodem modo in propoſitionibus negantibus, quæ noo per rectum ſolùm, ſed etiam alios caſus efferuntur: ut, Nullus homo inanimatus eſt: uel, Contrariorum non eſt cognitio: aut, Subſtantiæ nihil aduerſatur: aut, Virum bonum nihil poteſt offendere.

Primum medio. Hoc eſt, Maiorem terminum ineſſe medio, huncq; minori extremitati. Termini ita ſumendi oon ſunt, ut ſemper inter ſe per rectum dicantur: nam ſæpe & per ſecundum, & per reliquos caſus, ut diximus, enunciantur.

Similiter. Hoc eſt, Neq; duæ propoſitiones ſimiliter efferuntur, per rectum inquam caſum, aut per obliquum: ſed plerũq; propoſitionum altera per rectum, altera per primum obliquum pronunciatur.

Eodem etiam modo in eo, quod non ineſt. Hoc eſt, In negantibus ratiocinationibus haud ſecus, ac dixi, facimus, ut altera propoſitio per rectum, altera per ſecundum caſum proferatur.

Sed quoties hoc eſſe dicitur. Quoties uidelicet unumquodq; eorum, quæ ſunt, ſiue ſubſtãtia ſit, ſiue quantum, aut quale, aut eorum aliquid aliud, per caſus nominum effertur.

Et uerum ſit. Hoc eſt, Si uerè dicatur, ut, Socrates ſubſtantia eſt: item ſi dixeris, Qualitatis ſcientia eſt, uerum dixeris per ſecũdum caſum. at ſi dixeris, Qualitas ſcientia eſt, in recto caſu, non uera fateris: ac quoties id ita fit, toties propoſitiones efferuntur.

A igitur ineſt B. Hoc eſt, Ipſorum contrariorum unam eſſe ſcientiam, ſi per ſecundum caſum loqueris, uera dices.

Non ut contraria. Si, inquit, per rectum dices Cõtraria ſunt ſcientia: Scientia enim non eſt natura contrariorũ, ſed ea eſt contrariorũ natura, ut ſe mutuo interitu afficiant, uel ut inter ſe differant plurimum: ut, Sanitas, & Aegritudo. Contraria igitur per rectum caſum dicenda non ſunt: uelut ſi diceremus, Contraria ſunt ſcientia: at uerum dicetur, ſi ita per ſecundum caſum pronuncientur, Contrariorum una ſcientia eſt.

Euenit nonnunquam, ut primum de medio, at medium de tertio non dicatur: ut Sapientia eſt ſcientia, ſapientia eſt boni ſcientia, concludetur, boni ſcientia eſt: atqui bonum non eſt ſcientia, ſapientia autem eſt ſcientia. Ac quandoq; etiam medium de tertio, primumq; de medio nõ dicitur: ut ſi omnis Qualis, aut contrarii ſcientia eſt, Bonum autem & Contrarium eſt, & Quale, concludetur, boni ſcientia eſt. nam nec Bonum, nec Quale, neq; Contrarium ſcientia eſt: ſed hæc bonum eſt. Fit etiam, ut primum neq; de medio, neq; hoc de tertio dicatur, cùm præſertim primũ de tertio quandoq; dicatur, & quandoq; non dicatur: ut, Si cuius ſciencia eſt, eius etiam genus ſit, & boni ſit ſcientia, boni eſſe genus concludetur. Nihil autem de nullo enunciatur. Si uerò cuius eſt ſcientia, hoc genus eſt, boni non ſit ſcientia, concluſio erit, bonum eſſe genus. Primum igitur de extremo dicitur, at mutuò de ſeſe haudquaquam enunciantur.

VNA de propoſitione uetba cùm fecerit, de duabus nunc facit. Efficitur nonnunquam, ut primum per rectum de medio, & medium de tertio, hoc eſt minori termino non per rectum, ſed per ſecundum caſum dicatur. Termini ſint Scientia, Sapientia, Bonum. igitur & qui in recto caſu dicit, Sapientia ſcientia eſt, uerum dicit: & qui Boni ſapientia eſt dixerit, uera fatebitur. Adiunxit autem ſcientiam ad ſapientiam, quoniam incertum erat, nec ſatis liquebat, cùm diceretur, Boni ſapientia eſt. Volens igitur minorem propoſitionem claram facere, & apertam ſcientiam addidit. Ex quo manifeſtum eſt Sapientiam, & Scientiam eadem eſſe, adeo ut ſi dicatur, Boni ſapientia eſt, nihil aliud dicatur, præterquam Boni ſcientia eſt: ipſa quoq; concluſio per ſecundum caſum effertur, Boni uidelicet ſcientia eſt.

Bonum non eſt ſcientia. Hoc eſt, non proferimus concluſionem per rectum caſum, hoc pacto, Bonum ſcientia eſt: poſt enim illum Non eſt, extrinſecus ſubaudiendum eſt, dicendum. Quandoq; autem medius de tertio in recto caſu pronunciatur, primum uero de medio non per rectum, ſed per ſecundum dicitur caſum, ut Bonum quale eſt, qualis ſcientia eſt, boni igitur ſcientia eſt: uel, Bonum contrarium eſt, contrarium enim eſt malo, contrarii uerò ſcientia eſt, boni igitur eſt ſcientia.

Nam nec bonum, nec quale, neq; contrarium ſcientia eſt. Cùm inquit, Nec bonum: ſignificat concluſionem per rectum caſum non eſſe efferendam: cum addit, Nec quale, neq; contrarium: propoſitionem maiorem per rectum nullo modo proferri debere declarat, ut Quale ſcientia eſt, uel Contrarium ſcientia eſt: uerùm hæc per ſecundum caſum ita ſunt dicenda Qualis, uel contrarii ſcientia eſt.

Sed hæc bonum eſt. Hoc eſt, Sed minor propoſitio per rectum effertur: ut, Bonum eſt hæc, hoc eſt, uel quale, uel contrarium.

Fit etiam, ut neq; primum de medio, neq; medium de tertio dicatur. De tertio uidelicet de concluſione, cùm præſertim per rectum, & non per rectum, ſed per ſecundum caſum dicatur. Id cuius ſcientia eſt, par eſt ei quod ſcitur: boni ſcientia eſt, cuius uerò ſciti ſcientia eſt, huius eſt genus, boni igitur eſt genus. De hoc & propoſitiones, & concluſio per ſecundum caſum ſunt illatæ. Præterea, Boni eſt ſcientia, cuius autem eſt ſcientia, huius eſt & genus, bonum igitur huius genus eſt. De quo propoſitiones in ſecundo caſu, concluſio autem per rectum ſunt prolatæ.

Nihil autem de nullo enunciatur. Hoc eſt, neque propoſitiones, neque concluſio, per rectum caſum efferuntur.

Primum igitur de extremo. Hoc eſt, Per rectum caſum concluſio fuit inducta.

At mutuo de ſeſe haudquaquam enuntiantur. Hoc eſt, Propoſitiones non per rectum, ſed per ſecundum caſum efferuntur.

Eodem modo in eo, quod non ineſt ſumendum eſt. Id enim, Hoc huic non ineſſe, non ſemper, hoc non eſſe hoc, ſignificat, ſed quandoque non eſſe hoc huius, uel hoc huic; ut, non eſt motionis motio, uel generationis ortus, at uoluptatis eſt, non igitur uoluptas ortus eſt. Vel riſus eſt ſignum, ſigni autem non eſt ſignum, non igitur ſignum riſus. In aliis itidem, in quibus quæſtio infirmatur, eo quod genus aliquo modo ad ipſam dicatur. Præterea, Occaſio nõ eſt tempus opportunum, deo enim occaſio eſt, & tempus opportunum non eſt, eo quod deo

nihil

DECLARANDVM eſt,quod diximus in negantibus ratiocinationibus,cùm præſertim in aientibus ſit declaratum.Quod igitur inquit, Id enim,hoc huic non ineſſe,non ſemper hoc non eſſe hoc,ſignificat, nobis declarat, negantem propoſitionem ſignificare hoc non eſſe hoc : per rectum uidelicet non proferri, ſed quandoque per ſecundum caſum , hoc huius eſſe, ut definitionum demonſtratio dari nequit, uel repugnantiæ nihil intermedium eſt.   Vel hoc huic : hoc eſt, per dandi caſum , ut ſubſtantiæ , nihil eſt contrarium. At hæc , Non eſt motionis motio , & generationis ortus : exempli ſumpta ſunt gratia:quæ cùm de eis dubitandum non ſit,quippe quæ in quæſtionem duci non poſsint,magis ad uiuum reſecare non debemus.

Vel riſus eſt ſignum. riſus eſt ſignum cuiuſdam affectionis,quę intus in anima eſt,uoluptatis inquam ſignum eſt,& hilaritatis.at labra aperire,& claudere, & quidam inſuper ſtrepitus riſus ſignum non eſt, ſed eſt ipſa ridendi materia:ex iis enim riſus conſtituitur. Signi autem ſignum eſt flamma,fax,ſcilicet quædã belli ſignum eſt,flammæq; ſignum eſt fumus.

In aliis itidem,in quibus quæſtio infirmatur.Hoc eſt,In aliis figuris,in quibus negans concluſio infertur,ut in ſecunda figura fit.In numero multitudinis dixit,in aliis figuris,animũ ad ſecundæ figuræ modos cum aduerteret:ac merito medium terminũ in ea ipſa media figura genus appellauit,uel hanc ob cauſam,quòd magis pateat,quàm utraq; extrema. At cùm diceret,Eo,quòd genus aliquo modo ad ipſam dicatur : ſignificauit in ſecunda figura medium terminum,uel per rectum de utriſq; extremis enunciari, uel per ſecũdum caſum,uel de altero per rectum, de altero per obliquum.   Nonnulli occaſionem ita definiunt,Occaſio eſt tempus opportunum.id quod in tertia figura hoc pacto refellitur, & confutatur. Deo eſt occaſio, ipſe enim omnia in occaſione facit : Deo tempus opportunum non eſt,(Opportunum tempus appello,à quo,cum quis illius particeps eſt,emolumẽtum capit:nam qui aliquid efficere uult,idoneam occaſionem ſibi offerri ſtudet , in qua id commode conficiat , ne à fine fruſtretur ſuo) at Deo nihil utile eſt, omnium enim eſt non indigens:concluſio erit,Non igitur occaſio tempus opportunum eſt.

Propoſitio in nominis caſu eſt aſſumenda:hoc enim abſolutè de omnibus dicimus, Terminos ſecundum nominum appellationes ſemper ponendos eſſe:ut, Homo, uel bonum, aut contraria: Non hominis,uel boni,aut contrariorum.Propoſitiones ex uniuſcuiuſq; caſu capiamus oportet: aut enim quoniam huic,ut æquale,aut huius,ut duplum,aut hoc,ut uerberans,aut uidẽs,aut hic, ut homo,animal,aut quocunq; alio modo nomen in propoſitionem cadit.   Ineſſe autẽ hoc huic, & hoc uerè de hoc dici,tot ſumẽdum eſt modis, quot decem ſumma genera diſtribuuntur:hæcq; aut aliqua ex parte,aut abſolutè.ſimplicia item,aut coniuncta.conſimiliter non ineſſe.ſunt autem hæc melius conſideranda,& accuratius diſtinguenda.

SVMENDA, inquit,eſt propoſitio in nominis caſu,hoc eſt in dandi caſu. Ad ſummã, id de omnibus dictum uolumus,terminos ex nominum declinatione,hoc eſt ex recta ſumendos eſſe.Rectam uocat declinationem,atq; appellationem,quoniam unumquodq; eorum,quæ ſunt,in ea nominatur.

Propoſitiones ex uniuſcuiuſq; caſu capiamus oportet.Poſtquam terminos coniunximus adeo,ut propoſitiones ex iis fiant,per aliquem caſum,ſecundum ſcilicet,aut tertium,& non ſemper per rectum copulandæ ſunt:ut,Aequale æquali eſt æquale:uel,Dimidii duplũ eſt : uel,Percutiens eum,qui uapulat,uerberibus cædit:uel,Videns conſpectum cernit.

Aut quocunq; alio modo.Hoc dictum eſt,quòd ſæpenumero uerbis pro ſubiectis utimur : ut,Philoſophari bonum eſt:nam infinita uerborum nomina appellantur,quod eis articulus adiungatur.

Ineſſe autem hoc huic,hoc eſt,Hunc terminum de hoc dici,& propoſitionem efficere.

Et hoc uerè de hoc dici.Videlicet,enunciationes,& propoſitiones ueras fieri.

Quot decem ſumma genera diſtribuuntur. Decẽ prima genera ſunt Subſtãtia, Quantũ,& reliqua: quæ quot modis dicuntur,tot etiã de propoſitionibus efferuntur:nam uel duo termini ex eodẽ genere capiũtur,alter qui ſubiicitur,alter qui enũciatur:ut, Socrates eſt ſubſtãtia:aut,Homo animal eſt:utriq; enim termini ex ſubſtantia ſunt capti.At Numerus,qui Quantum deiunctũ eſt,à quanto duos terminos habet. Album autẽ color eſt ex Quali.Pater uerò cauſa eſt ex iis,quæ Cum aliquo cõparantur. Vel alter terminus ab uno genere,alter ab alio:ut,Socrates albus eſt:Socrates à ſubſtantia,albus à Quali.Tribus uerò cubitis conſtans de Socrate dictum ex quanto habetur. Socrates autem pater eſt,ex iis,quæ ſub eandem rationem cadũt,habet terminum,qui de ſubiecto dicitur. Et terminorum,ex quibus propoſitiones fiunt,nexus aut aliqua ex parte,aut abſolutè capiuntur. Aliqua ex parte,cùm ſpecies de ſubiecto enunciabitur : ut Socrates albus eſt:Abſolutè,cùm genus de ſubiecto dicetur,ut Socrates coloratus eſt. Vel ſubſtantia qualitate informata eſt,aut Socrates incrementum cœpit:at negando nulla ſubſtantia qualitas eſt.

Aliqua ex parte. Ita intelligendum eſt , quaſi dicatur , fortuito , quod uidelicet à ſe non inſit , neque ſubſtantiam attingat , ſed aduentitium ſit : ut , Socrates albus eſt : nam Album ipſius naturam non demonſtrat : cùm enim id , quod dicitur , ſubiecti uim , & naturam conſtituit , tum dicitur abſolutè enunciari : ut , Homo animal eſt.

Simplicia item,aut coniuncta. Tunc Simplex eſt enunciatio , cùm unus tantum terminus eſt , qui enuncietur,

enuncietur,ut Socrates homo,uel Olor albus:Coniuncta,cùm duo termini enunciantes capiuntur:ut, Socrates corpus album habet:uel,Socrates pater bonus eſt. Corpus quantum eſt, utpote tribus è dimenſionibus factum. Negantes quoq; propoſitiones,uel Simplices ſunt,uel Copulatæ.

Sunt autem hæc melius conſideranda,& accuratius diſtinguenda. Hoc eſt,aperienda,& exponenda,ac illuſtriora,dilucidioraq́; efficienda:niſi fortaſſe per reuerentiam,ac modeſtiam id Philoſophus dixerit,ueluti ſi moderatè de ſe loquens, ſeq́; humilem,& ſubmiſſum oſtendens,& ne quid nimis tentans, perinde loquatur,ac ſi diceret,Quæ nunc ego ſic doceo,alius diligẽtius docebit,uel ut auditores excitet,& hortetur,ne ſolum iis,quæ declarata fuerunt,contenti ſint,ſed ad maiora inuenienda feſtinanter accelerent.

Duplicatum in propoſitionibus ad primam extremitatem, non ad medium ponendum eſt: Si inquam ratiocinatio fiat, Iuſtitiæ eſt ſcientia, quia bonum eſt: illud Quia bonum, uel Quatenus bonum, ad primam extremitatem eſt adiungendum: ſit enim A ſcientia, quia bonum; in quo B quia bonum, in quo C iuſtitia. A igitur uerè de B dicitur. boni enim ſcientia eſt,quia bonum: ſed & B de C, nam iuſtitia bonum eſt. Hoc igitur pacto reſolutio fit. Si autẽ ad B quia bonum,ponatur,non erit. A enim de B uerum erit: at B de C uerum non erit: nam Bonũ quia bonum de iuſtitia enunciari falſum eſt,abhorretq́;,& abſurdum eſt. uno, eodemq́; modo, ſi ſalubre quatenus bonum eſſe comprehenſibile,uel hircoceruum,qua non eſt, uel hominem corrumpi,quia ſenſum habeat,oſtendatur,in iis omnibus,quæ inſuper enunciantur,geminatio ad extremitatem eſt adiungenda.

DVPLICATIO eſt eiuſdem termini bis in eadem propoſitione acceptio: hocq́; aliud præceptũ eſt. Cùm enim inueniuntur ratiocinationes,quæ propoſitiones habent,in quibus termini bis aſſumuntur,terminus ille, qui bis in propoſitione accipitur, in concluſione etiam inuenietur. Docet igitur, quomodo has ratiocinationes reſoluere debeamus, atque quonam in termino ille bis captus terminus debeat poni, ut in concluſione itidem cõperiatur. Si,inquit,huiuſmodi terminus in maioris propoſitionis termino, qui enunciatur,poſitus eſt,in concluſione quoq; inuenietur.

Nam iuſtitia bonum eſt. Hoc eſt, ſub bonum, quod genus eſt, reducitur. Si uerò medius terminus ponatur, quia bonum, uidelicet per iterationem, minor propoſitio uera non erit. nam bonum, quia bonum eſt, ſi de iuſtitia dicatur, & falſum erit, & obſcurum. Ineptum enim, & ridiculum foret, ſi quis iuſtitiam bonam eſſe diceret, quia bona ſit: non ſecus, ac riſum mouere ſolet is, qui ait, Socrates homo eſt, quia homo eſt. Mentietur igitur, ſiquis aiat, Iuſtitia bona eſt, quia bona eſt: tanquam ſola iuſtitia de numero bonorum eſſet,cùm præſertim alia quoque bona ſint, prout Prudentia, Temperantia,Fortitudo.

Vel hircoceruus. Deeſt opinabilis.hircoceruus enim opinabilis eſt, quatenus non eſt, non quatenus eſt.Ea enim,quæ ſunt,eſſe opinamur:at hircoceruum non eſſe,nobis & opinio eſt,& cognitio.

Eadem terminorum collocatio non eſt,cum abſolutè quippiam,& cum hoc aliquid aut quadã ex parte,aut quodam modo ratiocinatione colligitur. Dico autem,ut cùm Bonum comprehenſibile eſſe demonſtratur,& Comprehenſibile quiddam, quia bonum. Verùm ſi abſolutè comprehenſibile eſſe oſtenſum ſit,medium ponẽdum eſt id,quod eſt. Si autem comprehẽſibile eſſe, quia bonum eſt,demõſtretur,aliquid,quod ſit,pro medio ſtatuere debemus. Sit enim A ſcientia, quia eſt quoddam,quod ſit: in quo autem B quiddam, quod ſit, & in quo C bonum. Verum igitur eſt A de B dici,erat enim ſcientia cuiuſdam, quod eſt, quia erat quippiam. Sed & B de C dicitur: C enim quoddam,quod eſt,erat: quare & A de C dicetur. Erit ergo Scientia boni ſcientia, quoniam aliquid bonum ſit: nam quoddam,quod eſt,erat,propriæ ſubſtantiæ ſignum. At ſi id, quod eſt,medium poſitum ſit: & ad extremum id quod eſt abſolutè, & non quiddam, quod eſt, dictum ſit:non erit ratiocinatio ſcientiam boni eſſe,quia ſit bonum,ſed quia eſt id,quod eſt:ut,in A ſcientia,quia eſt,in B id quod eſt,in C bonum. Terminos igitur in particularibus ratiocinationibus ita ſumendos eſſe liquido patet.

ALIAM affert obſeruationem,quæ ad reſolutionẽ utilis eſt. nam ſi aliquid uolumus in ratiocinationem adducere aut abſolutè,id eſt uniuerſè,aut hoc aliquid id eſt,in parte,termini ſimiliter pariq́; modo capiendi non ſunt. Hoc uerò, Quadam ex parte,aut quo modo, ita intelligendum eſt,quaſi particulare dicatur. Id dico,quia ſi Bonũ eſſe comprehenſibile,quia ſit id quod eſt,demonſtrare uoluero,huiuſmodi controuerſiam fore uniuerſalem conſtat:& terminos uniuerſales accipere debemus,ut id,quod eſt, medius terminus conſtituatur,ac maior,ſcientia,quia ſit id quod eſt,cuius,eius inquam,quod eſt,beneficio ita erit argumentandum. Bonum eſt id,quod eſt,id eſt ſub id,quod eſt,hoc eſt ſub qualitate conſtituitur. Cum enim ea,quæ ſunt,decem ſint,Subſtãtia,Quantum,Quale,& reliqua, bonũ ſub Quali collocatur: Scientia & cognitio eius quod eſt, eſt ut ſit, boni igitur ſcientia eſt, quoniam id quod eſt,eſt. Hoc enim patet, quoniam quæro non de boni natura, utrum uidelicet natura boni utilis, an expetenda ſit: ſed de bono, ut eo, quod

fit,id

ſit, id eſt tanquam Quali. At ſi quæſtio erit bonum eſſe comprehenſibile quiddam, quia quoddam bonũ, medium terminum id, quod eſt, ponere, ac dicere debebimus, Bonum eſt quoddam, quod eſt, utile uidelicet, expetendum, alicuius autem, quod eſt, cognitio eſt, quia quiddam, quod eſt, ſit, utile ſcilicet, bonum igitur, & ſcientia eſt, & cognitio, quia quoddam, quod eſt, ſit boni inquam ſubſtantia quoddam eſt, quod eſt. Vtilis inquam eſt boni uis, & natura, atque optabilis. Si autem comprehenſibile eſſe, quia bonum eſt. Hoc eſt, ſi demonſtraturus ſum bonum ſciri poſſe, quia bonum, uidelicet tanquam bonum quoddam ſit: deeſt comprehenſibile, quoddam, quod ſit, pro medio ponatur: nam in quo C, id eſt bonum aliquid eſt, quod eſt, uidelicet utile, aliquid igitur, quod eſt, boni naturam explanat. boni enim uis eſt, ut ſcilicet quoddam, quod eſt, utile ſit.

In iis, quæ eandem habent uim, nomina pro nominibus, orationes autẽ pro orationibus, ac nomen atque orationem commutare debemus, ſemperq́; pro oratione nomen ſumendum eſt: hoc enim modo terminorum expoſitio facilior eſt. ut ſi nihil differat, ſi id quod ſuſpicione attingitur, opinabilis genus non eſſe, aut non idem eſſe id, quod ſuſpicione aſſequimur, cum opinabile dicamus (quod enim ſignificatur, idem eſt) loco prædictæ orationis id, quod ſuſpicamur, & opinabile terminos ſumendum eſt.

HOC præterea præceptum eſt, cùm ſæpe contẽdimus terminorum explanationem aſſequi, occultum in manifeſtum commutandum eſt, orationemq́; pro oratione uſurpare debemus: ceu ſiquis uirtutem per ſe efficientem animæ partem diceret, poſſet clarius id ipſum explicare, ſi ita loqueretur, Virtus actio eſt, unicuiq; animæ partium conueniens. Vel pro oratione nomen capiẽdum eſt, ut, Homo non eſt quoddam animal: illud Quoddam animal, ſignificat generale animal, quod cùm obſcurum ſit, ita dicetur, Homo non eſt genus, quod idem eſt, atq; animal rationis compos eſt. Vel pro eo, quod dicimus, Socrates eſt animal rectè ambulans, dicatur nomen, Socrates homo eſt. Nomen quoque pro nomine dicendum eſt, ut ſi dicturus ſis, Iuſtitia frugifera, dicas utilem eſſe, uel conferentem. Vel pro oratione nomen, ut pro eo, quod dicimus, Opinabile non eſt idem cum eo, quod ſuſpicamur: id eſt, ut id, quod ſuſpicamur ad genus reducitur, dicito id, quod ſuſpicamur, non eſt opinabile. Vel nomen in orationem commutare debemus: ut loco huius, Bonum appetendum eſt, dicatur Omnibus deſiderandum. Ac nomen, atq; orationem. Hoc eſt, & nomẽ pro oratione, & oratio pro nomine ponantur: ſemper enim nomen pro oratione capiendum eſt: nam ſi pro terminis nomina ſumpſeris, facilior erit terminorum expoſitio.

Quoniam idem non eſt, Voluptatem eſſe bonam, & Voluptatem eſſe ipſum bonum, termini ſimiliter ponendi non ſunt: ſed ſi ratiocinatio ſit, Voluptatem ipſum bonum eſſe, pro termino ponendum eſt ipſum bonum: at ſi ratiocinatio fuerit, Bonam eſſe uoluptatem, bonum pro termino conſtituatur. In aliis quoq; eodem fit modo. Idem enim non eſt neceſſe, nec dicere cui B inſit, ei omni A ineſſe, & cui omni B inſit, A itidem omni ineſſe: nihil enim impedimento eſt, quin B ipſi C inſit, at non omni: ut, ſit B aliquid, quod pulchrum ſit, C album: igitur ſi quod pulchrum eſt, alicui albo ineſt, uerum erit, ſi pulchrum ineſſe dixerimus, ſed fortaſſe non omni. Si igitur A ineſt B, ſed nõ omni, de quo B dicitur, neq; ſi B omni C, neq; ſi ſolum alicui ineſt, A non modo non omni, ſed ne ineſſe quidem neceſſe eſt. Verùm ſi de quocunq; B uere dicatur, huic omní A inerit, efficietur, ut A, de quo omni B dicitur, de eo omni dicatur. Si uerò A de omni eo dicatur, de quo B dicitur, nihil prohibebit, quo minus B ipſi C inſit: ipſumq; A non omni, aut omnino non inſit. In tribus itaq; terminis perſpicuum eſt, A dici de eo, de quo omni B dicitur: hoc eſt, de quocunq; B dicatur, A de omnibus dici: atq; ſi B de omní, A quoq; itidem faciet: at ſi non de omni, A de omni dici nequaquàm neceſſe eſt.

AD reſolutionem itidem hoc præceptum facit. Paruum diſcrimen exiſtimandum non eſt, ſi dicatur, Voluptas bonum eſt, & Voluptas ipſum bonum eſt: nam qui ſine articulo uoluptatem eſſe bonum dixerit, hanc quoddam eſſe bonum, utile uidelicet, indicauerit: at qui addito articulo uoluptatem ipſum bonũ eſſe affirmauerit, illam ipſam propriè bonum eſſe clarum fecerit. Ita fit, ut ſi collecturus in ratiocinationẽ ſis, & demonſtraturus, Voluptatem eſſe ipſum bonum, ponendum ſit bonum cum pronomine in termino maiori, poſtea dicendum, Voluptas naturalis actio eſt, omnis naturalis actio ipſum bonum eſt, uoluptas igitur ipſum bonum eſt.

At ſi ratiocinatio fuerit, bonum eſſe. Si demonſtraturus es, inquit, uoluptatem bonum eſſe, in maiori termino bonum abſq; articulo eſt collocandum.

Idem autem non eſt nec eſſe, nec dicere. Quoniam ſæpenumero complures antiquorum, uel eorum etiam, qui diſputant, duas propoſitiones non proferunt, ſed minore dicta concluſionem inducunt, nos docet, quomodo & eas & ratiocinationes reſoluamus, & quomodo termini ſe habere debeant, ut bene ſint collocati, & quonam ſe habeant modo, cum haud rectè poſiti ſint. Non enim idem eſt, nec eſſe. Hoc eſt, neq; per rerum naturam, neque in oratione enunciante idem eſſe conſtat, ſi dicatur, hoc C, cui B ineſt,

omni

omni A ineſſe:& huic C, cui B omni ineſt, A omni ineſſe. Nam ſi dixeris B ineſt C, non dixeris omni C, ſed alicui: quoniam indeterminatæ propoſitiones particularibus ſunt æquales. Igitur ſi A B ponatur omni ineſſe, induces Alicui, non autẽ Omni, uel ex eo, quod Omni ex duabus uniuerſalibus aientibus infertur. Verum ſi ponatur indefinitum, figura erit inutilis, Omniq;, & Nulli inducetur. ſi uerò A ineſt B indefinitè, ſed non omni, de quo B, hoc eſt A omni B non ineſt, ſiue B omni C ineſt, ſiue non determinate fuerit illatum B ipſi C ineſſe.

A non modo non omni, ſed ne ineſſe quidem neceſſe eſt. Hoc eſt, ſed inducetur etiam A nulli C, propterea quòd figura ratiocinatiua non ſit.

Verum ſi de quocunq; B uere dicatur, huic omni A inerit. Id eſt de omni eo, quod prius ſubiectum fuerat:& A, B uniuerſalis aiens erit: eueniet'q; A de omni illo C dici, de quo B de omni dicebatur. Si uerò A de omni C dicatur, de quo C ipſum B infinitè dicitur, nihil uetat, quin B inſit C indeterminatè, quòd ſanè Alicui par eſt. Ipſumq; A non omni, aut omnino non inſit. Hoc eſt, & nulli C inerit: quid omni prohibet, quin A B indeterminata ſit tribus in terminis? cumq; ait, A de quo omni B dicitur: ita intelligendum eſt, ac ſi dicatur, de omni B, hoc eſt, de quibuſcunq; dicitur B, de iis omnibus A dicetur: atque ſi B de omni C dicitur, A itidem de omni C enunciabitur. Si uerò B, non de omni dicitur C, neq; A de omni C dicetur, ſed de aliquo, ſiquidem A B omni ineſſe poſitum fuit.

Non putandum eſt, quicquam abſurdi propter expoſitionem euenire. Nihil enim utimur eo, quod eſt, ut hoc ſit: ſed ueluti Geometra pedalem, rectamq;, & latitudine uacantem lineam, cùm non ſit, eſſe dicit, non tamen ita utitur, ut ex iis ratiocinetur. Ad ſummam, ex eo, quod non eſt, ut totum ad partem, & aliud ad hoc, ut pars ad totum, nihil probatur ab eo, qui demonſtrat: neq; enim fit ratiocinatio, ſic autem utimur expoſitione, ut ſolemus dicere, ſenſu uti eos, qui diſcunt: non autem perinde, ac ſi abſq; iis fieri demonſtratio non poſsit, quemadmodum ratiocinatio ſine illis, ex quibus fit, non efficeretur.

CVM de ratiocinandi uia diſſereret, elementis, & terminis ad ſuam doctrinam uſus eſt. Ac ne quis opinetur, elementorum, & terminorum expoſitionem in cauſa eſſe, ut ipſorum copulationes quandoque ratiocinatiuæ, & quandoq; inutiles fiant, inquit, Quemadmodum geometres explanationis, & producendi diſcentem gratia rectam efficiens lineam, illam ſine latitudine eſſe, hancq; cum latitudine non careat, pedalem petit, lineam quæ eiuſmodi non eſt, capit, circulumq; ac dimetientem licet ita ſe non habeant, deſcribit: ex quo ſequitur, ut ea, quæ oſtenduntur, nequaquam propter expoſita, ſed ex communibus animi notionibus inducantur: quas cùm ii, qui tum primum introducuntur, cognitas non habeant, utpote qui nondum ad illum naturæ progreſſum euaſerint, cauſa declarationis, alicuius indigent, quod eorũ ſenſui ſubiiciatur. Ita & nos cauſa claritatis, progreſsioniſq; diſcentium, elementa, & terminos accipimus, cùm tamen demonſtrata non propter huiuſmodi, ſed propter uniuerſalium & particularium complexionem inducantur. Nam elementis non utimur, ut ſine eis ratiocinationes fieri non poſsint, quemadmodum in ratiocinatione componenda utimur aientibus, negantibus, uniuerſis, ac ſingulis, & ut medius terminus à maiori, & minor à medio contineatur: nam ſine iis conditionibus ratiocinatio nunquam efficeretur.

Nec quemquam fugiat, in eadem ratiocinatione non omnes concluſiones ex una eademq; figura inferri: uerùm aliam ex alia, illamq; ex alia eſſe. Reſolutiones igitur ita faciendas eſſe conſtat. Cumq; non omnis quæſtio in omni figura, ſed in unaquaq; certæ ſint, è concluſione patebit, in qua figura ſit inquirendum.

HOC quoq; præceptũ ad reſolutionem facit, & confert: nam cùm ratiocinatio ex duabus propoſitionibus cõponatur, utraq; earum ex ratiocinatione antecedenti demõſtratur: quia ſine medio cùm ſit, demonſtratione indiget. Ait igitur, Antecedentes ratiocinationes in eadẽ figura, in qua ratiocinatio reſoluta fuit, reſoluere non tenta: ſed ſi ratiocinatio induxerit Omni, cùm omni in prima tantum figura inferatur, patet etiã ratiocinationes antecedentes in prima figura reſolutũ iri, in qua ratiocinationis reſolutio facta eſt. Sit itaq; ratiocinatio, quæ in complexionẽ inferat, Subſtantia omni homini per mediũ animalis, eius propoſitiones eæ ſunt, Subſtãtia omni animali, Animal omni homini: minor autẽ propoſitio Animal omni homini, per animalis intermediũ: at maior Subſtantia omni animali, per mediũ animati, hæcq; Subſtantia omni animato, per medium corporis, demonſtrabitur. Ecce ratiocinationem, eiuſq; ratiocinationes antecedentes omnes in prima figura reſolutas. At Inanimatum nulli homini ineſſe, reſoluetur in ſecũda figura per medium Senſus participis: Senſus particeps omni homini, & Inanimatum nulli homini. Minor autem propoſitio, uidelicet Senſus particeps omni homini, in prima figura per medium Animalis reſoluetur, eodemq; modo maior, uidelicet Senſus particeps, nulli animato, per medium Senſus expertis reſoluetur. At Inanimum non omni albo, in prima figura per medium bipedis reſoluetur: ut, Inanimatum nulli bipedi, bipes alicui albo, inanimatum igitur non omni albo. At minor propoſitio, Bipes alicui albo, in tertia figura per medium Hominis, maior uerò, Inanimatum nulli bipedi, per medium Senſus capacis reſoluetur.

Ex oration

Ex orationibus,quæ ad definitiones pertinent,quæcũq; ad unum aliquod eorum, quæ in definitione ſunt,reprehenſæ fuerint,id,ad quod ſint reprehenſæ,ſtatuendus eſt terminus,& non tota oratio:hocq; pacto longitudo non adeo nos perturbabit. Vt ſiquis aquam potũ eſſe humidum oſtendat,potus & aqua ſunt pro terminis ſtatuendi.

QVONAM illi,qui definitionem conantur infirmare,hancq́; non eſſe huius definitionem demõſtrare, definitionem ſæpe in ratiocinatione poſitã tanquam terminũ non capiunt,quoniã difficile eſt demonſtratione comprobare,totã definitionem definitę rei non conuenite:ſed definitionis particulã,quam male locatam,& ei,quo definitur,non congruentẽ comperiunt,pro termino accipiunt,perq́; ratiocinationẽ, ei, quod explicatur,non cõpetere oſtendunt. Tu quoq; huiuſmodi ratiocinationẽ reſoluens,noli uniuerſam definitionẽ tanquam teminum ſumere,ſed illam tantũ partem,quæ male ſit locata, quãq́; ex ratiocinatione definitæ rei non cõgruere demonſtrauimus:ut,Quidã aquam,humidum potum eſſe definierunt:qua in re ſiquis demonſtrare uoluerit,humidũ potum non eſſe aquæ definitionem, non totum humidum potum pro termino capit,ſed tantum potum modo:utpote qui omni aquæ non cõueniat:humidum enim omni aquæ congruit,& definitionis partes debent toti definitæ rei conuenire:tu igitur cùm talem ratiocinationem reſoluas, potum ut terminum cape, cuius beneficio potum non omni aquæ ineſſe demonſtrabis, idq́; in prima figura per medium maris:atq; in ſecunda,tertiaq́;.Sed uerba ſunt reſeranda.

Ex orationibus.Hoc eſt,ratiocinationibus. Reſoluens inquam ratiocinationes, quæ definitioni repugnant,& hanc non eſſe huius definitionem demonſtrant.

Quæcunq; ad unum aliquod eorũ.Hoc eſt, demonſtrantes definitionẽ male habere in una parte eorum,quæ in definitione collocantur,debes etiã tu quoq; pro termino eam partem, quam ille reprehendit, qui definitionẽ improbabat,& non totam definitionem ponere:nam ſi una pars eorum, quæ in definitione non conueniunt definito,neq; uniuerſa definitio cõgruet. Ei enim,qui ita agit,unamq́; definitionis partem pro termino capit,perturbari ob prolixiratẽ non continget:ut ſiquis demonſtrarit,aquam eſſe potum:hoc eſt,ſi probarit quiſpiam,potum non ineſſe aquæ,potum & aquam ponere pro terminis debet.

Ratiocinationes præterea,quæ ex ſubiectione fiunt,ut reducamus,conandũ non eſt:neq; enim ex ijs,quæ poſita ſunt,reduci poſſunt,quoniã non ſunt ratiocinatione demonſtratæ, ſed pactione conceſſæ omnes ſunt:ut ſiquis cõſtituat, ſi una aliqua facultas contrariorũ non ſit,neq; unam eſſe ſcientiam:deinde diſputet,unã non eſſe contrariorũ facultatem,ut ualentis,& ægroti, eſſent enim ſimul eadem ualens,& ægrotũ:unam autem non eſſe contrariorum omnium facultatem demonſtratum eſt,at non eſſe ſcientiã,nequaquam fuit demonſtratũ:& tamen neceſſe eſt,non ex ratiocinatione,uerùm ex ſubiectione id fateri. Hanc igitur reducere non licet,unam autẽ non eſſe uim licet:hæc forteſortuna erat ratiocinatio,illud autem ſubiectio:hoc etiã modo in ijs,quę ex eo,quod fieri nequit,efficiuntur:nam neq; illas reſoluere poſſumus,deductione tamen ad id,quod fieri non poteſt,poſſumus. Ratiocinatione enim demonſtratur,at alterũ non licet,quia, ex ſubiectione concluditur. À prædictis autem differunt,quoniã in illis prius fatendũ eſt,ſi quid concedi debet,ut ſi demonſtratũ ſit, unam eſſe contrariorũ facultatem,eandẽ quoq; ſcientiam eſſe. hoc autem in loco etſi prius non pacti ſunt,tamen concedunt , quoniam manifeſto falſum apparet:ut poſita dimetienti æqualis menſuræ paribus imparia æqualia eſſe. Multæ præterea ex ſubiectione concluduntur,quas diligenter examinare,& diſtinguere opus eſt. Porrò harum differentiæ quæ ſint,quotq; fiant modis,poſtea dicemus. Nunc cognitum hoc tantùm ſit, nobis non licere huiuſmodi ratiocinationes in figuras reſoluere:id quod ob eam cauſam ſit,quam diximus.

VOCAT hoc loco eas tatũ ex ſubiectione ratiocinationes, quæ ex pactione ſunt conflatæ:ut ſi demonſtraturus per ſubiectionem quiſpiã ſit, unam non eſſe contrariorũ facultatem,fateri etiam debebit, unam, non eſſe eorum ſcientiam:quod ſi differens approbauerit,hoc per ſubiectionẽ colliget, Si contrariorum facultas una non eſt,nullam eſſe ipſorũ ſcientiã ſequitur : hoc coniunctũ dicitur,nam antecedẽs conſequenti annexũ fuit:uerum contrariorũ una ſcientia non eſt,ſequitur igitur conceſſu tuo,nullã eſſe ſcientiam contrariorum. Hanc igitur ratiocinationem hypotheticam nihil eſt,cur coneris reſoluere.

Non enim ex ijs , quæ poſita ſunt , reduci poſſunt. Id eſt , Ex iis , quæ accepta ſunt , ratiocinatio non eſt facta , non quòd termini legitime capti non ſint, ſed quòd conceditur ex compoſitione , & confeſsione , non eſſe unam contrariorum cognitionem : at unam non eſſe contrariorum uim , in tertia figura per ſani & ægri intermedium fuit demonſtratum : quod ita reſoluere debes , perinde ac ſi foret ratiocinatio. minor propoſitio uidelicet ſani , & ægri una ſcientia non eſt , in ſecunda figura fuit demonſtrata , cùm ea , quæ ſanum , & ægrum efficiunt , pro medio termino acciperemus : ut ſi datum ſit ſani , & ægri unam eſſe ſcientiam , erit idem & ſanum , & ægrum. Atqui neceſſe eſt differentem fateri contrariorum unam ſcientiam non eſſe , uerùm non cogetur , id ex ratiocinatione concedere , qua demonſtratur contrariorum unam non eſſe facultatem , ſed ex ſubiectione , hoc eſt , quia conſentire falſus eſt. hoc igitur, contrariorum inquam, non eſſe unam ſcientiam , reducere, ac reſoluere nequaquam ualemus,

quoniam non à ratiocinatione, ſed ex conceſſu fuit demonſtratum, nullam eſſe cōtrariorum facultatem: quod cùm ratiocinatiue demonſtratum fuerit, in reſolutionem quoq; reſoluere poterimus.

Hæc forteſortuna erat ratiocinatio. Addidit Forteſortuna, propterea quòd ibi per tertiam figuram reſolutum fuit: poſſumus etiam idipſum in prima figura reſoluere.

Illud autem. Hoc eſt, Contrariorum unam eſſe ſcientiam, ſubiectio erat, & conceſsio eius, qui diſſerit, & non ratiocinatio Verùm neq; ratiocinationes, quæ ex eo, quod fieri nequit, perficiũtur, reſolui poſſunt. Cognitum eſt enim iandudum ex iis, quę dicta ſunt, eiuſmodi ratiocinationes ex duabus hypotheticis, atq; ab una enunciante fieri. at hypotheticas conandum non eſt, ut reſoluamus.

Deductione tamen ad id, quod fieri nequit, poſſumus. Hoc eſt, paria imparibus non ſunt æqualia, reſolue perinde, ac ſi eſſent per ratiocinationem demonſtrata. at hanc ratiocinationē ſupponentem, non reſolues: ſi uidelicet, dimetiens cum latere commetiens eſt, erunt paria imparibus æqualia, hoc coniunctum eſt: at fieri nequit, ut paria ſint imparibus æqualia, dimetiens igitur cum latere commetiens non erit, hæc ratiocinatio non eſt, paria autem imparibus non eſſe æqualia hoc pacto ex ratiocinatione demonſtrabitur. Octo & nouem unius, & eiuſdem numeri ſubdupla comperiuntur: unius uerò, & eiuſdem numeri ſubdupla eadem inter ſe ſunt: octo igitur, & nouem eadem inter ſe ſunt. Hoc itaq; tanquam ratiocinatio eſſet, reſoluere conare: alterum uerò reſoluere nequimus: ut ſi dimetiens eiuſdem menſuræ eſt cum latere, paria erunt imparibus æqualia, quòd cùm coniunctum ſit, reſolui non poteſt: non enim fuit ratiocinatione demonſtratum, ſed ex ſubiectione concluditur.

Ex ſubiectione, hoc eſt, tanquam exploratum ob omnibus capitur: omnes enim paria imparibus æqualia non eſſe fatentur.

Quæcunq; quæſtiones pluribus in figuris demonſtrantur, ſi in alia collectæ ſint, ratiocinationem in alteram reducere licebit, ut priuantem primæ in ſecundam, ſecundæ in primam, non tamen omnes, ſed quaſdam: idq; in ſequentibus manifeſtum erit: nam ſi A nulli B, & B omni C, A nulli C ineſt: ita igitur prima eſt figura, in qua ſi priuans reciprocetur, media erit: nam B nulli A, & omni C inerit. Eodem etiam modo ſi non uniuerſalis, ſed particularis fuerit ratiocinatio, ut ſi A nulli B, & B alicui C inſit, priuante enim reciprocata media figura efficietur. Ex ijs autem ratiocinationibus, quæ in ſecunda figura conficiuntur, uniuerſales in primam figuram adducentur: at ex particularibus, altera tantum. Inſit enim A nulli B, & omni C, priuante reciprocata prima figura efficietur: nam B nulli A, & A omni C inerit. At ſi enuncians ad B, priuans autem ad C collocetur, C primus terminus ponendus eſt. hoc enim nulli A, & A omni B ineſt, quare C nulli B inerit, ergo & B nulli C inerit: nam priuãs reciprocatur. Verùm ſi ratiocinatio particularis ſit, quando priuans ad maiorem extremitatem erit, in primam figuram reſoluetur, ut ſi A nulli B, & B alicui C ineſt, reciprocata enim priuante prima figura fiet: nam B nulli A, & A alicui C inerit: at ſi enuncians, non reſoluetur, ut ſi A omni B, C uerò non omni inſit, nam A B reciprocationem non ſuſcipit: neq; ſi ea ſit facta, ratiocinatio erit. Præterea quæ in tertia figura ſunt, non omnes in primam, at quæ in prima ſunt, omnes in tertiam reſoluuntur. Inſit enim A omni B, B autem alicui C, ergo quia particularis enuncians reciprocatur, & C alicui B inerit. A uerò omni B inerat, quocirca tertia figura euadit. Similiter etiã ſi ratiocinatio priuans ſit, reciprocatur enim particularis aiens: quo fit, ut A nulli B & C alicui inſit. Ex illis ratiocinationibus, quę in poſtrema figura ſunt, una tantum in primam non reſoluitur, cùm priuans uniuerſalis non ponitur, aliæ uerò omnes reſoluũtur. A enim & B de omni C dicantur, ergo quoniam C ad utrunque in parte conuertetur, A alicui B inerit. quare prima figura fiet: ſiquidem A omni C, & C alicui B ineſt: at ſi A omni C, B autem inſit alicui C, eadem eſt ratio, nam C in B reciprocatur. Quare ſi B omni C, & A alicui C inſit, primus terminus ſtatuendus B erit: nam B omni C, & C alicui A ineſt: ita fit, ut B alicui A inſit: at quoniam particularis reciprocatur, A quoq; alicui B inerit. Siq; priuans ratiocinatio ſit in terminis uniuerſalibus, ſimiliter ſumendũ eſt, inſit enim B omni C, & A nulli C, igitur C alicui B non inerit, at A nulli C: quibus quidē fit rebus, ut C mediũ exiſtat. Haud ſecus etiã, cum priuãs uniuerſalis, & enuncians particularis ſit: nã A quidē nulli C, & C alicui B inerit: uerum ſi particularis priuans capiatur, reſolutio non fiet: ut ſi B omni C, & A alicui C non ineſt, reciprocata enim B C utræq; propoſitiones particulares erunt.

DOCET omnino neceſſe non eſſe ratiocinationũ reſolutionē in ea figura fieri, in qua ratiocinatio fuerat compacta: ſed quaſcũq; quęſtiones, in multis figuris concluſas in quãlibet figuram indiſcriminatim inducendas eſſe. Omnis, quia in prima tantũ figura inducitur, in primam reſoluatur neceſſe eſt: Nullus in prima, & ſecunda concluditur: quod igitur in prima inductum fuerit, poterit in ſecundam reſolui: id quod fit, quoniam negans reciprocatur: quodq; in ſecunda fuerit illatum, in primam reſoluetur.

Pręterea quæ in tertia figura ſunt, non omnes in primam. Non omnes adiunxit, propter quintum tertiæ figuræ modum, in quo maior eſt Non omnis, & minor Omnis.

Patet autem in reſoluendis inter ſe figuris propoſitionem, quæ ad minorem extremitatem eſt,

utriſq;

utriſque in figuris eſſe reciprocandam: hac enim commutata tranſitio fiebat. at ex ijs, quæ in media figura ſunt, altera quidem reſoluitur in tertiam, altera minimè: cùm enim uniuerſale priuans fuerit, reſoluitur: nam ſi A nulli B, & alicui C ineſt, utraq; pari modo in A reciprocantur: quare B quidem nulli A, C uerò alicui inerit: medium igitur A eſt. Sed quando A omni B & alicui C non inſit, non erit reſolutio: neutra enim propoſitionum ex reciprocatione uniuerſalis eſt: quæ uerò è tertia ſunt, in mediam reſoluuntur, quoties uniuerſalis priuans fuerit: ut ſi A nulli C, ipſi uerò B alicui uel omni inſit, nam C nulli A & alicui B inerit: at ſi particularis priuans fuerit, non reſoluentur: negans enim particularis reciprocationem non admittit. Clarum igitur eſt, eas ratiocinationes, quæ nec in prima reſoluebantur, ijs in figuris non reſolui. Patet etiam, cùm cæteræ ratiocinationes in primam reducantur, has ſolas ex eo, quod fieri nequit, concludi. Eſt igitur apertum ex ijs, quæ diximus, quo pacto ratiocinationes reducendæ ſint, & figuræ inſe uicíſsim reſoluantur.

HAEC dicuntur, quoniam in prima, & tertia figura ſi primam in tertiam reſoluere uolueris, minorem propoſitionem reciprocari neceſſe erit: & ita prima figura efficietur. At earum, quæ in media figura ſunt, altera quidem reſoluetur in tertiam, ea uidelicet, quæ ex Nullus, & Aliquis conſtat, atque etiam ſi utræq; propoſitiones reciprocentur: altera uerò non reducetur, ea inquã, quæ ex maiori Omni & minori Non omni confecta eſt.

Has ſolas. Quartum ſcilicet modum ſecundæ figuræ, & quintum tertiæ ex deductione ad id, quod fieri non poteſt, in primam figuram reductos perficies, ac concludes.

Eſt diſcrimen in confirmando, uel infirmando, ſi putemus uel idem, uel diuerſum ſignificare, cùm non eſſe hoc, & eſſe non hoc dicimus: ut, Non eſſe album, & Eſſe non album, non enim idem ſignificant: & ea, quæ eſt, Eſſe album, non eſt illius negatio, quæ eſt, Eſſe non album, ſed Non eſſe album. Cuius rei hæc eſt ratio: nam eodem pacto ſe habet Poteſt ambulare, ad Poteſt non ambulare, quo Eſſe album, ad Eſſe nõ album: &, Scit bonum, ad Scit non bonum: nam Scit bonum, uel Sciens eſt bonum, nihil differt: neq; Poteſt ambulare, & Non eſt potens ambulare, quare oppoſita quoq; Non poteſt ambulare, non eſt potens ambulare, nihil different.

ALTERAM eſſe ex commutatione ſimplicis negationis affirmationem, hoc loco, nos docet, ne reſoluentes in errorem inducamur. Sæpe enim cùm aliquis confirmae, & ait, Non album eſt, fallimur, quòd huiuſmodi quæſtionem negantem eſſe cogitamus. Deinde cùm eam ratiocinationẽ reſoluere conamur, propoſitionem negantem, ex qua talis quæſtio inducta fuit, inueſtigamus. Differt igitur, tibiq; in confirmationem, & infirmationẽ conſert opinari, & cognoſcere, utrum eadem ſint, an diuerſa Non eſſe hoc, ſimplex uidelicet negario, & Eſſe non hoc, affirmatio ſcilicet ex commutatione uerborũ. uelut Non eſſe album, non idem cum hoc, Eſſe non album, ſignificat. Non eadem autem eſſe hoc Non album eſt, & hoc Album non eſt, ex proportione propoſitionum, quibus modus adhęret, demonſtrat. Eſt enim analogia duarũ rationum ſimilitudo. etenim ratio eſt, ut duo & triginta ſubdupla ſint ſexdecim, altera ratio, ut octo dupla ſint quatuor, ſi igitur duas has rationes miſcens dixeris, ut triginta duo ſexdecim, ita & octo dupla ſunt quatuor. feceris analogiã, quam conuenientiam proportionem'ue, ſeu rerum inter ſe cognationem uſurpare, ac nominare poſſumus. Huius enim ratio, & demõſtratio, uidelicet affirmationẽ ex commutatione non eſſe negationem ſimplicis affirmationis hęc eſt. Igitur ſi poteſt ambulare, & non poteſt ambulare, ac Scit bonum, Scitq; non bonum proportionem, & conuenientiam habet ad Eſt album, & Eſt non album, quando Scit non bonũ, non eſt huius negatio, Scit bonum: neq; etiã Poteſt non ambulare, erit huius negatio, Poteſt ambulare: ita neq; hæc, Eſt non album, eſt negatio huius, Eſt album. nam Scit bonum, uel Eſt ſciens bonum, nihil differunt. Ne igitur quiſpiam percunctaretur, quamnam habeat proportionem, ac ſimilitudinem hæc, Scit bonum, & Scit non bonum, ad hanc, Eſt album, & Eſt non album: ſiquidem in iis ipſum Eſt ponitur, in illis non collocatur: ait, Omne uerbum in Eſt, & participium reſolui poteſt: qui itaq; ait, Scit bonum, idem inquit perinde, ac ſi diceret, Eſt ſciens boni.

Quare oppoſita. Id eſt horum negationes non different.

Igitur ſi, Non eſt potens ambulare, & Eſt potens non ambulare, uel non ambulare, idem ſignificant, eadem inerunt in eodem. idem enim ire, & non ire poteſt, boniq;, ac non boni peritus eſt. affirmatio enim, & negatio oppoſitæ ſimul in eodem non inſunt. Quemadmodum igitur idem non eſt, Non ſcire bonum, & Scire non bonum: ita etiam Eſſe non bonum, & Non eſſe bonum, eidem non erit.

DEMONSTRAT hoc loco ex deductione ad id, quod fieri nequit, Eſt potens non ambulare & Non eſt potens ambulare eadem non eſſe, quod ita probat: Si Eſt potens non ambulare, & Non eſt potens ambulare, eadem ſunt, utraq; ſimul cum hoc, Eſt potens ambulare, uera erunt. Igitur Eſt potens non ambulare, & Non eſt potens ambulare, eadem non exiſtunt.

Eadem. Videlicet, Non eſt potens ambulare, & Eſt potens non ambulare. Inerunt in eodem. Hoc eſt,

in eodem uera erunt,cum ſimplici inquam affirmatione,& ſimplex affirmatio,& ea,quæ non ſimplex eſt ueræ erunt:idem enim & ire poteſt,& non ire.cognoſcensq; & bonũ,& malum cognoſcens eſt:quoniã Contrariorum eſt eadem ſcientia. Cumq; Noſcit bonum, & Noſcit non bonum, ſimul uerum dicant : hæ itidem,Eſt potẽs ambulare,& Eſt potens non ambulare:atq;, Eſt hoc albũ,& Eſt hoc non album, uerum dicent. Affirmatio autem,& negatio repugnãter oppoſitæ nec inſunt,nec de eodẽ uerum dicunt. Igitur hęc, Eſt potens oon ambulare,huius,Eſt potens ambulare, negatio non eſt:nam ſimul uerũ dicunt. Neq; etiam Eſt hoc non album,negatio eſt huius,Eſt hoc album,quoniam ſimul ueræ ſunt.

Etenim ſi ex ijs,quę habent cognationem inter ſe,altera diuerſa ſint,altera quoq; diuerſa erunt: eſſe autem non æquale,& non eſſe æquale,eadem non ſunt:huic enim, quod eſt Non æquale,aliquid ſubiicitur,hocq; eſt Aequale:illi uerò nihil eſt ſubſtratum. Quapropter Aquale & Inæquale non omne, Aequale autem & Non ęquale omne erit. Pręterea Eſt non album lignum,& Non eſt album lignum,non ſimul inſunt:nam ſi eſt lignum non album, erit lignum : quod autem non eſt album lignum,non neceſſe eſt lignum eſſe. Ex quo patet,huius Eſt bonum,hanc Eſt non bonum,negationem non eſſe. Itaq; ſi de unoquoq; uel affirmatio,uel negatio uera eſt,ſi hæc negatio non eſt,patet quodammodo affirmationem eſſe. At omnis affirmationis negatio eſt:huius igitur etiam erit,Non eſt non bonum.

SI altera eorum,quæ analogiã habent,diuerſa ſunt,altera quoq; diuerſa erunt. Igitur Eſt non bonum, & Noo eſt bonum,& Non ſcit bonum,quæ ſimplex oegatio eſt,& Scit non bonum, proportionem habẽt, ad Eſt non album,& Non eſt album.

Altera diuerſa ſint. Hoc eſt,Scit non bonum,& Non ſcit bonum.

Altera quoq; diuerſa erunt. Videlicet eſt noo album,& Non eſt album.

Eſſe autẽ non æquale,& non eſſe ęquale,eadẽ non ſunt. Exemplũ facit orationem clariorem:nam qui dicit Non æquale,infert inæquale:at qui inquit,Non eſt æquale,ipſum æquale tantummodo negat.

Huic enim. Id ęſt,ei,quod eſt non æquale,ſubiicitut aliquid : uidelicet inducitut aliud quippiam,inæquale ſcilicet.

Hocq;. Id eſt,Noo eſt æquale,nihil infert quicquam:quoniam quod eſt æquale,& quod non eſt æquale id eſt inæquale,noo omne,id eſt non de omni,ſed de ſola quãtitate dicitur:ſolum enim Quantum æqualis, & inæqualis capax eſt:at Subſtantia,& Qualitas nequaquam.

Aequale autem,& non æquale omne erit. Hoc eſt,de omni in ipſis uerum dicet,altera uero falſum, & falſum,& uerum in omnibus diſtinguit:nam qui inquit,Subſtantia eſt æquale, mentitur:quiq; ait,Subſtantia non eſt æquale,uerum dicit:& qui ait,Album eſt æquale,falſum : qui uerò,Noo eſt æquale,uerum dicit. Similiter etiam in Quanto:eorum enim altera pars uerum dicit:

Præterea eſt non album lignum. Ad apertius etiam tranſilit : cùm enim ſine aliquo ſubiecto ſuperius hæc,Eſt bonum,& Non eſt bonum,Eſtq; album,& Non eſt album,dixerit:nuoc ea cum ſubiecto profert,Eſt lignum album,& Eſt lignum non album, alteram non ſimplicis affirmationis ſimplicem negationem eſſe demonſtrat:nam qui dicit Eſt lignum album,dicit aliquod lignum eſſe, de quo non album dicatur:quiq; ait,Non eſt lignum album,non ſolùm remouet,& aufert album,ſed etiam lignum : nam uerum dicemus,ſi non eſſe lignum album aſſeremus, perinde ac animam hippocentaurumq; dicere ſolemus:in ijs tamẽ uerum non dicetur:ſed in Ebeno eadem ſimplex negatio uerax erit. Igitur ſimplex negatio,& affirmatio ex tranſpoſitione eædem non erunt,neq; ſimplicis affirmationis negatio eſt non ſimplex affirmatio.

Quod autem non eſt album lignum. Id eſt, quod non eſt album lignum,non neceſſariò lignum inducit.

Patet quodammodo affirmationem eſſe. Addidit Quodammodo,ut hanc Eſſe non album,non ſimplicem,ſed ex tranſpoſitione affirmationem eſſe demonſtraret.

Hunc ordinem habent inter ſe,ſit Eſſe bonum,in quo eſt A, Non eſſe bonum,in quo B, Eſſe non bonum,in quo C, idq; ſub B Non eſſe non bonum, in quo D, atq; id ſub A:omni ergo aut A aut B inerit,nulli autem eidem:omni item aut C aut D inerit,nulliq; eidem, & cui C ineſt, B omni inſit neceſſe eſt. Nam ſi uerè dicitur,Eſt non album,hoc quoq; Non eſt album,uerè dicetur: fieri enim non poteſt,ut Eſſe album,& Eſſe non album, aut Eſſe lignum, & Eſſe lignum non album ſimul ſtent, & collocentur. Quo fit,ut ſi affirmatio non eſt, negatio certè ſit : B autem non ſemper C inerit : quod enim omnino non eſt lignum, neq; lignum erit non album. Contra uero cuicumq; A ineſt, D quoq; eidem omni ineſt : aut enim C, aut D. At quoniam ſimul eſſe non poſſunt,Eſſe non album,& Eſſe album, D inerit. Nam de eo quod eſt album, uerum eſt ut dicatur, Non eſt non album. A uerò de D non omni enunciatur ; nam de eo quod omnino lignum non eſt uerum non eſt ſi eſſe lignum album dicatur;quare in eo quod eſt lignum album, D quidem uerum,ſed A uerum nequaquam erit.

CVM eiuſdem,& alterius mentionem fecerit, dixeritq; ſimplicem affirmationem, atq; eam,quæ non ſimplex eſt,ut Poteſt ambulare,& Poteſt non ambulare,ut Scit bonum,& Scit non bonum, & qui poteſt ire,

ire,poteſt etiam non ire,ſimplicem negationem,& ex trãſpoſitione alteram,diuerſam'ue dicit eſſe.Horum cauſa de ordine,deq; conſequentia ſimplicium,& non ſimplicium differit,docetq;.

Et cui C ineſt, B omni inſit neceſſe eſt. Id eſt,ſimplex negatio,Non eſt lignum album,conſequitur C ,hoc eſt hanc,Eſt lignum non album:nam ut C etiam de ebeno uere dicitur,ita etiam & B de ebeno uere dictum iri affirmamus.

Fieri enim non poteſt,ut Eſſe album, & Eſſe non album. Hoc eſt,de quacunq; re,aut affirmatio, aut negatio uera erit,ſi fieri non poteſt ut album ſit,uidelicet eſt lignum album, cùm hoc uerum dicet, eſt non album, uidelicet lignum rurſus non album , neceſſe eſt ſimplicem negationem , id eſt , B ſequi,& uerum dicere cum C.

B autem non ſemper C inerit. Adiunxit enim Non ſemper , propterea quòd B de ebeno dictum, uereq; pronunciatum,etiam C,quod ipſum ſequitur,de ſolo ebeno dictum habebit,alioqui B de aliis etiam multis uerum dicet,quoniam fieri poteſt ut angelum,animam,& candorem,atq; hircocernum non eſſe ligna alba uerè dicamus:quod autem eſt lignum non album,de iis,quæ dicta ſunt,uerè non dicetur.

Contra uero. Addidit Contrà,quoniam ut affirmationẽ non ſimplicem negatio ſimplex ſequitur illa quidem,ſed non eadem:ita econtrà, affirmatio non ſimplex in altera cognatione ſimplicem affirmationem ſequitur,non tamen eadem illa. D enim & de iis,quæ ſunt,& de iis,quæ non ſunt,uerè dicitur : A uerò de uno ſolo ligno albo uerè dicitur.

Eſt etiam clarum,atque apertum , A C nulli eidem ineſſe,licet B & D alicui ineſſe contingat. Priuationes ſimiliter ad enuntiationes eodem ordine ſe habent. Sit æquale in quo eſt A , non æquale in quo B eſt, inæquale pro quo C , non inæquale in quo eſt D . In multis autem,in quibus tum idem ineſt,tum non ineſt , negatio ſimiliter uera erit : non eſſe uidelicet alba omnia,aut non eſſe album unumquodq;:at eſſe non album unumquodq;,aut omnia eſſe non alba,falſa erit.

D E conſecutione ſermonem perficiens,inquit , A , & C , hoc eſt affirmationes nequaquã uerum ſimul dicunt : B autem & D , id eſt negationes, alicui eidem ineſſe poſſunt, id eſt uerum dicunt de iis,quæ ſunt, & de iis,quæ non ſunt.

Priuationes ſimiliter ad enunciationes eodẽ ordine ſe habent. Hoc eſt,priuãtes propoſitiones non ſecus ſe habent ad enunciationes, uidelicet ad ſimplices propoſitiones, eodem ordine, id eſt hac deſcriptione. Deſcribatur in A æquale eſt,in B non æquale,in D non inæquale, ſcilicet non eſt inæquale,in E non eſt non æquale,in F eſt non æquale.ut igitur E , ideſt negatio ex tranſpoſitione amplior A cum ſit,ipſum ſequitur,ita & D priuans negatio cum latius pateat,quàm A, ipſum A, ſequetur : uerè enim dicitur D de iis,quæ ſunt,deq; iis,quæ non ſunt, uidelicet angelo,anima, hippocentauro. Rurſus ut B ſimplex negatio, quæ amplior eſt,quàm F, ipſum F ſequitur, ita etiam C ſequetur, hoc eſt priuãtem affirmationem,cum ipſo C latior ſit. In dubium,controuerſiamq; Philoſophi uerba,de quibus nunc agimus,cum ſuperioribus poſſet quiſpiam uocare:nam paulo ante inquit, affirmationes ſimul ueras eſſe:idem enim eſſe dicebat, Poteſt ire,& Poteſt non ire:Scit bonum,& Scit non bonum : hoc autem loco affirmationes nequaquam ſimul ueras eſſe ſcribit. Præterea dixit ſuperius,idem non eſſe,Non ſcit bonum,& Scit nõ bonum:hic autem negationes ſequi ipſas affirmationes dicit. Ad quæ primum dicimus,idem non eſſe,ſi dicatur Hoc non eſſe idem cum hoc,& Hoc ſequi hoc:quod uel ex eo clarum eſt,nam hominem ſequitur animal, homo tamen, & animal idem nõ eſt. Atq; hic ait,negationes ſequentes affirmationum eſſe, ut ſimplicem affirmationem negatio ex tranſpoſitione,ſimplexq; negatio affirmationem ex mutatione ſequatur. Superius dixit non de propoſitionibus ſequentibus,ſed de eiſdem,ac diuerſis:nam ſimplicem negationem diuerſam eſſe inquit ab affirmatione non ſimplici:aliud enim eſt dicere De eodẽ, & aliud dicere De ſequentibus:aliter conſequentia propoſitionem hic, & in libro de Interpretatione tradita , de illis tantũ quibus Eſt tertio loco adiungitur,neq; de omnibus propoſitionibus,neq; de iis,quæ cum modo fiunt,dicta fuerit : nam Poteſt ire,& Poteſt non ire,Scit bonum,& Scit non bonum,propoſitiones cum modo ſunt:neq; nouum eſt,ſi affirmationes cum affirmationibus uerum dicunt.

In pluribus autem. Repetit ea,quæ initio dicta fuerant. Simplicis inquã affirmationis negatio non eſt ea affirmatio,quæ non ſimplex eſt,ſed negatio ſimplex,candor aliquibus ineſt,aliquibus non ineſt. in multis igitur propoſitionibus ex materia fortuito antegreſſa, quam contingentem uocant, acceptis, in quibus terminus,qui enunciatur,in quibuſdam ſequentibus ineſt,quibuſdam non ineſt,affirmatio ex tranſpoſitione falſa cum ſit,ſimplicem negationem ueram eſſe neceſſe eſt. idem enim dicitur,ſi Non ſunt omnia alba, & Non eſt unumquodq; album,dicatur.

Simili modo eius quę ait,Omne animal albũ eſt,illa Omne animal nõ album eſt,negatio non eſt,quoniã ambę ſunt falſæ:ſed hęc,Omne animal albũ non eſt. At quoniã liquet aliud ſignificare Eſt non albũ,& Non eſt album : illaq; negatio eſt,hæc affirmatio : liquet eundem non eſſe demonſtrandi modũ utriuſq;,ut quod animal eſt,non eſt albũ,uel contingit non eſſe albũ, uerumq; eſſe,ſi dicatur non albũ:hoc enim eſt,eſſe non album,ſed uerum eſſe dicere, eſt album,uel non album,idem modus eſt. Confirmando enim utraq; per primã figurã oſtenduntur:nam Verũ eſſe,

& Eſſe, in eodem ordine habeantur: huius enim, Verum eſt dicere album eſſe, non ea negatio eſt, quæ ait, Verum eſt dicere non album eſſe: ſed hæc, Non uerum eſt dicere album eſſe. Si enim quicquid eſt homo, id muſicũ eſſe, aut non muſicum eſſe, uerum eſt dicere: quodcunq; fuerit animal, id quoq; muſicum eſſe, aut non muſicum eſſe capiendũ eſt, idq; fuit demonſtratum. Non eſſe autem muſicum quicquid homo fuerit, refutando tribus modis prædictis demonſtratur.

LOCVTVS eſt de propoſitionibus, quæ ſine ſigno ſunt, nunc de illis, quæ determinationem habent, uerba facit: oſtenditq; ſimplicis affirmationis negationem eſſe ſimplicem negationem.

Liquet eundem non eſſe utriuſq; demonſtrandi modum. Id eſt, non uno, & eodem modo ratiocinationis ſimplex negatio demonſtraretur, & ſi reſolueretur affirmatio non ſimplex, ſed ſimplex negatio ex neganti ratiocinatione demonſtrabitur, & rurſus in negantem ratiocinationem reſoluetur, at non ſimplex affirmatio per aientem demonſtrabitur ratiocinationem, & in aientem poſtea reſoluetur,

Omne animal album non eſt. Pro eo ſumendum eſt, ac ſi diceretur, Omne animal album eſt.

Quod animal eſt, non eſt album. Negatio eſt ſimplex, quæ idem ualet, atq; Nullũ animal album eſt.

Vel contingit non eſſe album Affirmatio non ſimplex, quæ huic, contingit nihil eſſe album, par eſt. quare affirmatio per ratiocinationem aientem, negatio autem per negantem demonſtranda eſt: cumq; dicitur, uerum eſt non albũ eſſe, eſt non ſimplex affirmatio. hęc enim uerba, Hoc enim eſt non eſſe album: declarant, ut uerum eſt dicere, eſt albũ, quę eſt ſimplex affirmatio, ita etiã uerum eſſe, ſi dicatur, non album eſſe, quæ affirmatio non ſimplex eſt, ac per eundem modum ratiocinationis, aut per primũ primæ figuræ demonſtrabitur. Verum autẽ, & Contingit, in eodẽ ordine cum Eſt, collocãtur: ut enim in propoſitionibus in quibus Eſt, tertiũ ponitur, ipſum Eſt, cum ſumit Non, negationem, negantiã facit, ita etiam in propoſitionibus, quę modũ habent, ipſe modus Non aſſumẽs negationem facit: Verum, Scit, Contingitq;, modi ſunt.

Si enim quicquid eſt homo, id muſicum eſſe, uerum eſt dicere. hæc ita ſunt intelligenda perinde, ac ſi diceretur, Omnis homo muſicus eſt: quæ eſt quæſtio ſimplex aiens.

Aut non muſicũ eſſe. pro eo, quod eſt, Omnis homo non muſicus eſt, capiatur oportet, quę eſt nõ ſimplex uniuerſalis affirmatio. utræq; enim per primũ modũ primæ figuræ per intermediũ animalis demoſtrãtur.

Non eſſe autem muſicũ quicquid homo fuerit. Sumendum eſt, tanquã diceretur, Nullus homo muſicus eſt, quę eſt negans uniuerſalis propoſitio, demõſtraturq; ex confutatione, & ratiocinatione neganti tribus in modis, uno in ſecundo modo primæ figuræ, poſtea per primum, & ſecundum medię figurę, & omnis homo muſicus demonſtratur, ſi omne animal muſicum capias: minorem autem propoſitionem ſilentio inuoluit. Illud autem, Nullus homo muſicus eſt, demonſtrabis, ſi nullum animal muſicum eſſe dixeris.

Ad ſummam autem quando A & B ſic ſe habent, ut ſimul eidem non contingant, ſed alterum omni neceſſario cõtingat ad hæc C & D ſimiliter & A ſequatur C, nec reciprocetur, & D quoque ſequetur B, nec reciprocabitur: & A & D eidem ineſſe contingunt, B autem & C non contingunt. Primùm igitur B ſequi D hinc patet, quoniam eorum quæ ſunt C D, alterum ex neceſsitate omni ineſt: cui autem B ineſt, non contingit C, propterea quod A ſimul infertur. A autem & B non contingere eidem, perſpicuum eſt: id quod fit, quoniam D ſequetur.

NON ſimplicium propoſitionum, quas ex tranſpoſitione nominant, iterum conſecutionem cum ſimplicibus, tractandã ſumit: cumq; ſuperius de materia quadã, ligno ſcilicet, tractarit, cùm diceret Eſt lignum album, Non eſt lignum album: hic demonſtrationem magis generalem facit, cùm A, B, C, D elementa ſumit: permittit eos terminos accipere, quos quiſq; uoluerit. Oſtendit etiam, Negationes ſequi affirmationes, nec reciprocari: ac fieri quoq; non poſſe, ut affirmationes ſimul ueræ ſint, negationes uerò nonnunquam poſſe. Tres igitur ſubiectiones capit, una eſt, ſi A & B repugnanter opponuntur, ſit A non æquale, B æquale, non contingit ſimul ueras eſſe, ſed omnino ſi altera uera ſit, alteram eſſe falſam contingit. Item ſi C D repugnanter oppoſita ſint, ſit D non inæquale, id eſt non eſt inæquale, C uero, eſt inæquale, horum alteram ſemper ueram, alteram falſam eſſe neceſsitas cogit. Altera eſt, ſi A ſequitur C, & non reciprocatur, D ſequetur B. & non reciprocabitur. Tertia autem ſubiectio hæc eſt, A D, hoc eſt, negationes ſimul de eodem ueræ ſunt, B C hoc eſt affirmationes ueræ non ſunt. ac primum demonſtrat D ſequi B, ſi enim C D repugnanter opponuntur, ſi D non ſequitur B, ex neceſsitate ſequetur C. Subiectum autem eſt A ſequi C, quare ſi A ſequitur C, C autem B, A ſequetur B, ſed fieri nequit, ut A ſequatur B, quoniam ei repugnanter opponitur. Et quoniã id, quod fieri non poteſt, accidit, ſi ponatur C ſequi B, D, quod reliquũ eſt, ſeq̃tur B, C autẽ non cõtingit, ut illud ſequatur, quod B, propterea quod A ſimul infertur, id eſt, quia A ſequi C poſitũ eſt.

Quia item A & C non reciprocantur, contingitq; A & D omni uel C, uel D, eidem ineſſe, B autem, & C non contingit, eo quod A conſequitur C, quiddam enim efficitur ex ijs, quæ fieri non poſſunt: igitur perſpicuum eſt B cum D non reciprocari, quòd A & D ſimul ineſſe contingat.

DEMONSTRATVRVS eſt hoc loco A, & D ſimul ueras eſſe, quod ita probat: Si C D, repugnanter opponuntur,

nuntur, & de omni alterum ipſorum uerum ſit,ſi C non ſequitur A, D ſequetur A, & ſimul uerum erit. Demonſtratum eſt A, & D negationes ſimul ueras eſſe. at B, & C affirmationes ueræ eſſe ne unquam quidem poſſunt:propterea quod A ſequitur C. nam ſi conceſſerimus C uerum eſſe cum B, & A cum C, eueniet quippiam, quod fieri nequit, A inquam, & B in repugnantia uera eſſe:ſed nec B cum D uerum erit,quoniam D, & A ſimul uera ſunt.quare ſi B ſimul cum D uerum eſt, D autem cum A, & B cum A uerum erit, A enim repugnat B: fieri igitur non poteſt,ut ſimul uera ſint.

Accidit quandoq;,ut in eiuſmodi terminorum ordine fallamur,quod oppoſita, quorum alterum omni ineſſe neceſſe eſt,non rectè ſumantur:ut ſi A & B ſimul eidem non contingunt,& cui alterum non ineſt, alterum inſit neceſſe ſit. Præterea C, & D ſimiliter. quod autem C, idem omne ſequitur A, fiet,ut cui inſit D, eidem B inſit neceſſario,quod falſum eſt, ſumatur enim negatio ipſorum A B, quæ in F ſit,& rurſus ipſorum C D, quæ in H exiſtat,neceſſe eſt, ut omni uel A, uel F inſit, uel enim affirmatio, uel negatio erit, præterea uel C, uel H: affirmatio enim erit, & negatio & cui C omni A ſubiicitur:quare cui omni F, H etiam inerit. Rurſus quoniam eorum,quæ ſunt F B, omni alterum eorum etiam,quæ ſunt H D ſimiliter:ſequitur autem H id, quod eſt F, id.ꝑ quod eſt B ſequitur D, hoc enim compertum eſt nobis. ergo ſi A ſequitur id, quod eſt C, id quoq; quod eſt D ſequetur B: hoc autem falſum eſt.Econtra enim erat in iis,quę ſic ſe habent,conſequentia:non enim fortaſſe neceſſarium eſt,ut A uel F omni inſit,neq; ut F uel B, cùm F ipſius A negatio minime ſit, Boni enim Non bonum negatio eſt: non autem idem,ſi dicamus,Non eſt bonum,& Neq; bonum,neq; non bonum,eſt.Simili quoq; modo in C D, nam negationes acceptæ duæ ſunt.

CVM demonſtrarit negationes reciprocando ſequi affirmationes, uidelicet ſimplicem negationem ſequi affirmationem non ſimplicem, negationemq; non ſimplicem ſequi ſimplicem affirmationem, nunc errorem, ac fallaciam quandam declarat, cuius auxilio multi conati ſunt ſimplicem negationem ſequi affirmationem non ſimplicem demonſtrare: atq; etiam ſimplicem affirmationem ſequi negationem non ſimplicem: quam quidem fallaciam poſtea refellit, & confutat. Capiatur igitur A, non eſt bonum, B eſt bonum, dicaturq; F, & utraq; A B, uidelicet ſeparatim repugnanter opponi. F ſcilicet negatio horum eſt:neq; eſt bonum,neq; non eſt bonum.Præterea cape C eſt non bonum,& D non eſt non bonum,negationem autem duorum,& utrumq; ſeparatim H, uidelicet neq; eſt non bonum, uel non eſt non bonum.Demonſtrando autem B ſequi D, operæpretium fuit demonſtrare H ſequi F. & in huius demonſtrationem ſumitur,ſi negatio,hoc eſt H non ſequitur F, affirmatio uidelicet C ſequetur. Sed A ſequi C demonſtratum eſt prius: quare ſi A ſequitur C, D C, ut tu inquiſti, ipſum F ſequentur:igitur ſequetur etiam F. fieri enim non poteſt,ut repugnantia ſimul de eodem uera ſit. A enim, & F repugnanter opponuntur:cumq; id,quod fieri nequit,ex eo inducatur,quod C ſequi F, conſtituatur:reſtat,ut H ſequatur F. Quoniam igitur fuit demonſtratum,ut H ſequitur F, neceſſarium eſſe,ut B ipſum D ſequatur (de omni enim uel B, uel F, demonſtratum enim eſt H ſequi F) igitur H ſequetur D. repugnantia enim uidelicet D H, ſimul uera eſſe de eodem non poteſt,& id,quod fieri nequit illatum eſt,propterea quod ſubiectum eſt, quemadmodum F ſequitur D, ita etiam B, hoc eſt affirmationem ipſum D ſecuturam eſſe.probatum igitur eſt ſimplicem affirmationem negationē non ſimplicem ſequi:ſed prius poſitum eſt,ſimplicem negationem ſequi affirmationem non ſimplicem.Simplices igitur propoſitiones ſequuntur eas,quę non ſimplices ſunt.Euenit enim ut in eiuſmodi ordine,& cōſequentia terminorū decipiamur, dicamusq; ſimplices ſequi eas,quæ ſunt commutatæ, propterea quod oppoſita,uidelicet propoſitiones repugnanter oppoſitæ non rectè captæ fuerint; non enim rectè capitur F negatio A B, & H negatio C D. Ac cùm dicere uellet, ordinem propoſitionum, dixit ordinem terminorum, capiendo elementa, hoc eſt A B, & reliqua in domonſtrationem.

Vt ſi A & B non contingunt ſimul in eodem. Tres etiam à principio ſubiectiones cepit, quibus ſubiectis recta propoſitionum conſequentia fuit demōſtrata:uidelicet negationes ſequi affirmationes dum reciprocantur.Deinde his ſubiectionibus falſam ſubiectionem addit, ex qua fallacia orta eſt. Scimus enim id induci,ſi C ineſt F, & B D.

Non enim fortaſſe neceſſarium eſt. Addidit Fortaſſe, ex modeſtia phyſica, perinde ac ſi diceret,ut mea fert ſententia,non enim cenſeo ita ſe habere,ut nunc ſtatui,quoniam male ſumptum eſt, F eſſe negationem A B: & H eſſe negationem C, D: nam B, hoc eſt huius,Eſt bonum, non eſt negatio F. fieri enim non poteſt,ut ſit aliquid,quod neq; bonum ſit, neq; non ſit bonum: horum enim alterum omni ineſt eius, quæ eſt B: negatio proprie eſt hæc, Non eſt bonum.Simili quoq; modo neq; A, hoc eſt huius,Non eſt bonum,negatio eſt F. comprehenſum enim eſt A in F:nam Non eſt bonū,idem eſt,ac Neq; non eſt bonum: Eodem etiam modo H non demonſtrabitur negatio, uel C, uel D: error enim commiſſus eſt, eo quòd H acceptum eſt pro negatione C D, & F pro negatione A B duæ enim erant negationes ab illis ſumptæ H, & F, quas non eſſe negationes demonſtrauimus.

MAGENTINI IN PRIORA ARISTOTELIS ANALYTICA EXPLANATIONIS LIBER SECVNDVS.

Ioanne Baptiſta Raſario Interprete.

IN QVOT igitur figuris, ex quibusq́, & quot propoſitionibus, & quando, ac quonam pacto fiat ratiocinatio: quæ præterea probanti, ac refellenti uidēda ſint: & qualiter in unaquaq; arte de propoſita re quærere oporteat: qua deniq; uia, quæ principia ex ijs, quæ in ſingulis rebus ſunt, accipiamus, iam dictum eſt nobis. Quoniam è ratiocinationibus aliæ ſunt Vniuerſales, Particulares aliæ: omnes Vniuerſales plures ſemper concluſiones inferunt: ex Particularibus aientes quidem plures, negantes uerò unam ſolam ratiocinantur. Omnes enim propoſitiones, præter particularem priuantem reciprocantur. At concluſio aliquid de aliquo eſt: ex quo fit, ut à cæteris ratiocinationibus plures concluſiones inducantur: ut ſi A omni, aut alicui B ineſſe demonſtratum ſit, B alicui C inſit neceſſe eſt: ſicq; A nulli B ineſt, B itidem nulli A ineſſe concludetur: hoc autem à priori diuerſum eſt. Si A alicui B non inſit, B identidem alicui A non inſit neceſſe eſt: efficitur enim omni ut inſit. Hæc igitur eſt communis omnium & uniuerſalium, & particularium cauſa: ſed de uniuerſalibus alteram quoq; licet afferamus: Omnium enim, quæ aut ſub medio, aut ſub concluſione ſunt conſtituta, eadem erit ratiocinatio. At ſi illa in medio, & hæc in concluſione, ut ſi A B concluſio per C colligatur, quæcunq; ſub B, aut ſub C ſunt, A de omnibus dicatur neceſſe eſt: nam ſi D in toto B, & B in toto A, B quoq; in toto A erit. Præterea ſi B in uniuerſo C, & C in A, B in uniuerſo A itidem erit. Vno, eodemq; modo, ſi ratiocinatio priuans fuerit.

HVIVSCE tractationis argumentũ uariè, ac diſsimiliter ueteres interpretes poſteris prodidere. Proclus autem inquit, In iis, quæ ante ſunt dicta, formam ratiocinationum, hoc eſt concluſionem tractatam fuiſſe in quibus docti ſumus qualis, quantaq́; concluſio ex duabus aientibus, uel ex una negante, & altera aienti debeat inferri: hic autem de ratiocinationis materia, uidelicet de propoſitionibus doctrinam nobis dari. Sed apertiſsimè mentitur: quoniam in capite de copia propoſitionum, diſcendi uiam præbuit, & propoſitionum inueniendarum rationem. Marinus dixit, hoc altero libro Ariſtoteli propoſitum eſſe, ut de iis agat, quæ ad dialecticen cõferunt. At quænam ea ſunt? Hæc nimirum: Ex falſis propoſitionibus ueram concluſionem inducere. Principium petere. Inductio, & alia nonnulla. At hic non minus mendacium dicit: ac primum quidem, quia dialecticus non propoſitiones falſas, ſed probabiles capit, deinde quod non ſtatim de dialectica, ſed demonſtrationem docet. Alexander meliuſcule quidem ſentire uidetur, ait enim doceri nunc ea, quæ relicta ſunt, cùm uia ratiocinandi traderetur. Sed hoc itidem eſt falſum: Omnia enim, quæ ad ratiocinandi uiam pertinent, tradita ſunt, nec quicquam omnino prætermiſſum. Nos uerò cenſemus Ariſtotelem hic docere ea, quæ ratiocinationi demonſtratiuæ ſunt impedimento, quæq́; illam perfici non ſinunt. Hæc autem ſunt: È propoſitionibus falſis ratiocinari, Propria demonſtratio, Principium petere, Inductio, Coniectura, & Signum. Quemadmodum enim Medici non ſolùm eorum, quæ ad conſeruandam ualetudinem conferũt, ſed etiam peſtiferorum medicamentorum uim docent, magis id adeo, ut illi qui curant, ea uitent, quàm ut illis utantur: ita etiam Ariſtoteles in hac tractatione nobis doctrinam fecit illorum, quæ commemorauimus, quò demonſtrantes iis non utamur, quæ demonſtrationem, ne fiat impediunt.

Igitur in quot figuris. In tribus uidelicet: alteram facit eorum, quæ in ratiocinatiuo tractatu docuit, Perorationem. Figuræ autem tres ſunt, nec plures: quoniam tres quoque ſunt ratiocinationum ſpecies, Demonſtratiua, Dialectica, & Sophiſtica. Ac prima quidem figura utilis ad demonſtrationem eſt: uel ex eo, quòd in ea ſolũ Omni concluditur, quodq́; is, qui demonſtrat, ut plurimũ probat, rarò confutat, ac refellit. Secunda uſui eſt nobis ad dialecticē: ſemper enim dialecticus refutat. Atq; in ſecunda figura concluſiones omnes negantes ſunt. Tertia demum nobis ad fallaces concluſiunculas conducit: Sophiſtæ enim particularia inferunt, concluſionesq́; particulares in tertia etiam figura inducuntur. Vel quoniam ratiocinatio per medium terminum fit, medius autem tribus capitur modis: uel enim proprium Ordinem ſeruat,

& ei,

& ei,quod eſt,medius eſt,adeo,ut uni extremitati ſubiiciatur,de altera enuncietur,primamq́; figuram efficiat. Prima enim appellatur, quoniam præſtantior eſt, quatenus in ipſa medius terminus uni extremitati ſubiicitur,propriumq́; ordinem ſeruat,& quod in ipſam quæſtiones omnes reducūtur:uel de utriſq; extremitatibus enunciatur,& ſecundam figurã facit:uel utriſq; ſubiicitur,& tertiam conſtruit. Aliam quoq; cauſam afferre operęprętium eſt: Animę quinq; facultates ſunt,quę in cognitione uerſantur Mens, Intelligentia,Opinio,Cogitatio,& Sēſus. Mens autē non ideo ratiocinatur,ut melius omnia cognoſcat,quàm per demonſtrationē,nam abſq; & tēpore,& parte ſimplicibus rationibus omnia cognoſcit,tanquã eorũ omnium quæ ſunt,in ſe ſpecies habeat. Atqui nec Senſus ratiocinatur,cùm pręſertim omnia particularia,ex quibus ratiocinatio non cōſtat,ſuſcipiat. Vno eodemq́; modo Cogitatio nequaqam ratiocinatur, quoniam ſenſus cogitationi præbet ea,in quibus eam dictum eſt uerſari,quę uerò à ſenſu ad cogitationem tranſmittuntur, particularia ſunt, è quibus ratiocinatio non conſlatur : dicitur enim Cogitatio φαντασία, quaſi φαοστασία quædam,id eſt ſtatio eorũ,quæ apparent,& uidentur:nam quæcunq; ſenſus in illam tranſmiſit, in ea ſtant, quieſcunt,& conſeruantur. Reſtat igitur,ut Intelligentia ſola ratiocinetur:quę ſi à mente terminos accipit, demonſtratiuam ratiocinationem facit:ex quo etiam intelligentia mentis beneficio dicitur ratiocinari,hoc eſt à mente terminos accipere. Verùm ſi intelligentia ab opinione terminos ſumat,dialecticam efficiet ratiocinationem, quæ ex propoſitionibus ambiguis,& probabilibus conſtat. Ex quo fit, ut Opinio uocetur: ambigit auem,& dubitat de rebus,nec exquiſitã earum habet cognitionem,& comprehēſionem. Si autem à phantaſia terminos capiat, ſophiſticam ratiocinationem conficiet , utpote quæ particularibus è propoſitionibus conſtituatur:quoniam phantaſia errantia,& falſa docet:fingens enim olera excedere terram, maiora terra opinatur. Ea igitur ratione olera maiora ſunt,quàm terra:non tamen diſcernit excedens,ſi pondere,& magnitudine ſuperet, maius eſſe eo, quòd ſuperatur. Si uerò quatenus extra porrigitur excedat,& ſuperet,nequaquam neceſſe eſſe,ut ſuperato maius ſit.

Per qualesq́;. Hoc eſt per duas aientes uniuerſales,uel negantes,& aientes. Et quot:hoc eſt per duas. Et quando:cùm uidelicet medium uni ſubiicitur,deq́; altero dicitur:uel cum de utriſq; enunciatur, uel cùm ambobus ſubiicitur. Ac quonam pacto:hoc eſt,ſi medium cum extremitatibus cōplicetur, ſicq́; duas extremitates inducat. In capite autem de Propoſitionũ copia,nos docuit in quæ reſpicere debeat is,qui componit,& confirmat,in C uidelicet,atq; F : is uerò,qui infirmat,in D F. Igitur in eo capitulo diſcendi uiam præbuit,quonã pacto propoſitiones quærere oporteat,& eas de propoſita controuerſia inuenire in quacunque ratione & ſcientia,uel arte. In quali enim cumq; quęſtione ex qualibet arte uel ſcientia propoſita ſiue ad medicinã,geometriamúe,aut ad naturæ cognitionem pertineat,illinc copia propoſitionum ſibi pro demōſtratione ſuppetet. In capite de Ratiocinationum reſolutione,docuit quanam uia,& ratione propoſitæ quæſtionis propoſitiones inueniremus. Sæpe enim concluſionem tantummodo pronunciamus,propoſitioneſq́; ſilentio inuoluuntur,ſæpe etiam unam è propoſitionibus & concluſionē. In præſenti autem tractatione docet,quomodo omnes uniuerſales ratiocinationes plures concluſiones per conuerſionē inducant,ut A omni C , C omni B , A igitur omni B. hæc una cōcluſio ab acceptis propoſitionibus fuit illata. at quoniam Omnis,in hanc Aliquis,conuertitur, alterã quoq; concluſionem induces, hanc uidelicet , B alicui A , quæ illata non fuit ex propoſitionibus,quæ fuerãt captæ, ſed ex concluſionis reciprocatione eandem ſeruat regulam Nullus. E ratiocinationibus particularibus illæ,quæ enunciantes ſunt,plures concluſiones per conuerſionem inducunt,ut A omni C, C alicui B , igitur A alicui B : hæcq́; concluſio ab aſſumptis propoſitionibus inducta fuit. B autem alicui A , per conuerſionem concluſionis,non autē à propoſitionibus, quas acceperamus, intulimus. Negantes particulares, quæ Non omni inferunt,unam tantum concluſionem , A uidelicet non omni B per mediũ C inducunt:ut, A nulli C , C autem alicui B , A igitur non omni B. priuans enim particularis in aliquid determinate non conuertitur,quod in cauſa eſt,ut nulla alia concluſio in ratiocinatione particulari negante ex reciprocatione poſsit inferri.

Concluſio autem aliquid de aliquo eſt. Hæc obiectionis eſt refutatio, ac ſolutio:nam cum Ariſtoteles dicat,alteram concluſionem in ratiocinatione neganti nequaquam inferri, propterea quòd Non omnis non conuertatur:fortaſsis in eum aliquis inſurgeret, diceretq́;, hanc Non omnis reciprocari uel in ſeipſam, uel cum Aliquis,uel in Omnis,uel in Nullus. Philoſophus igitur inquit,& ſi hæc Non omnis,conuertitur, eam tamen indefinitè conuerti:incertum enim eſt, ſi hæc A non omni D , ſuſceptura eſſet conuerſionem, quomodo nam conuerteretur. Concluſio autem per cōuerſionem facta aliquid de aliquo eſt:id eſt determinata eſſe debet,non autem infinita.

Quare alię ratiocinationes. Vniuerſales inquam & particulares aientes plures inferunt concluſiones, alteram ex propoſitionibus acceptis,alteram ex concluſionis reciprocatione.

Sicq́; Nulli B ineſt A , B itidem nulli A. hoc autem à priori diuerſum eſt. Eſt hæc obiectionis diſſolutio.quomodo inquis ratiocinationē multas concluſiones inferre,ſi ratiocinatio ratio eſt,in qua nonnullis poſitis diuerſum quiddam ab iis,quæ poſita ſunt,neceſſariò efficitur:Cùm autem dicit, Diuerſum,indicat ab omni ratiocinatione unam concluſionem inferri. Confutans igitur obiectionē ait. Non repugno mihi ipſi,hic enim una concluſio eſt ex aſſumptis propoſitionibus illata , A uidelicet nulli B : alia uerò, B inquam nulli A , non ex propoſitionibus captis,ſed per concluſionis reciprocationem inducta fuit.

Si A alicui B non inſit. Hoc eſt,Si A omni B non neceſſe eſt reciprocari,ut dicatur B nō omnni A:contin

git

git enim A omni a ineſſe:nam ſi homo non omni animali,animal tamen omni homini ineſt.

Hæc igitur eſt communis omnium & uniuerſalium,& particularium cauſa. Hoc eſt, ratiocinationes uniuerſales,& particulares aientes id commune habent inter ſe,ut plures cõcluſiones inducant:nam ex complexione minoris termini alteram concluſionem inferes, atq; ex connexione medii aliam:præterquam quod concluſiones omnes inferentur in prima quidem figuta per eandemmet primam,per quam & prima ratiocinatio fuerat facta. Accipe A ſubſtantiam, C animatum, E ſenſus particeps, a ratione utẽs, n hominem:prima ratiocinatio hæc eſt:Subſtantia omni animato,animatum omni ratione utenti, & ſubſtantia omni ratione utenti,quæ ſanè ratiocinatio prima eſt:& quoniam minor terminus, Ratione utens uidelicet,hominem continet,ex ea comprehenſione aliam inferre concluſionem poteris,Subſtantia omni rationis participi,rationis particeps omni homini,ſubſtantia igitur omni homini. Quin etiã cùm medius terminus Animatum in ſe contineat ſenſus particeps,aliam quoq; concluſionem inferes,Subſtantia omni animato,animatum omni ſenſus participi, ſubſtantia igitur omni ſenſus participi. Vno eodemq́; modo à negante plures concluſiones inferentur, quarum hæc eſt prima: Senſus particeps nulli ſenſus experti, ſenſus expers omni lapidi,ſenſus igitur particeps nulli lapidi. Cumq́; lapis magnetem contineat,aliam hoc pacto concluſionem induces, Senſus particeps nulli lapidi, lapis omni magneti, ſenſus igitur particeps nulli magneti. At quoniam medius terminus,uidelicet Senſus expers,in ſe inanimatum cõplectitur, alia concluſio inferetur,Senſus particeps nulli ſenſus experti,ſenſus expers omni inanimato, & ſenſus particeps nulli inanimato. In ſecunda autem,ac tertia figura non per eandem figuram concluſiones omnes inferentur,ſed per alias,atq; alias,ut illatum eſt in ſecunda Lapis nulli homini,per medium animalis. Quod autem ſub minore termino,uidelicet Homine,continetur,uelut Grammaticum in prima figura ita inferetur: Lapis nulli homini,homo omni grammatico,lapis igitur nulli grammatico. Eodem etiam modo Rationis particeps ſub medio animali contentum in prima figura ita inducetur: Lapis nulli animali,(nullus enim in ſeſe reciprocatur)animal omni rationis participi,lapis igitur nulli rationis participi.

In ſecunda autem figura illud ſolum poſſumus in ratiocinationem adducere, quod ſub concluſione continetur:ut,ſi A nulli B, omni autem C, B nulli C cõcludetur. Si uerò D ſub C eſt,patet B eidem non ineſſe. Per ratiocinationẽ uerò nequaquã clarum eſt,utrum ijs,quæ ſub A ſunt B non inſit, atqui non ineſt E, ſi E ſub A eſt. nulli autẽ C ineſſe B per ratiocinationẽ fuit demonſtratũ, A uerò uon ineſſe,ſine demonſtratione ſumptũ fuit,quare per ratiocinationẽ B non ineſſe E non contingit. In particularibus autem eorũ,quæ ſub concluſione ſunt,neceſſarium non erit:non enim ratiocinatio fit,quando ea in parte fuerit accepta. Eorũ autem quę ſunt ſub medio, erit omniũ,at non per ratiocinationẽ:ut ſi A omni B, & B alicui C: nam eius quod ſub C poſitum eſt,ratiocinatio nõ erit:eius uerò,quod ſub B eſt,erit:non tamẽ per eas ratiocinationes, quæ factæ erant prius. Conſimiliter alijs in figuris eius autẽ quod ſub cõcluſione eſt, non erit:alterius uerò erit,ſed non per ratiocinationẽ. In uniuerſalibus quidem ex propoſitione non demonſtrata, ea quæ ſub medio ſunt demonſtrabantur:quare uel neq; illic,uel in his etiam erit.

RATIOCINATIO in ſecunda figura eius tantum erit,quod ſub cõcluſione eſt:ideſt eius, quod ſub concluſione continetur, erit ratiocinatio propoſitionis per ratiocinationem demonſtratæ: nam Lapis nulli homini,maior propoſitio,concluſio erat ſecundæ figuræ: omnis enim concluſio per ratiocinationem fuit demonſtrata.

Iis,quæ ſub A ſunt. Id eſt,concluſio eorum,quæ ſub medio termino primæ comprehenduntur, uidelicet Lapis nulli animali,illata à maiori propoſitione,non fuit demonſtrata prius per ratiocinationem,ſed ſine demonſtratione ſumpta eſt. Atqui non ineſt E. Hoc eſt, a lapis ineſt nulli E, ideſt ratione utenti,propterea quòd E ſub A eſt:cumq́; B remoueatur ab A, ideſt ab animali,ab E quoq; hoc eſt rationem habente remouebitur. Sed B nulli C ineſſe per ratiocinationẽ ſecundæ figuræ fuit demonſtratum, hæcq́; concluſio a nulli C ſecundæ eſt figuræ,maior autem propoſitio huius concluſionis, Lapis nulli grammatico,capta eſt. a autem nulli A ineſſe,quæ maior propoſitio eſt huius,Lapis nulli E, hoc eſt rationis compoti,non demonſtrata eſt: quare a nulli E ineſſe non inductum eſt per ratiocinationem,hoc eſt non fuit illatum ab aliqua propoſitione per ratiocinationem demonſtrata. In particularibus autẽ ratiocinationibus eorum,quæ ſub concluſione continentur,nulla neceſſaria concluſio infertur. Ex quo fit,ut ratiocinatio quoq; non fiat. idq́; ob eam cauſam,quod maior propoſitio particularis eſt.

Eorum autem,quæ ſub medio continentur, erit ratiocinatio, at non per ratiocinationem. Hoc eſt concluſio eorum,quæ ſub medio continentut, per propoſitionem ab aliqua ratiocinatione demonſtratam non infertur.

Quare uel neq; in illis. Hoc eſt,in ratiocinationibus uniuerſalibus concluſio eius,quod à medio continetur, ex propoſitione demonſtrata ſequetur: idq́; in particularibus ratiocinationibus nequaquam fiet. Si uerò in illis ratiocinationibus uniuerſalibus concluſio eius,quod à medio continetur, ex demonſtrata propoſitione fuerit illata: in particularibus itidem ratiocinationibus ex demonſtrata propoſitione concluſio inferetur eius,quod eſt ſub medio comprehenſum.

Itaque propoſitiones, per quas ratiocinatio fit, ita ſe habere poſſunt, ut & ueræ & falſæ ſint. Quinetiam fieri poteſt, ut hæc uera, hæcq́; ſit falſa. At concluſionem uel ueram eſſe, uel falſam, neceſsitas cogit. Cum igitur falſum ex ueris ratiocinari nequeamus, ex falſis uerum ratiocinari poterimus, non tamen propter quid, ſed quia. Ratiocinatio enim, quæ eſt propter quid, ex falſis non conflatur, cuius rei cauſam paulo poſt afferemus. Hinc igitur primum liquido apparet, ex ueris non poſſe nos falſum ratiocinari: nam ſi cùm eſt A, neceſſe eſt eſſe B, ſi B non eſt, A itidem non eſſe neceſſe eſt. Ergo ſi A uerum eſt, B uerum eſſe neceſſum eſt: uel eueniet idem ſimul eſſe, & non eſſe: quod ſane fieri haud quaquam poteſt. Non enim putare debemus, propterea quòd A unus terminus ponatur, quidpiam neceſſariò ſequi, tãquam unum aliquid ſit, quoniam id fieri nequit: quod enim ſequitur neceſſario, concluſio eſt. Termini autem per quos ea fiat, non pauciores ſint, quàm tres. Interualla autem, & propoſitiones duæ. Si ergo neceſſe eſt A omni ei ineſſe, cui B ineſt, B autem cui C, neceſſe eſt A ineſſe ei, cui C, hocq́; falſum eſſe non poteſt: idem enim ſimul eſſet, & non eſſet. A igitur ut unum nequaquam pro duabus propoſitionibus coniunctis poſitum eſt. Non ſecus in priuantibus ſe res habet: non enim licet ex ueris falſum demonſtrare: uerum autem ex falſis ratiocinari permittitur, & cùm ambæ propoſitiones, & cùm earum altera falſa eſt, non tamen utrauis, ſed ſecunda: quæ ſi tota falſa capiatur, erit ea, quam quis uoluerit.

QVONIAM cõcluſio uera ex propoſitionibus falſis inducitur, fiet ratiocinatio Quia, non autem Propterquid: demonſtratiua autẽ ratiocinatio eſt Propterquid. Propoſitiones igitur falſæ, licet quandoq; ueram concluſionem inducant, demonſtratiuæ tamen ratiocinationi ſunt impedimento, ne concluſionem Propter quid inferat, quod eſt in cauſa, ut doceat, ex falſis nonnunquam ueram concluſionem inferri: ut is, qui demonſtratiuè ratiocinatur, animaduertat, ne propoſitiones falſas accipiat. Scias itaq; ex ueris propoſitionibus ſemper ueram concluſionem, ex falſis autem tum ueram, tum falſam induci: nam ſi concluſio falſa eſt, propoſitiones, ex quibus fuit illata, falſas eſſe neceſſe eſt. Si igitur concluſio uera eſt. Ita ſe habere poſſunt. ut uidelicet propoſitiones, ex quibus illata fuerit, ueræ ſint. Quin etiam fieri poteſt. Vt ſcilicet uel ſæpenumero ſint falſæ, plerunq; etiam altera uera, altera falſa ſit. Concluſionem autem ex falſis illatam uel ueram eſſe, uel falſam neceſſe eſt. Cùm autem medius terminus maiorem extremitatẽ non definit, tunc fit ratiocinatio Quia: ut, Homo rectè ambulans rationem habens, omnis igitur homo ratione utitur. Hominem quidem eſſe rationis participem induxiſti, at rationem cur ita ſit, non attuliſti: nam Recte ambulans, nequaquam in cauſa eſt, ut homo rationem habeat. Si uerò ita dixeris, Homo ratione utitur, Omnis ratione utens rationem habet, omnis igitur homo rationem habet: ipſum Propter quid, ideſt cauſam reddidiſti, quare homo rationem habeat: idq́; quoniam medius terminus eſt ratione utẽtis definitio. Hinc igitur primum liquido apparet. Ex hoc, inquit, manifeſtum eſt, ex ueris propoſitionibus ueram concluſionem inferri: ac pro rei demonſtratione accipit A duarum propoſitionum loco, & tanquam antecedens, B uerò tanquam concluſionem, & conſequens, ut etiam homo antecedens eſt, animal conſequens: & ut cùm homo eſt, animal itidem eſt: cumq́; animal non eſt, homo itidem non erit: ita etiam ſi A eſt, hoc eſt ſi propoſitiones ueræ ſunt, neceſſe eſt B, hoc eſt concluſionem ueram eſſe: cumq́; B non ſit, hoc eſt, ſi concluſio falſa ſit, neceſſe eſt A, hoc eſt propoſitiones falſas eſſe. Itaq; ſi propoſitiones ueræ fuerint, concluſionẽ quoq; ueram eſſe neceſſe eſt. Quòd ſi quis reſiſtet, ex ueris propoſitionibus falſam fieri concluſionẽ: accidet unam eandemq́; concluſionem ſimul eſſe, & non eſſe: hoc eſt, ueram eſſe, & falſam: ueram quidem ſecundum ſubiectionem, quæ ita eſt, Ex ueris uerè concluditur: falſam uerò ſecundum obiectionem repugnantis, qui inquibat, Ex ueris falſam cõcluſionem inferri. Si uerò dicatur, cùm A eſt, neceſſe eſt eſſe B, non opinetur quiſpiam A pro uno termino, uel una propoſitione captam, ſed pro duabus fuiſſe: deinde propoſitiones ueræ capiuntur, ueraq́; colligitur concluſio.

Si ergo neceſſe eſt A omni ei ineſſe, cui B ineſt. Hoc eſt, ſi A omni B uerè ineſt, B autem uere ineſt omni ei, cui C, ideſt omni C, A quoq; inerit omni ei, cui C ineſt, hoc eſt, omni C: nec fieri poteſt, ut A C falſum ſit, ne idem & uerum, & falſum eſſe cogatur. Verum igitur ex ueris illatum, falſum autem, ut tua fert obiectio.

A igitur ut unum. Id eſt, quod captum eſt, tanquam unus terminus, pro duabus propoſitionibus ponitur. Eodem modo in ratiocinationibus priuantibus, ſi propoſitiones ueræ ſunt, concluſio quoq; uera erit: ut, Lapis nulli animali, animal omni homini, & lapis nulli homini.

Non tamen utrauis, ſed ſecunda. Hoc eſt minor.

DE PRIMA FIGVRA.

INSIT enim B omni C, B autem nulli, nec B inſit C, id autem contingit ut animal nulli lapidi, necq; lapis ulli homini: igitur ſi A omni B, & B omni C capiatur, A omni C inerit: quare ex utriſq; falſis uera concluſio eſt, homo enim omnis, animal eſt. Priuans etiam eodem ſe habet modo. ſit enim nulli C nec A, nec B, A uerò omni B, ut ſi cum ijdem termini ſumerentur, homo pro medio poneretur: nulli enim lapidi nec animal, nec homo ineſt: animal autem omni homini, adeo ut ſi cui omni ineſt, nulli ineſſe, cui uerò non ineſt omni ineſſe ſumpſerimus, ex utriſq; falſis

falſis concluſio uera ſequetur. Item ſi utraq; falſa quadam in parte ſumatur conſimiliter demonſtrabitur: ſi autem altera falſa ponatur & prima tota falſa ſit, ut A B, non erit concluſio uera, B autem C erit. Totam uerò falſam contrariam dico: Vt ſi quod nulli ineſt, omni ineſſe, aut quod omni, nulli ineſſe capiatur: inſit enim A nulli B, B autem omni C: ſi ergo B C propoſitionem ueram ſumamus, & A B totam falſam, & omni B ineſſe A, fieri non poteſt, ut concluſio uera ſit: A enim nulli C, inerat, ſiquidem A nulli B, & B omni C inerat. haud ſecus etiã nec ſi A omni B, & B omni C ineſt. B C autem uera propoſitio ſumpta ſit, A B uerò tota falſa, & nulli B inſit A, concluſionem aio falſam fore. omni enim C ineſt A. ſiquidem A omni B, B autem omni C. eſt igitur perſpicuum, ſi prima tota falſa ſumatur, ſiue aiens ſit, ſeu negans, altera autem uera, non fieri ueram concluſionem poſſe: at ſi non tota falſa ſumpta fuerit, uera erit concluſio. Nam ſi A omni C, & alicui B, B autem omni C, ut animal omni Cygno, & alicui albo, album autem omni Cygno. ſi ſumatur A omni B, & B omni C, A omni C uere inerit: omnis enim Cygnus animal eſt. Similiter ſi A B priuans ſit. Fieri enim poteſt, ut A alicui B, nulli uerò C, B autem omni C inſit: ut animal alicui albo, niui uerò nulli, album autem omni niui. Si ergo ſumatur A nulli B, B autem omni C, A nulli C inerit. At ſi propoſitio A B tota uera ſumatur, B autem & C tota falſa, uera ratiocinatio fiet: nihil enim prohibet, quin A omni B, omniq; C, B autem nulli C inſit. ut omnes ſpecies quęcunq; eiuſdem generis mutuam quandam rationem, & uiciſſitudinem non habent: nam animal & homini, & equo ineſt, equus autem nulli homini ineſt. Si ergo ſumatur A omni B, & B omni C, concluſio uera erit, cùm præſertim B C propoſitio tota falſa ſit. Vno eodemq; modo cum propoſitio A B eſt priuans uniuerſalis, cõtingit A neq; B, neque C nulli ineſſe, & B nulli C. ut genus formis alterius generis diuerſum. Nam animal nec muſicæ, nec medicinæ ineſt, nec muſica medicinæ. Si ergo A nulli B, B autem omni C, ſumatur, uera erit concluſio. Siq; B C non tota falſa ſit, ſed in parte, erit itidem concluſio uera: nihil enim impedimento eſt, quin & B & C toti inſit, B autem alicui C, non ſecus, ac genus ſpeciei & differentiæ: nam animal omni homini, & omni terreno, homo autem alicui terreno, & non omni. Si ergo A omni B, & B omni C capiatur, A omni C inerit: quod quidem erat uerũ. Eodem modo cum particularis propoſitio eſt A, B, contingit enim A nec B nec C ulli ineſſe, B uerò alicui C, ut genus alterius generis ſpeciei & differentiæ: animal enim nec ulli prudentiæ, nec contemplationi ineſt: at prudentia alicui ineſt contemplationi. Igitur ſi A nulli B, B autem omni C, ſumatur, A nulli C inerit. hoc ſane uerum erat. Concluſionem ueram eſſe in particularibus ratiocinationibus contingit, & cum prima propoſitio tota falſa ſit, altera autem uera, & cum A B in parte falſa, B C autem uera, & A B uera, & particularis falſa ſit, cumq; utræq; falſæ ſint. nihil enim obſtat, A nulli B ineſſe, C autem alicui, & B alicui C ineſſe. ut animal nulli niui, albo autem alicui ineſt, & nix alicui albo. Si ergo nix medium & animal primum ponatur, & ſumatur A toti B ineſſe, B autem alicui C, A B tota falſa, B C uera, concluſio quoq; uera erit. Nec minus, cum propoſitio A B priuans eſt: poteſt enim A toti B ineſſe, & alicui C non ineſſe. B autem alicui C ineſſe, ut animal omni homini ineſt, quoddam uerò album non ſequitur, homo uerò alicui albo ineſt. Quare ſi, cùm homo medius ponitur, A nulli B, & B alicui C ineſſe ſumatur, cùm A B propoſitio tota falſa ſit, uera fiet concluſio. Si A B aliqua ex parte falſa, & B C uera ſit, concluſio uera erit: nihil enim uetat A & B alicui ineſſe. & B alicui C, ut animal alicui pulchro, &, alicui magno, & pulchrum alicui magno ineſt. Igitur ſi A omni B, & B alicui C capiatur, & A B propoſitio in aliquo falſa erit, B A autem uera, & concluſio uera. Sic quoq; fit, cùm A B priuans propoſitio eſt, nam ijdem termini erunt, & pariter ad demonſtrationem collocati. Si item A B uera, & A C falſa, concluſio uera erit: quoniam nequicquam impedit, quin A toti B, alicui autem C, & B nulli C inſit, ut animal omni Cygno, nigrori autẽ alicui, Cygnus uerò nulli nigrori. Quare ſi ſumatur A omni B, & B alicui C, uera erit concluſio, cùm B C falſa ſit. Ita etiam, ſi A B propoſitio priuans fuerit accepta. Fieri enim poteſt, ut A nulli B, & alicui C non inſit, & B nulli C: ut genus alterius generis ſpeciei, eiuſq; formis accidenti. nam animal nulli numero ineſt, albo uerò non alicui, numerus autem nulli albo: ſi ergo numerus pro medio ponatur, & capiatur A nulli B, B autem alicui C, A alicui C non inerit: quod quidem uerum fuit, cùm A B propoſitio uera, B C falſa ſit. Sin autem A B in aliquo ſit falſa, falſaq; B C, concluſio uera erit, cùm præſertim quicquam non obſtet, quin A alicui B, & alicui C utrique, B autem nulli C inſit: ut ſi B ipſi C contrarium ſit, & utraque eidem generi accidant: nam animal alicui candori, & alicui nigrori ineſt, candor autem nulli nigrori ineſt: ergo ſi ſumatur A omni B, & B alicui C, uera erit concluſio. Eodem quoq; modo ſi A B priuans fuerit ſumpta: nam ijdem termini, & pari ratione ad demonſtrationem ſuppetent. Vera itidem erit concluſio ex utriſque falſis. A enim nulli B, & alicui C, A uerò nulli C ineſſe poteſt. ut genus ſpeciei generis alterius, eiuſq; formis accidenti: animal enim nulli numero, alicui autem albo ineſt, & numerus nulli albo. Itaque ſi A ſumatur omni B, & B alicui C, concluſio uera erit, & ambæ propoſitiones falſæ: idem fit, cùm A B priuans eſt, nam nihil prohibet A toti B ineſſe, alicui autem C non

ineſſe,

ineſſe,& neq; B ulli C :ut animal omni Cygno, nigro autem alicui non ineſt. Cygnus uerò nulli nigro. Quare ſi ſumatur A nulli B, & B alicui C, A alicui C non inerit. ergo uera erit concluſio,falſæq; propoſitiones.

S I propoſitio maior omnino falſa eſt,minor autē omnino uera,concluſio falſa erit,quoniam maior minorem continet : at ſi maior in toto uera eſt, minorq́; in toto falſa, uera erit ob eandem cauſam concluſio. Verùm ſi propoſitiones non omnino,ſed aliqua in parte falſæ capiantur,licet utræq; in aliquo falſæ ſint,& quanquā maior aliqua ex parte falſa eſt,& minor in toto uera,concluſio uera eſt.Item etſi maior omnino uera,& minor aliqua in parte falſa eſt,concluſio uera erit. Ariſtoteles propoſitiones falſas capit, concluſionemq́; ueram inducit.Illi autem termini ſumendi ſunt,quibus,ſi falsò coniuncti fuerint,falſa concluſio inferatur:ut lapis omni homini,homo omni equo,lapis igitur omni equo.

Totam uerò falſam contrariam dico. Omnis, & Nullus, ut ſuperius docti ſumus, contrario nomine opponuntur:ex quo fit,ut ſi Nulli uerum ſit,uelut animal nulli lapidi,Omni falſum fiat : contrà,ſi Omni uerum erit,Nulli,quæ eſt ei contraria,omnino erit falſa. Periculum autem huiuſce rei in materia neceſſaria,& impoſsibili fieri poteſt,at in contingenti,& Omnis,& Nullus falſum dicūt.ut cùm Lapis nulli albo, falſum ſit,nequaquam uerum ſit Omni,ſed Alicui. Verùm ſi ſumpſeris Animal omni albo:& ipſa,& Nullus quæ contraria eſt,falſa erit:& Non omnis,uerum dicet.

Vt omnes ſpecies, quæcunq; eiuſdem generis mutuam quandam rationem, & uiciſsitudinem nō habēt.Hoc eſt,Si acceperis B equū,C hominē,quæ infimæ ſpecies ſint,nec ſubiectæ A,hoc eſt animali,

Vt genus formis alterius generis diuerſum. Muſice,ac Medicina ſpecies infimæ ſunt alterius generis,id eſt ſcientiæ,uel animalis.

At prudentia alicui contemplationi. Videlicet alicui ſcientiæ contemplatrici. Ex ſcientiis aliæ in Actione,aliæ in Contēplatione uerſantur.In Actione ſunt,uelut Morales, Ciuiles, & Domeſticæ, in quibus non ſolùm, quæ uirtutes iubent, ſiue ea de moribus informandis, ſiue de ciuitatibus gubernandis, ſeu de re familiari tuenda pertractent ſcire,ſed iis etiam uti neceſſe eſt. In Contēplatione uerò conſiſtunt, uelut Naturalis auditio, Tractatio de anima,de Cœlo,Geometria,Aſtronomia,Scientia eorū,quæ in ſuperna regione fiunt,Muſice:in quibus neceſſe ſolùm eſt cognoſcere,quæ ab illis decernuntur,& cenſentur,nō tamen ea exercere. Nam cœlum globoſum,animamq́; immortalem eſſe cognoſcere tantummodo quærimus,animam tamen facere,aut cœlum,nequaquā.Igitur in aliquibus ſcientiis contemplatricibus uſus prudentiæ non eſt,quod fuit in cauſa,ut Ariſtoteles in libris de Moribus ita ſcriptum reliquerit:Iuuenem, inquit,philoſophum illum quidem, ſed non prudentem uidebimus:quippe cùm prudentia ex multarū rerū uſu,& cognitione proueniat,ob eamq; cauſam ſenibus magis conuenire uideatur. Aſtronomiæ prudentia in iis ſpectatur,à quibus exercetur,quoniam ex multis obſeruationibus conſtat. Aſtronomi autē cùm ſæpe uideant ſtellam ueſpertinis temporibus orientem,& circa dimidium noctis occidentem, atque inſuper aliam in ipſa media nocte orientem,Solemq́; in principio ueris in Ariete eſſe, ex iis ſtellarum obſeruationibus,quæ uiciſsim tum deliteſcunt,tum ſeſe aperiunt,huiuſmodi præcepta nobis tradidere.

Nam animal nulli numero ineſt.Numerum hoc loco pro rebus numeratis intelligere non debemus, quoniam in quibuſdam illarum animal ſpectatur.Homo enim,Equuſq́;,& Bos numeri ſunt,ut res numeratæ : ſed Numerus ille intelligēdus eſt,qui in anima ineſt:nobis enim ineſt facultas numerandi.Quare dicitur Numerus,res numeratæ : & oratio prolata,res numerans,& uis animæ, per quam innatum nobis eſt, ut numerus. Numerus autem alicui albo. Hoc aūt loco huius Animal non omni albo : nam à Nullus, & Aliquis,Non omnis infertur.Dixit autem Animal alicui albo,quoniam Aliquis & Non omnis in materia contingenti parem uim habent.

SECVNDA FIGVRA.

EFFICITVR omnino,ut in media figura ex falſis uerū ratiocinari poſsimus,& cùm utræq; propoſitiones in uniuerſo falſæ capiātur,& cùm utraq; in parte falſa ſit : cùm præſertim hæc uera,illa falſa omnino exiſtat,licet utralibet falſa cōſtituatur. Atq; ſi ambæ quadam ex parte ſint falſæ,ſicq; hæc abſolutè uera,illa aliqua ex parte falſa ſit:demum ſi hæc omnino falſa, illa uerò aliqua in parte uera ſit.Id etiam in ratiocinationibus uniuerſalibus, & particularibus habet locum: nam ſi A nulli B,& omni C conuenit,ut animal nulli lapidi,& omni equo, ſi propoſitiones aduerſæ ponantur,capiaturq; A omni B,& nulli C,ex falſis omnino propoſitionibus concluſio uera ſequetur.Eodem etiam modo,ſi A omni B,& nulli C attribuatur : eadem enim ratiocinatio fiet.Præterea ſi altera in uniuerſo falſa,& altera tota uera ſumpta fuerit:nihil enim impedimento eſt,quin A omni & B,& C,B tamen nulli C inſit:perinde ac genus nō intermediis formis:nam animal omni equo , omniq; homini conuenit , & nullus homo equus eſt. Igitur ſi animal alteri omni,alteri nulli ineſſe capiatur,hæc tota falſa,illa tota uera erit:concluſio uidem uera fiet,ſi priuans fuerit ad utramuis collocata:ſi item altera falſa in aliqua parte,altera omnino uera : fit enim, ut A alicui B , omniq; C inſit , etſi B nulli C ineſt:quemadmodum animal alicui albo,& omni coruo , & album nulli coruo eſt. Si igitur A nulli B, & uniuerſo C ineſſe ſumptum fuerit, A B

propoſitio in aliqua parte falſa, & A C omnino uera erit, & uerum concludetur: ſicq; priuans mutetur, haud ſecus eueniet; etenim demonſtratio ex eiſdem terminis fiet: & ſi aiens propoſitio aliqua ex parte falſa, & priuans tota uera eſt: nihil enim obſtat A alicui B ineſſe, & uniuerſo C non ineſſe, & B nulli C attribui, ut animal alicui albo, & nulli pici, atque album nulli pici: quare ſi A uniuerſo B, & nulli C ineſſe capiatur, A B in parte falſa, A C in uniuerſo uera erit, & concluſio uera inferetur. Et ſi utræq; propoſitiones aliqua in parte falſæ ſunt, uera erit concluſio: efficitur enim, ut A, & B, & C alicui inſit: B autem nulli C attribuatur, ut animal & alicui albo, & alicui nigro, album uerò nulli nigro ineſt. Si ergo A omni B, nullicq; C ſumatur, ambæ quadam ex parte falſæ propoſitiones erunt, & concluſio uera conducetur. Idem fiet, ſi priuans in terminis permutetur. Id etiam in ratiocinationibus particularibus clarum eſt: nihil enim obſtat, cur A omni B, & alicui C inſit, & B alicui C non conueniat: ut animal omni homini, & alicui albo, homo uerò alicui albo nequaquam inerit. Itaque ſi A nulli B, & alicui C ineſſe ſtatuatur, uniuerſalis propoſitio omnino falſa, & particularis uera erit, ac cõcluſio uera inducetur. Simili modo ſi A B aiens aſſumatur. Fieri enim poteſt, ut A nulli B, & alicui C inſit, B autem alicui C non inſit: ut animal nulli inanimato, & alicui albo, & inanimatum alicui albo non inerit. Igitur ſi A omni B, & alicui C nõ ineſſe ponatur, A B propoſitio uniuerſalis omnino falſa, A C uera, & concluſio uera erit: etſi uniuerſalis uera, minorq; particularis falſa collocetur: nihil enim impedit A nec B nec C nulli ſequi, & B alicui C non ineſſe, ut animal nulli numero, nec inanimato ineſt, & numerus aliquod inanimatum non ſequitur. Si ergo A nulli B, & alicui C ineſſe ſtatuatur, & concluſio uera, & propoſitio uniuerſalis uera, particularis uerò falſa erit. Similiter ſe res habet, ſi uniuerſalis aiens poſita ſit. Fieri enim poteſt, ut A uniuerſo B, & uniuerſo C inſit: B autem aliquod C non ſequatur, ut genus ſpeciem, & differentiam: nam animal & totum hominem, & totum itioni aptum, & gradiens, homo uerò non uniuerſum gradiens ſequitur. Quare ſi A uniuerſo B ineſſe ſumatur, & alicui C non ineſſe, uniuerſalis propoſitio uera erit, & particularis falſa, ac concluſio uera. Patet etiam, ſi utræq; falſæ ſunt, concluſionem ueram fore: quoniam euenit A & B & C alteri quidem omni, alteri uerò nulli ineſſe, & B aliquod C non ſequi. Nam A nulli B ſi capiatur, alicui autem C non ineſſe, ambæ propoſitiones erunt falſæ, concluſio autem uera inferetur. Fit etiam eodem modo cùm uniuerſalis enuncians, particularis autẽ priuans fuerit: efficitur enim, ut A nullum B, & omne C ſequatur, & B alicui C non inſit: ut animal nullam ſcientiam, & omnem hominem ſequitur: at ſcientia non omnem hominẽ. Si igitur ſumatur A uniuerſo B ineſſe, & aliquod C non ſequi, propoſitiones falſas eſſe, & concluſionem ueram fore, perſpicuum eſt.

DECLARATIS coniugationibus, quæ in prima figura ex falſis propoſitionibus ueram concluſionem inferunt: nunc ad eas explicandas aggreditur, quæ in ſecunda figura ipſæ quoque non ſecus, quàm ſuperiores, ex propoſitionibus falſis uerum concludunt: eas ex diuiſione ſumit hoc modo. Falſæ propoſitiones, quæ generalem & ueram concluſionem inducunt, uel utræq; falſæ ſunt, uel altera uera, falſa altera: atq; eæ, quæ ex utriſq; falſis conſtant, uel utraſq; omnino falſas habent, maioremq́; negantem, & minorem aientem, uel contrà: uel utraſq; ex aliqua parte falſas, & maiorem negantem, minoremq́; aientem, uel econtrà, alteram omnino falſam, alteram ex parte quadam. Id quod fit dupliciter, & bipartito. Nam uel maior erit omnino, & minor aliqua ex parte, maiorq́; erit negans, & aiens minor: uel contrà etiam. Eæ uerò, quæ una falſa, & altera uera ſunt factæ, partim habent eam, quæ falſa eſt, omnino falſam, partim aliqua ex parte: & quæ habẽt ex aliqua parte falſam, habebunt maiorem quæ ita quoq; ſic: & quibus una omnino falſa eſt, iis minor erit uera: uel maior erit uera, & minor falſa. Præterea ex utriſq; iis aliæ habent maiorem negantẽ, & minorem aientẽ, aliæ non itemaliæ maiorem aliqua ex parte falſam, & minorem uel maiorem negantem, & minorẽ aientem: uel fiet ecõuerſo ita, ut maior uera ſit, minor ex aliqua parte falſa: uel ut maior ſit aiens, & minor negans, uel etiam contrà. Atq; hæ duodecim coniugationes fiunt: quarum partem exponit Ariſtoteles, alterius partis nihil meminit, ut ex iis, quæ nobis propoſita ſunt, oſtendi poteſt.

TERTIA FIGVRA.

POSTREMA etiam in figurá ex falſis uerum concludemus, & cùm ambæ omnino falſæ ſint, & cùm utraque aliqua ex parte, & cùm altera in uniuerſo uera, & altera falſa ſit: atque cùm altera quadam ex parte falſa, altera uerò omnino uera, & contrario etiam modo, ac quotquot aliis modis afficitur, ut propoſitiones permutemus: nam nihil prohibet, quin A nec B, nec C ulli inſit, & A alicui B inſit: ut neque homo, neque gradiens ullum inanimatum ſequitur, homo autem alicui gradienti ineſt. Igitur ſi capiatur A & B omni C ineſſe, propoſitiones omnino falſæ, & uera erit concluſio. Vno eodemq; modo cùm altera priuans, aiens altera eſt, B enim nulli C ineſſe, & omni A, & A alicui B non ineſſe poteſt. ut nigrum nulli olori, animal omni olori; & animal non omni nigro. Quare ſi ſumatur B omni C, & nulli A, A alicui B

cui B non inerit:concluſio uera erit,falſæq; propoſitiones. Si uerò utraq; aliqua in parte falſa fuerit,concluſio uera erit:uel ex eo,quod nihil uetat,quin A & B alicui C inſint,& A alicui B conueniat: ut album & pulchrum alicui animali ineſt,atque album alicui pulchro. Itaque ſi A & B omni C ineſſe ſtatuatur, propoſitiones quadam ex parte falſæ erunt, & concluſio uera ſequetur. Eadem quoque ratio eſt, ſi A C priuans ponatur: quoniam nihil obſtat, cur A alicui C non inſit, & B alicui inſit, & A non omni B inſit: uelut album alicui animali non ineſt,& pulchrum alicui, & album non omni pulchro ineſt. Quare ſi ſumatur A nulli C, & omni B, ambæ propoſitiones quadam ex parte falſæ, & concluſio uera ſequetur. Haud ſecus ſi altera omnino falſa,& altera omnino uera capiatur: A enim, & B omne C ſequi, & A alicui B non ineſſe poteſt: ut animal & album omnem olorem ſequuntur, & animal non omni albo ineſt. His itaque terminis ita conſtitutis, ſi ſumatur B uniuerſo C ineſſe, & A uniuerſo non ineſſe, B C omnino uera erit, & A C omnino falſa, ac uerum concludetur. Ita etiam fiet, ſi B C falſa, & A C uera fuerit: ſunt enim iidem demonſtrationis termini nigrum, inanimatū, olor. Id itidem ſequetur, ſi ambæ aientes capiantur: nam nihil prohibet B omne C ſequi, & A uniuerſo C, & alicui B non ineſſe. ut animal omni olori,nigrum nulli olori,& nigrum in aliquo animali ineſt. Quo fit,ut ſi A & B omni C ineſſe ſumatur, B C omnino uera, A C omnino falſa ſit, & concluſio uera erit. Simili quoque modo ſi A C uera ſumpta fuerit, nam demonſtratio per eoſdem terminos etiam eſt, cùm altera tota uera,& altera quadam ex parte falſa ſit: fieri enim poteſt, ut B omni C, & A alicui C, & alicui B inſit: at bipes omni homini,pulchrum non omni,& pulchrum alicui bipedi ineſt.Si ergo capiatur A & B uniuerſo C ineſſe. B C tota uera, A C in aliqua parte falſa erit, & concluſio uera inducetur. Sic etiam, ſi A C uera,& B C falſa quadam ex parte ſumpta fuerit. erit enim demonſtratio,ſi iidem termini commutentur. Item cùm altera priuans,altera aiens ſit:propterea quòd B uniuerſo C ineſſe, & A alicui C, poteſt. Quæ cùm ita ſe habeant, A non omni B inerit. Ergo ſi B uniuerſo C, & A nulli ineſſe capiatur, priuans in aliqua parte falſa,& altera tota uera,ac cõcluſio uera erit.Cùm præterea oſtenſum ſit,cùm A nulli C, & alicui B ineſt, euenire, ut A alicui B non inſit: perſpicuum eſt, cùm A C tota uera, B C in aliqua parte falſa ſit, effici ut uera quoque concluſio euadat: nam ſi A nulli C, & omni B ineſſe ſumatur, A B omnino uera, B C quadam ex parte falſa erit. Clarum autem eſt,in ratiocinationibus particularibus ex falſis omnino uerum ſequi: cùm enim propoſitiones uniuerſales fuerint, iidem etiam termini ſunt aſſumendi,atq; in enunciãtibus quidem enunciãtes, & in priuantibus priuantes: nihil enim differt, cùm nulli ineſt, ſi in uniuerſo ineſſe ſumamus, & ſi alicui ineſt, uniuerſè in terminorum expoſitione ſumamus. Eadem quoq; in priuantibus habenda eſt ratio. Perſpicuum igitur eſt, quando concluſio falſa eſt, ea, ex quibus oratio conſtat, neceſſe eſſe aut omnino,aut in parte falſa eſſe:quãdo autem uera, non neceſſe eſſe nec partem, nec omnia uera eſſe. Fit autem,ut cùm nihil eorum,quæ in ratiocinationibus ſunt, uerum fuerit, concluſio illa quidem uera inferatur,ſed hoc tamen minime neceſsitas cogat.

AIT autem, Si uerò utraq; aliqua ex parte falſa fuerit,concluſio uera erit, &c. Quia cùm explanatum eſſet,quænam iugationes habeant propoſitiones omnino falſas, uel utranq; aientem, uel maiorem negantem,& minorem aientem:cõſequens eſſe uidebatur,ut de iis diceret,in quibus altera falſa, altera uera eſſet: Verùm philoſophus has tanquam notas & perſpicuas ſilentio inuoluit, & ad eas tranſiuit, quæ ambas propoſitiones ex aliqua parte falſas habent. atq; ait, Perſpicuum igitur eſt, quando concluſio falſa eſt,ea,ex quibus oratio conſtat,neceſſe eſſe aut omnino, aut in parte falſa eſſe. Quæ concluſio inferatur, ait eſſe perſpicuum ex iis omnibus, quæ demonſtrantur: quandoquidem ſi concluſio falſa ſit, ſemper propoſitiones uel omnino falſæ ſunt, uel altera falſa, uera altera: at ſi concluſio uera ſit, iam non erit neceſſe propoſitiones ueras eſſe, cùm fieri etiam poſsit, ut ſi ambæ falſæ ſint, uel una uera, altera falſa exiſtat, uel aliqua ex parte falſa, uera inferatur concluſio, quemadmodum eſt in ſuperioribus demonſtratum.

Cauſa uerò huius rei eſt, quoniam cùm duo quædam ſic mutuò ſe habeant, ut ſi unum ſit, alterum eſſe neceſsitas cogat, fit, ut cum alterum non ſit, neque alterum exiſtat: & ſi exiſtat, illud eſſe neceſſe non ſit. Sed ut cùm idem ſit, & non ſit,aliquid idem neceſſariò conſequatur,adeo ut cùm A ſit album, B itidem neceſſariò ſit, & cum idem A ſit album, B ex neceſsitate ſit, fieri non poteſt.

CVM docuerit ex falſis propoſitionibus quandoque ueram, quandoque falſam concluſionem, ex ueris autem neceſſariò ueram inferri: & quando concluſio falſa ſit, propoſitiones ex neceſsitate falſas eſſe: cumq; ſit uera, euenire, ut propoſitiones ueræ, uel falſæ ſint: nunc cauſam affert, cur ita fiat. Cauſa eſt, quoniam propoſitiones rationem antecedentis, & concluſio conſequentis rationem habet: cumq; duo capta ſint, quorum alterum antecedens ſit,conſequens alterum,ut homo, & animal: cùm homo eſt,animal

quoq; neceſſario eſt:at cùm homo non ſit,non ex neceſsitate animal eſt,uerum animal eſſe, & nõ eſſe contingit. Etenim ſi quod homo nou eſt, bouem aut equum eſſe ſtatuatur , animal quoque eſſe concludetur: at ſi lignum aut lapidem eſſe intelligas , animal eſſe nequaquam concludes. Præterea cùm animal eſt, hominem,uel aliam quandam ſpeciem eſſe contingit:cùm uero animal non eſt,neq; hominem, neq; aliquam aliam ſpeciem eſſe neceſſe eſt. Quid uerò cauſæ ſit, cur propoſitiones , & concluſio ita ſe habeant , nobis in promptu eſt:quoniã uidelicet propoſitiones ſunt uelut antecedens,concluſio autem tanquàm conſequens. Cùm duo ita ſint affecta inter ſe,ut cùm alterum antecedens ſit,alterum conſequens:neceſſe eſt, cùm alterum ſit,hoc eſt antecedens,cùm inquam propoſita uera ſint,alterum ex neceſsitate,cõcluſionem uidelicet, ueram eſſe. Cumq́; hoc non ſit,quando inquam concluſio falſa eſt,neq; alterũ erit,hoc eſt, neq; propoſitiones ueræ ſunt : at ſi cõcluſio uera eſt,non neceſſe eſt alterum,id eſt propoſitiones ueras eſſe non neceſſe eſt: Sed ueras,uel falſas eſſe contingit. Verùm cùm idem ſit,& non ſit,hoc eſt cùm propoſitiones ueræ ſint,uel falſæ,fieri non poteſt,ut idem neceſſe ſit,hoc eſt,ut ſit concluſio:ſed ſi propoſitiones uerę ſunt,cõcluſionem quoq; ueram eſſe neceſsitas cogit. Si uerò propoſitiones ſint falſæ, cõcluſionem non neceſſe eſt ueram eſſe, ob eam cauſam,quòd ex falſis propoſitionibus ueram uel falſam concluſionem inferre poſsimus.

Adeo ut cum A ſit album.Hoc eſt , cùm propoſitiones ſint ueræ. B itidem ex neceſsitate ſit. Hoc eſt , concluſio uera fiat. Et cùm idem A non ſit album. Id eſt , cùm propoſitiones falſæ ſunt, ut B ex neceſsitate idem ſit,fieri non poteſt : Id eſt , fieri nequit,ut concluſio neceſſaria uera ſit,ſed ueram eſſe,uel falſam contingit.

Quando autem cùm hoc ſit album , ut A neceſſe eſt B magnum eſſe , cumq́; B magnum ſit , C album non eſſe , neceſſe eſt, ſi A album ſit, C album non eſſe : & quando ex duobus quæ ſint , neceſſe eſt alterum eſſe , cùm alterum ſit , hoc autem cùm non ſit , A non eſſe neceſſe eſt. Igitur cùm B magnum non ſit , A eſſe album non poteſt : cumq́; A album non ſit, B magnum ſit neceſſe eſt : efficitur neceſſariò , cum A magnum non ſit , idem B magnum eſſe. At hoc fieri non poteſt : nam ſi B non eſt magnum , A neceſſariò album non erit. Si ergo B magnum erit, cùm A album non ſit,accidit,quemadmodum per ratiocinationem ex tribus effici ſolet,ſi B magnum non eſt,magnum eſſe.

CVM explanauerit, quam ob cauſam quãdo concluſio uera eſt,propoſitiones ueras eſſe nõ neceſſe ſit: ſed eueniat,ut tum ueræ, tum falſæ ſint, & cùm propoſitiones ueræ ſunt, concluſionẽ neceſſariò uerã eſſe, & omnia,quæcũq; ſuperius pertractauimus,nunc ea per ratiocinationem ex tribus demonſtrat.Ratiocinatio ex tribus appellatur,utpote quæ ex tribus quibuſdã aſſumptionibus efficiatur:nam cùm A ſit album, hoc eſt cùm propoſitiones ueræ ſunt,neceſſe eſt B,hoc eſt concluſionẽ,magnum,hoc eſt uerã eſſe:cùmq́; B magnum ſit:id eſt quãdo concluſio uera eſt,ſi quis aiat,non neceſſe eſt,ut C album ſit, hoc eſt propoſitiones eſſe falſas , neceſſariò quidpiam efficitur,quod fieri non poteſt : ſi A uidelicet album ſit,hoc eſt ſi ueræ ſunt propoſitiones, C non eſſe album continget:propoſitiones inquam continget falſas eſſe,quod perabſurdum eſt,idq́; illatum fuit,propterea quòd ſubiectum eſt,concluſione uera neceſſe eſſe,ut propoſitiones falſæ ſint.Et quoniam abſonum ex huiuſcemodi ſubiectione illatum fuit,optime conſultum putauit Ariſtoteles docere,cùm uera concluſio ſit,effici,ut propoſitiones ueræ,uel falſæ ſint.

Et quando ex duobus quæ ſint, neceſſe eſt, cùm alterum ſit, alterum itidem eſſe. Hoc eſt , cùm propoſitiones uerè ſunt,alterum eſſe,hoc eſt concluſionem eſſe ueram neceſſe eſt.

Hoc autem cum non ſit. Cùm uidelicet cõcluſio falſa eſt,neceſſe eſt,A non eſſe,hoc eſt propoſitiones falſas eſſe. Quòd autem propoſitiones falſæ ſint,cùm uera ſit concluſio,per ratiocinationem ex tribus probat,cùm inquit,B album non ſit,hoc eſt,cùm uera concluſio non ſit, fieri non poteſt, ut A ſit album, id eſt propoſitiones ueræ non ſunt.At cùm A album non ſit,cùm ſcilicet ueræ propoſitiones non ſunt,ſi quis dixerit,neceſſe eſſe,ut B magnum ſit, hoc eſt, ut uera ſit concluſio, aliquid ex iis efficietur, quæ fieri nequaquam poſſunt.Id autem eiuſmodi erit,ut cùm B album non ſit,hoc eſt,concluſio falſa cùm ſit,idem B magnum eſſe,hoc eſt,eandem concluſionem ueram eſſe ex neceſsitate:& cùm id ex eo inferatur, quod ſubiectum,atq; ſumptum ſit,cùm propoſitiones non ueræ ſunt,ex neceſsitate concluſionem ueram eſſe,magna ductus ratione Philoſophus docuit,cùm propoſitiones ueræ non ſint,effici,ut uera uel falſa concluſio inferatur:nam ex hoc nihil ſequetur,quod fieri non poſsit.

DE DEMONSTRATIONE,

In qua Concluſio, & Propoſitiones uiciſsim retro commeant.

CIRCVLO, atque ex mutuis aliquid demonſtratur , cum ex concluſione & conuerſa enunciatione altera propoſitio aſſumitur , & altera , quæ in priori ratiocinatione accepta fuerit , in concluſionem infertur : ut ſi A omni B ineſſe probare oporteret, per C demonſtraretur : contrà ſi A ipſi B ineſſe demonſtrandum eſſet, A ineſſe C , & C ineſſe B , & A ipſi B , acciperetur : prius enim contrario modo B ineſſe C ſumebatur. Vel ſi demonſtran

monſtrandum eſſet, B ineſſe C, A ipſi C ineſſe ſumeretur, quæ fuerat concluſio: & B de ipſo A eſt: ſed prius contrario modo res ſe habebat, quippe cum A ineſſe B ſumeretur. Aliter ex Mutuis demonſtrari non poteſt: quoniam ſi aliud medium acciperemus, demonſtratio non fieret, ut in idem more circuli rediret. Nihil enim ſumitur ex iis, quæ eadem ſunt. Si uerò horum quidquam, neceſſe eſt alterum ſolùm: ſi enim ambo, eadem erit concluſio: at diuerſam eſſe oportet. In iis igitur quæ uiciſsim retro non commeant, ex altera propoſitione non demonſtrata ratiocinatio conficitur. Ex iis enim terminis demonſtrare non ualemus, propterea quòd aut medio tertium, aut medium primo ineſt. In iis uerò quæ ſibi ipſis ex altera parte reſpondent, omnia ex Mutuis demonſtrari poſſunt: uelut ſi A & B, & C inter ſe reciprocẽtur. A C enim per medium B, & poſtea A B per concluſionem, & per B C propoſitionem reciprocatam oſtenſa eſt. Simili modo B C & per concluſionem, & per A B propoſitionem identidem reciprocatam oſtendetur. Oportet autem & C B, & B A propoſitionem demonſtrare: nam iis ſolis non demonſtratis uſi ſumus. Igitur ſi B omni C ineſſe ſumatur, & C omni A, ratiocinatio C ad A fiet. Si deinde C omni A, & A ipſi B, ineſſe ſumptum fuerit, C omni B ineſſe neceſſe erit. In utriſq; igitur iis ratiocinationibus A C propoſitio non demonſtrata ſumpta fuit, cæteræ enim erant demonſtratæ: quamobrem cum hanc demonſtrauerimus, omnes ex Mutuis demõſtratæ erunt. Si ergo ſumatur C omni B, & B omni A ineſſe, utræq; propoſitiones demonſtratæ accipientur, & C ineſſe A neceſſe erit. Itaq; clarum eſt, & perſpicuum, in iis ſolum quæ reciprocantur, demonſtrationes in modum circuli, & uiciſsim retro commeantes fieri poſſe. In aliis uerò, ita, ut prædiximus, euenit: ut eodem, quod demonſtratur, ad demonſtrationem faciendam utamur: nam C de B, & B de A demonſtratur, ſi acceptum ſit, C de A dici. C uerò de A per has propoſitiones dici probatur: ipſa itaq; concluſione ad demonſtrationem utimur. In priuantibus ratiocinationibus ita ex mutuis demonſtratur, B omni C, A nulli B inſit, A nulli C ineſſe concludetur. Igitur ſi iterum concludendum ſit, A nulli B, quod prius ſumptum erat, A nulli C, & C omni B inerit: ſic enim reciprocata propoſitio eſt. At ſi B ineſſe C, argumentandum eſſet, A B ita reciprocari non oporteret: eſſet enim eadem propoſitio, ut B nulli A, & A nulli B inſit: ſed illud capiendum eſſet, B omni ineſſe, cui A nulli ineſt. A enim nulli C inſit, quæ fuit concluſio: & huic A nulli, B omni ineſſe ſumatur, ergo B omni C inſit neceſſe eſt: quare cùm tria ſint, unumquodq; in concluſionem euaſit. At Circulo demonſtrare eſt, cùm concluſionem ſumimus, alteramq; propoſitionem reciprocamus, & eam, quæ reliqua eſt, ratiocinamur. Vniuerſalem autem propoſitionem in particularibus ratiocinationibus ex aliis demonſtrare non licet, at particularẽ quidem poſſumus. Quam uerò ob cauſam demonſtrare uniuerſalẽ non queamus, liquet, quoniam uniuerſale ex uniuerſalibus demonſtratur, ſed concluſio uniuerſalis non eſt: & nos à concluſione, & altera propoſitione demonſtrare debemus. Præterea nullo pacto ratiocinatio fit, ſi propoſitio reciprocetur, propterea quòd utræq; particulares euaderent: at particularem fieri licet. Demonſtretur enim A de aliquo C per B, ſi igitur B omni C capiatur, & concluſio maneat, B alicui C inerit: prima enim figura fit, & A medium eſt. Si uerò ratiocinatio priuans eſt, uniuerſalem propoſitionem oſtendere non ualemus, ob eammet cauſam, quam paulo ſuperius attulimus. Particularẽ autem, ſi A B abſolute reciprocetur, perinde, ac in uniuerſalibus non permittitur, at per aſſumptionem fas eſt: ut cui A alicui non inſit, B alicui inerit. Etenim ſi aliter ſe haberent, ratiocinatio non fieret: propterea quòd particularis propoſitio negans ſit.

ARISTOTELES cùm declarauerit, quomodo ex falſis propoſitionibus uera concluſio inferri poſſit, alium nunc tractatũ aggreditur. Hæc enim tractatio in differẽtia capita diducitur, & de illa demonſtratione, in qua concluſio ex propoſitionibus, & propoſitiones ex concluſione demonſtrantur ſic, ut in idem ſemper inſtar circuli regrediatur oratio, nobis doctrinam tradit. Nam ea demonſtratio, qua de agimus, demonſtrationi, quam hoc ſermone inueſtigamus, impedimento eſt: uel ex eo, quòd demonſtratio cauſas ab effectis diuerſas habet, cum præſertim terminos, qui enunciantur, magis uniuerſales, & ſubiectos magis particulares accipiat. Hæc uerò, de qua nunc uerba facimus, demonſtratio & cauſas & effecta eodem habet iu ordine, in eaq; utriq; termini ſunt æquales, & uiciſsim retro commeare poſſunt. Ea fit, cùm demonſtratam concluſionem, alteramq; è propoſitionibus in ratiocinatione collocatis reciprocatam accipimus, deinde alteram: hancq; tum maiorem ex concluſione & minore, tum uerò minorem ex concluſione & maiore in concluſionem reducimus. Hæc demonſtratio nihil à reciprocata intereſt. Dicitur enim inſtar circuli demonſtratio, quando per concluſionem ad propoſitiones, & per propoſitiones ad concluſionem deuenimus. Reciprocata autem, quando utraq; per utraq; demonſtrantur. Dixit autem, In iis, quæ uiciſsim retro non commeant, ut ueram demonſtrationẽ, quæ circuli inſtar fiat, à falſa diſtingueret. Nam quãdo termini nõ reciprocãtur, falſa huiuſmodi demõſtratio eſt. Veluti ſi ſubſtantiã, animal, atq; hominẽ acceperis: hæc enim ſibi ipſis ex altera parte non reſpõdent, & tamẽ ad eiuſmodi demonſtrationis conſeruationẽ ſufficiũt. Præterea perficiẽs, ac declarans rem, hacq; demõſtratione utens ſex nobis cõcluſiones inducit, unã

quidem A C per medium B:alteram uerò A B per concluſionem,& minorem propoſitionem reciprocatam:tertiam deinde B C per concluſionem,& maiorem propoſitionem,cumq́; B C reciprocando demonſtrata ſit ad demonſtrationē A B concluſionis, & eadem ratione B A ad demonſtrationem B C,ipſæ propoſitiones reciprocatæ demonſtratione egent : nam A omni B, & B omni C ineſſe per ratiocinationem fuit demonſtratum. Verùm non perſpicuum eſt B C omni,hoc eſt A B, & propterea aliæ duæ ratiocinationes fiunt pro horum probatione.Atq; ita uniuerſæ concluſiones quinque ſunt, in iis enim omnibus concluſionis reciprocario demonſtrata ſumpta non fuit, ſed A omni C ineſſe per ratiocinationem demōſtratum eſt:at C ineſſe in ipſo A,non fuit concluſum:ſit igitur huius cauſa argumentatio,& omnes concluſiones ſex efficiuntur.Si aurem hæc uniuerſalis,illa particularis,quandoq; erit,& quandoq; non erit. Hæc autem uerba Erit,uel Nō erit,dicta ſunt propter hanc Alicui,quoniã quando A alicui C eſt, per tertiam figuram demonſtratur:at quando A omni C,& B alicui C ineſt, Alicui non demōſtratur:altera enim reciprocatione opus eſt ad demonſtrationē:nam hæc demōſtratio,de qua diſputatio inſtituta nunc eſt,per concluſionem,& unam è propoſitionibus reciprocatam demonſtratur.Ita autē non accepimus concluſionem B de C,quod erat demonſtrandū, ſed potius C de B,ex quo fit, ut neutiquã B alicui C ineſſe demōſtremus , niſi reciprocentur,& C alicui B,ac B alicui C attribui dixerimus. Hac igitur de cauſa dictum fuit Erit,uel Non erit:ac Erit quidem,quando maior eſt Alicui,& minor Omni,tunc enim A C in tertia figura demonſtratur:at Non erit,quando A C omni,& B C Alicui:dictumq́; eſt Non erit,quia eo in loco demonſtratio in modum circuli rectè non fit,ſed ſumptione reciprocationis loco indiget.

Circulo atq; ex reciprocis aliquid demōſtratur. Quoniã propoſitū Ariſtoteli eſt,in hac tractatione docere ea,quæ demonſtratiuã ratiocinationē impediūt,horū cauſa docuit,ex falſis propoſitionibus ueram concluſionē inferri. Verūenimuero eū,qui demonſtrat,propoſitiones falſas accipere non oportet:quoniã is, qui aliquid probat, propter quid demonſtrat:idq́; non niſi ex ueris propoſitionibus concluditur:falſæ autē propoſitiones licet aliquando ueram concluſionē inducant, ea tamen non ideo Propter quid eſt,ſed Quia, propterea quòd mediū concluſionis cauſa non ſit,ſed quòd ex relatione,& collatione extremorum uerū in concluſionē inferatur. Demōſtratio autē,de qua nunc uerba fiunt, nobis ad demonſtrationē uerã impedimēto eſt,quoniã demōſtratiua ratiocinatio ex cauſis cōflatur,nam propoſitiones cauſæ cōcluſionis ſunt : at ea demōſtratio,de qua pręſens eſt inſtitutio,ex effectis cōficitur:quippe cùm in ea cōcluſio,& altera è propoſitionibus,quæ in argumētatione ſunt,capiatur,ut altera propoſitio demōſtretur : cōcluſio illata,effectū eſt. In modū autem circuli demonſtrare eſt ex mutuis,ac reciprocis demonſtrare,hoc eſt concluſionē ex propoſitionibus,& propoſitiones ex concluſione demōſtrare. Fit autē cùm quis concluſionē, unamq́; propoſitionē reciprocatã capit,ut ſibi ad enunciationē conuerſo modo ſuppetat ſic,ut ſubiectū terminum pro eo,qui enunciatur,& eum,qui enūciatur,pro ſubiecto ſumat, ea ratione alterã propoſitionem in prima argumentatione conſtitutã demonſtret. Termini enim reciproci,hoc eſt æquales,capiendi ſunt : ueluti ſunt Homo, Aptus ad riſum, Ad ſcientiã & cognitionem natus:quando termini æquales ſunt, tunc Omnis,nō in Aliquis,ſed in ſe reciprocatur:ut,ſi homo omni apto ad riſum ineſt, aptum quoq; ad riſum omni homini inſit:hæcq́; reciprocatio non eſt, ſed propoſitionis acceptio ex contrario. Reciprocatio autem eſt cōmunio duarum propoſitionum,in quibus utriq; termini conueniunt,& reliqua,quæ ſequuntur.

Aliter enim ex reciprocis demōſtrari non poteſt. Hoc eſt, demōſtratio in circuli modū regrediens in ſeipſam alio modo fieri non poteſt,niſi eo,quē memorauimus:accipiendo ſcilicet cōcluſionem,& unam è propoſitionibus poſitis reciprocãdo,atq; ita alterã demonſtrare:nam ſi aliud mediū caperetur, huiuſmodi demōſtratio fieret nunquã.Is enim,qui demonſtraturus eſt, A omni B ineſſe,ſi accipiat D, hoc eſt rectè ambulans medium terminum A B,demonſtrationem,quam in præſentia docemus,non faciet.

Nihil enim ſumitur ex iis,quæ eadem ſunt. Id eſt,nullam ex propoſitionibus,quæ poſitæ ſunt, nec concluſionem ad demōſtrationem A B ſumptum eſt. *Si uero horum quiddam.* Hoc eſt, ſi capiat unã è propoſitionibus reciprocando unà cum concluſione , alteram propoſitionem per demonſtrationem reciprocam demonſtret neceſſe eſt.Si uerò unam,atq; etiam ambas propoſitiones accipiat, ad propoſitum ſeſe referet,atq; idem concludet,quod in principio concludebat: A uidelicet in omne C cadit. At ſi nec reciprocantes,nec æquales terminos capiet,uelut Animal,Ratione utens, Hominem,fiet ratiocinatio, & concluſio alterius,hoc eſt maioris propoſitionis infertur.

Ex altera propoſitione non demonſtrata. Si uidelicet aliam propoſitionem non demonſtratam capias. ex iis enim terminis nou adæquatis medium ineſſe , tertio , uel primum ineſſe medio , demonſtrare non ualemus.

Demonſtrationes fieri poſſe. Pro oſtenſionibus dixit demonſtrationes. Oſtenſio enim , quæ in ſeſe uertitur,demonſtrationem non facit,propterea quod ex effectis ratiocinatur.

Euenit.eodem,quod demonſtratur, ad demonſtrationem faciendam uti. Id eſt in iis , quæ adæquantur,efficitur,ut is qui demonſtrat,concluſione etiam ad demonſtrationem,hoc eſt oſtenſionē, & probationem utatur.

Nam eadem propoſitio eſt,ut B nulli A,& A nulli B inſit. Hoc eſt,Negãs propoſitio uniuerſalis non ſecus,ac A nulli B negãs eſt. Hac igitur ratione B C per demonſtrationem à circulo cognominatam nō demōſtratur,ſed per ratiocinationis aſſumptionē:ut ſi ita dixerit,cui A nulli,huic B omni ineſt,A uerò

nulli

nulli C ineſt, B igitur omni C inſit neceſſe eſt. Ex quo etiam ſequitur, ut A B per ratiocinationis aſſumptionem demonſtrata ſit, Cùm enim in hac ratiocinatione tres termini ſint, unuſquiſq; eorum concluſio ſit, hoc eſt in concluſionem captus eſt: ceterum C in concluſione dicente A nulli C ineſt, & in ea, quæ ait, B omni C ineſt, aſſumpſimus. Huiuſmodi ratiocinatio per aſſumptionem dicitur, quoniam cõcluſionem, A uidelicet nulli C ineſt, pro B C, propoſitione demonſtranda aſſumimus. In ratiocinatione autem, quæ à circulo trahit nomen, tres termini capiuntur, tamen unuſquiſq; concluſionis pars non ſit, ſed duo extremi conſpirantes, & penè conflati concluſionem perficiunt. Medius terminus pars concluſionis non efficitur, ac maiorem propoſitionem, uidelicet A nulli B per oſtenſionem, cui à circulo nomen eſt, demonſtrare non ualemus. Ob eammet cauſam, quam paulo ſuperius attulimus. Id eſt, ob eam cauſam, de qua feci ſupra mentionem: quia inquam hæc, Nulli, quæ uniuerſalis eſt, ex duabus uniuerſalibus infertur. Hic autem cõcluſio priuans particularis eſt, A uidelicet non omni C ineſt: & minor itidem particularis, C inquam alicui B attribuitur. At ex duabus particularibus quonam pacto Nulli concluſionem inferemus?

Secunda Figura.

IN ſecunda figura cùm aientem demõſtrare hoc modo non poſsimus, efficitur, ut negantem demonſtremus. Aiens igitur non demonſtratur, quoniam utræq; propoſitiones aientes nõ ſunt, nam concluſio priuans eſt. Oſtendebatur enim, ex utriſq; aientibus affirmans eſſe. Priuans hac ratione demonſtratur: C omni B, & nulli A inſit, B nulli C ineſſe concludetur. Si ergo B omni A, & nulli C ineſſe capiatur, A nulli C inſit neceſſe eſt, ſecunda enim figura efficitur, & B medium eſt. Verùm ſi B A priuans, & altera aiens ſtatuatur, figura prima formabitur, ac C omni A, & B nulli ineſt: quocirca B nulli A inerit, ergo nec C, B ineſt: medium A eſt. Itaq; per concluſionem, & unam propoſitionem argumentatio non efficitur: uerum ſi altera ſumatur fiet. Si ratiocinatio uniuerſalis non ſit, propoſitio, quæ in uniuerſo eſt, ob eam cauſam, quam recenſuimus, non demõſtratur: at particularis demonſtratur, quando uniuerſalis aiens ſit. A enim omni C, & nõ omni B inſit, A alicui B non ineſſe concludetur: C medium erit. Si uniuerſalis priuans ſit, A C propoſitio, ſi A B reciprocetur, non demonſtratur: efficitur enim, ut uel utræq; propoſitiones, uel earum altera negans fiat: ex quo deinde ſequitur, ut ratiocinatio non conſletur. Verùm ita probabitur, ut in uniuerſalibus probari ſolet: ſi ei, cui alicui B non ineſt, A alicui ineſſe capiatur.

HOC inquit, modo aientẽ demonſtrare non licet, hoc eſt per demonſtrationẽ, quæ à circulo nomẽ habet. Omni autem, quod ſignum eſt uniuerſale aiens, non demonſtratur, niſi duæ propoſitiones uniuerſales aientes accipiantur, atq; in ſecunda figura duas uniuerſales aientes reperire nõ ualemus. Etenim ſi per circulum demonſtraturi ſumus, concluſionem, & alteram propoſitionẽ reciprocatam capiamus oportet. At in ſecunda figura concluſiones negantes inferuntur. Ob hanc igitur cauſam Omni ex demonſtratione, quæ in ſe uoluitur, in ſecunda figura non demonſtratur: uerùm in ſecundo modo ſecundæ figuræ A omni B ineſſe per aſſumptionẽ oſtenditur. Cui enim C nulli, huic A omni ineſt, & C in nullũ B cadit, A igitur omni B attribuitur, C autẽ nulli B ineſſe accepimus, quia hæc, Nullus, in aſſumptione reciprocatur. Vno codemq; modo in primo ſecũdæ figuræ demonſtratur A omni C per ſumptionẽ ineſſe. Secundũ modum ſecũdæ figuræ præpoſuit primo eiuſdẽ figuræ, quoniam in ſecũdo A nulli C per demonſtrationẽ, quæ ſeſe in orbem uertit, in ſecunda figura demonſtratur. in primo autẽ modo per eandẽ demonſtrationẽ A nulli B ineſſe probamus. ſed tum per primam figuram, cùm primę figuræ concluſio reciprocatur.

Itaq; ex concluſione, & una propoſitione ratiocinatio non efficitur. Hoc eſt, ſi accipias concluſionem ſecundæ figuræ, B uidelicet nulli C ineſt, & alteram propoſitionem reciprocatam, ratiocinatio nõ fit: non demonſtatur inquam A nulli B, ſed B nulli A ineſſe.

Aſſumpta uerò altera fiet. Hoc eſt, concluſionis reciprocatione facta, ſi uidelicet alteram concluſionis reciprocationem aſſumas, erit A nulli B ratiocinatio.

Efficitur enim, ut uel utræq; propoſitiones, uel earum altera negans fiat. Cùm per ratiocinationẽ à Nullus, & Aliquis conflatam A alicui C ineſſe demonſtraturus ſit, ait in ſecunda figura ambas fieri negantes. In prima autem figura ſiquis id demonſtrare tentauerit, dum B non omni C ineſſe capit, hoc eſt alicui C attribui, (Non omnis enim, & Aliquis in materia cõtingenti, ut iandudum didicimus, pares ſunt) fit quidem in prima figura ratiocinatio, quæ maiorem negantem habet, ſed Non omni iterũ infert: cumq; ratiocinatio, quę Alicui concludat, non fiat, id per aſſumptionem, quemadmodum etiam Omni in uniuerſalibus demonſtramus,

Tertia Figura.

TERTIA autem in figura cùm utræque propoſitiones uniuerſæ ſumuntur, in modum circuli demonſtrare non ualemus, quandoquidem uniuerſalis ex uniuerſalibus non demonſtratur: in hacq; figura omnes concluſiones ſemper particulares ſunt. Ex quo perſpicuum eſt, in hac figura uniuerſalem demonſtrari non poſſe. cumq; altera uniuerſalis ſit, particularis altera, tum licet, tum uerò non licet. Igitur quando ambæ enunciantes aſſumuntur, uniuerſaliſq; ad

minorem extremitatem ſit conſtituta, circulus euadet: quando uerò ad maiorem, non erit. Inſit enim A omni C, & B alicui, A ineſſe B cócludetur. Si igitur C omni A ineſſe capiatur, ſi uniuerſalis reciprocetur, A ipſi B inerit, quæ concluſio erat, nam C alicui B ineſſe oſtenſum eſt, at B alicui C demonſtratum non fuit: quamuis ſi C alicui B ineſt, & B alicui C inſit neceſſe eſt: Sed hoc illi, & illud huic ineſſe idem non eſt. Itaque ſumendum eſt, ut ſi hoc illi alicui, alterũ quoque huic inſit: quod ubi ſumptum fuerit, tum ex concluſione, & altera propoſitione non fiet ratiocinatio. Si B omni C, & A inſit alicui C, demonſtrandum erit A C, cùm præſertim C omni B, & A alicui ineſſe capiatur: nam ſi C omni B, & A alicui B ineſt, A alicui C inſit neceſſe erit: B autem medium eſt. Item cùm hæc enuntians, illa priuans eſt, atque enuntians uniuerſalis eſt, altera demonſtrabitur. B enim omni C inſit, & A alicui non inſit, A alicui B non ineſſe concludetur. Igitur ſi C omni B ineſſe capiatur, inerat autem & A non omni B, A alicui C non ineſſe neceſſe eſt: B medium occupat locum: At cùm priuans uniuerſalis ſit, altera nequaquam, niſi ut dictum eſt prius, demonſtratur. Cui hoc alicui non ineſt, alterum alicui ineſſe ſumatur, ut ſi A nulli C, & alicui B, concludetur A alicui B non ineſſe. Si igitur ſumatur cui A alicui non ineſt, eidem C alicui ineſſe, neceſſe eſt C alicui B ineſſe. Nam reciprocando propoſitionem uniuerſalem alteram demonſtrare ullo alio modo non poſſumus: nullo enim pacto ratiocinatio fiet. Eſt ergo perſpicuum, demonſtrationem in circulum fieri in prima figura, & tertia: nam cùm enuntiãs concluſio eſt, in prima fit, cùm autem priuans, in poſtrema: ſumitur enim cui hoc nulli, alterum omni ineſſe. At in media cùm uniuerſalis ratiocinatio eſt, & in eademmet, atq; in prima, ac in tertia: cùm autem particularis, in ipſa media, & in ultima conficietur: in tertia uerò in eadem ipſa, omnes. Perſpicuum etiam eſt, ratiocinationes in media, & ternia figura, quæ per ipſas non fiunt, aut ex demonſtratione orbiculata non fieri, aut imperfectas eſſe.

QVOD inquit. ubi ſumptum fuerit, tum ex concluſione, & alrera propoſitione non fiet ratiocinatio: hoc eſt, ſi concluſio, quæ in prima figura eſt, reciprocetur, non fiet ratiocinatio, id eſt a ineſſe alicui c, non ex eo demonſtratur, quòd concluſio. & alrera propoſitio reciprocata capiatur: ſed ipſa demonſtratio, quæ à circulo nomen trahit, cùm imperfecta ſit, per reciprocationem concluſionis primæ figuræ perficietur. Cui a non omni, huic c alicui ineſt, a autem non omni b aſcribitur, neceſſe igitur eſt, c alicui b ineſſe. Id uidelicet, c alicui b ineſſe, demonſtrandum non eſt: ſed a alicui c ineſſe probare debemus. Verùm cum Aliquis in ſeipſam reciprocetur, ſi c alicui a, b quoque alicui c inſit neceſſe eſt. In demõſtratione, de qua nunc uerba fiunt, alteram propoſitionẽ reciprocatam, & concluſionem capi debere ſciendum eſt, deinde alteram demonſtrari. Non eſt etiam ignorandum, in tertia figura ex demonſtratione, quæ nomen à circulo ſortitur, Omni non demonſtrari. quoniam Omni ex duabus uniuerſis aientibus demonſtratur: demonſtratio autem hæc à concluſione, & alrera propoſitione reciprocata conficitur, at concluſio particularis cùm ſit, non demonſtratur.

DE RECIPROCATIONE
IN RATIOCINATIONE.

RECIPROCARE autem eſt commutata concluſione ratiocinationem efficere, quæ uel extremum medio, uel hoc poſtremo non ineſſe concludat. nam ſi concluſio reciprocetur, alteraq; propoſitio remaneat, alteram auferri neceſſe eſt: hæc enim ſi erit, concluſionem itidem conſtat fore. Differt autem, utrum oppoſitè, an contrariè concluſionem reciprocemus: non enim eadem efficitur ratiocinatio, cùm perinde utcunque horum duorum modorum reciprocetur. At hoc in ſequentibus palam fiet. Opponi dico Omni, Non omni: & Alicui, Nulli: Contraria uerò Omni, Nulli: & Alicui, Non alicui ineſſe. Oſtenſum enim ſit A de C per medium B: igitur ſi A nulli C, & omni B ineſſe capiatur, B nulli C inerit: atque ſi A nulli C, & B omni C, A non omni, B & non omnino nulli inerit: uniuerſale enim in tertia figura non demonſtrabatur. Neque enim ullo pacto uniuerſè ex reciprocatione licet eam propoſitionem, quæ ad maiorem extremitatem eſt, refellere, quoniam ea ſemper per tertiam figuram aufertur: neceſsitas enim cogit, ut ambæ propoſitiones ad poſtremã extremitatem capiantur. Idem fit in ratiocinationibus priuantibus. Probetur enim A nulli C ineſſe per B: ergo ſi A omni C, & nulli B ineſſe intelligatur, B nulli C inerit: atque ſi A & B omni C, A alicui B inerit: ſed nulli inerat. Verùm ſi concluſio oppoſitè reciprocetur, cæteræ quoq; enuntiationes oppoſitæ, & non uniuerſales erunt: altera enim è propoſitionibus particularis erit: id quod in cauſa eſt, ut concluſio nõ ſecus particularis ſit futura. Sit enim enuntians ratiocinatio, dein ita reciprocetur, ergo ſi A non omni C, B autem omni, B non omni C inerit: Siq; A non omni C & omni B, A quoque nõ omni B ineſſe aſcribetur. Vno eodemq; modo, ſi priuans fuerit ratiocinatio: nam ſi A alicui C & nulli B ineſt, B alicui C non inerit: nõ tamen nulli abſolutè. Siq; A alicui C, & omni B, A alicui B inerit, quemadmodum in principio ſumptũ fuit.

fuit. Cæterùm in particularibus ratiocinationibus, quando concluſio oppoſito modo reciprocatur, utræque propoſitiones interimuntur: at quando contrariè, neutra: non enim amplius accidit, ut interimantur, perinde ac in uniuerſalibus interibant, cùm ſcilicet concluſio in reciprocatione deficiebat: ſed nec ut omnino tollantur, demonſtretur enim A de aliquo C per B, ergo ſi ſumatur A nulli C ineſſe, B autem alicui C, A alicui B non inerit: atque ſi A nulli C, & omni B, B nulli C inerit. Ea re fit, ut utræque perdantur. uerum ſi contrarie reciprocentur neutra tolletur. nam ſi A alicui C, & omni B in eſt, B alicui C non inerit. Sed nec dum ablatum eſt id, quod in principio fuerat: nam alicui ineſſe, & alicui non ineſſe contingit. Nam ſi A B uniuerſalis ſublata ſit, ratiocinatio nullo modo conſtabitur. Si enim A alicui C non ineſt, B autem alicui ineſt, neutra propoſitionum uniuerſalis erit: fiet etiam ſimiliter, ſi ratiocinatio priuans ſit. Si enim A omni C ineſſe ſumatur, utræque interimuntur: ſi uerò alicui, neutra: eadem enim eſt demonſtratio.

RECIPROCATIO eſt omnis diuiſa in partes treis, quarum una in terminis ſpectatur, de qua in libro decem ſupremorum generum diſſeruit, in hunc modum, Dominus ſerui dominus, & ſeruus domini ſeruus: ac Pater filii pater, & filius patris filius. Alia in propoſitionibus, de qua locutus eſt tribus in figuris, cùm diceret, Si animal omni homini ineſt, homo quoq; alicui animali ineſt: & Si lapis nulli homini, & homo nulli lapidi ineſt. Tertia in ratiocinatione uerſatur, cuius præſens eſt inſtitutio. Reciprocatio in ratiocinatione poſt demonſtrationem, in qua idem ex eodem demonſtratur, collocata eſt, tanquam cum ea commune quiddam habeat. Quemadmodum enim in ea demonſtratione concluſionem, & unam propoſitionum, quæ poſitæ ſunt, accipimus: ita etiam in hac reciprocatione concluſionem, & unam è propoſitionibus capimus, & ratiocinamur. Verùm ab illa demonſtratione, in qua ſcilicet eſt per ſua ueſtigia replicata conuerſio, intereſt: quoniam in ea propoſitionem reciprocatam ſumimus, & in reciprocatione propoſitionem ipſam non reciprocamus: & quoniam in illa concluſio non reciprocatur, in reciprocatione ſi concluſio eſt Omni, reciprocatur uel in Nulli, uel in Non omni: ac quoniam in ea demonſtratione concluſionem, & alteram è propoſitionibus capimus, alteramq; conſtituimus, ac confirmamus, & in reciprocatione, uel contrarium, uel repugnanter oppoſitum concluſioni, & unam è propoſitionibus poſitis accipimus, & alteram euertimus.

Nam ſi concluſio reciprocetur. Hoc eſt, ſi uel in contrariam, uel in repugnantem commutetur: ueluti ſi concluſio ſit Omni, accipies Nulli, quæ eſt ei contraria: uel Non omni, quæ repugnat.

Hæc enim ſi erit. Hoc eſt, ſi propoſitio non fuerit ablata: Concluſionem conſtat fore. Id eſt, concluſio non reciprocabitur, & mutabitur in contrariam, uel in ei repugnantem. Si enim concluſio reciprocetur, & capiatur altera è propoſitionibus, altera propoſitio neceſſariò auferetur. Cognitũ habebis id, atq; exploratũ, ſi memoria repetiueris maiorẽ ꝓpoſitionẽ ſemper in tertia figura, minorẽ uerò in ſecũda auferri.

Non enim eadem efficitur ratiocinatio. Hoc eſt, eadem concluſio nequaquam infertur, ſi utroque modo reciprocetur ratiocinatio: utroque inquam modo, ſi uel in contrariam, uel in repugnantem & aduerſam mutetur. Sed ſi in contrariam, fit in ſecunda figura uniuerſalis: ſi uerò in repugnantem, fit particularis in ſecunda figura ratiocinatio, quæ minorem propoſitionem abolebit.

Hoc autem in ſequentibus palàm fiet. Hoc eſt, In iis, quæ deinceps dicenda ſunt. Nõ omnis, & Non aliquis, etiam ſi uerbo differre uidentur, facultate tamen erit unum, & idem ualebit: & cùm repugnamus Omni, dicimus Non omni: & cum obuiam imus Alicui, dicimus Non alicui.

Opponi dico. Hoc eſt, repugnanter opponi.

Cæterum in particularibus ratiocinationibus. In ratiocinationibus particularibus, quoniam concluſio in cõtrariam mutatur, nec maior propoſitio, nec minor perimitur: nõ enim quemadmodum in uniuerſalibus, & maior & minor euertitur, cùm in contrariam concluſio reciprocatur, ita etiam fit, in particularibus: quoniam in uniuerſalibus contrarium concluſioni eſt uniuerſale: ut ſi concluſio ſit Omni, eius contrarium Nulli ſit. Verum in particularibus ſi concludatur A alicui C, eius contrarium eſt particulare, uidelicet Non alicui.

Cùm ſcilicet concluſio in reciprocatione deficiebat. Hoc ita intelligendum eſt, quaſi dicatur, cùm concluſio particularis acciperetur: nam Alicui ſi tranſmutanda eſt, in Non alicui, conuertetur: atq; ob hanc cauſam dixit, Deficiebat: quoniam particulare ratione quantitatis minus eſt, quàm uniuerſale: Nullus enim omnia præcidit: ut, Nullus homo albus, indicat album eſſe neminem: Non aliquis autem homo albus, non eſſe album declarat. Sed nondum ablatum eſt id, quod in principio fuerat. Hoc eſt, B alicui C, nõ aufertur ex eo, quòd Nõ alicui inferatur: quoniã Aliquis, & Nõ aliquis in materia cõtingenti ſimul uerum dicunt: aliquẽ enim eſſe albũ, & non aliquẽ eſſe album cõtingit. Præterea nulli nõ infertur, quia in tertia figura cõcluſio uniuerſalis nõ inducitur: & nullo alio pacto poſſumus propoſitionẽ maiorẽ uniuerſalem refellere, quã per tertiã figurã: in ea enim utroſq; terminos de minori termino enũtiari neceſſe eſt, & hac ratione maior propoſitio adimetur, perinde ac in principio, hoc eſt in ratiocinatione primæ figuræ, B omni C capta fuerat. Eadem enim eſt demonſtratio. Has uidelicet, Aliquis, & Non omnis in contingenti materia ſimul ueras eſſe, & tertiam figurã non eſſe ratiocinatiuã, eodẽ modo demonſtratur.

Figura

Figura Secunda.

PROPOSITIONEM, quę ad maiorem extremitatem eſt, in ſecunda figura contrariè auferri non licet, facta prout placet, reciprocatione: quoniam concluſio in tertia figura erit, in qua uniuerſalis ratiocinatio non eſt. Alteram uerò ſimiliter ex reciprocatione tollemus. Similiter inquam, ut ſi contrariè reciprocetur, contrariè itidem adimatur: ſicq; oppoſitè, auferatur etiam oppoſitè. Inſit enim A omni B & nulli C, B ineſſe C concludetur. Ergo ſi B omni C ineſſe capiatur, & A B maneat, A omni C inerit; prima enim figura conflatur. Si uerò B omni C, & A nulli C, A non omni B erit; ultima figura efficitur: Verum ſi B C oppoſitè reciprocetur, A B ſimili modo, & A C oppoſite demonſtrabitur: nã ſi B alicui C, & A nulli C, A alicui B non inerit. Si præterea B alicui C, & A omni B, erit A alicui C, oppoſita ratiocinatio fit. Demõſtrabitur quoq; eodem modo, etſi propoſitiones cõtrario modo ſe habeant. At ſi particularis ratiocinatio ſit, concluſione contrariè reciprocata, neutra propoſitionum æquè, ac in prima fiebat, tollitur. Si uerò oppoſitè reciprocetur, utraq; auferuntur. Ponatur enim A nulli B, & alicui C ineſſe, B ineſt C concludetur. itaq; ſi B alicui C ineſſe ſtatuatur, & A B remaneat: concluſio erit, A alicui C nõ ineſt. Verùm non ab eam cauſam tolletur, quod principio ſumebatur: nam alicui ineſſe, & non ineſſe poteſt. Præterea ſi B alicui C, & A alicui C, non erit concluſio, quoniam neutrum eorum uniuerſale eſt: ex quo fit, ut A B non auferatur. At ſi oppoſitè reciprocentur, utraq; perimentur; nam ſi B omni C, & A nulli B, A nulli C inerit, ſed alicui attribuebatur. Si item B omni C, & A alicui C, A alicui B inerit, eadem erit demonſtratio, & ſi uniuerſalis aiens eſt.

IN ſecunda figura non poſſumus maiorem propoſitionem, uidelicet Omnis, contrariè adimere, ac auferre: contrarie inquam inferendo Nulli, quæ A B propoſitioni contraria eſt: nam A omni B attribuetur. Ex quo efficitur, ut maiorem propoſitionem abripere non poſſimus, propterea quòd contrario inferatur. Aufertur tamen ex eius, quod oppoſitum repugnanter eſt, illatione.

Facta prout placet, reciprocatione. Hoc eſt, etſi concluſioni contraria capis, atq; repugnanter oppoſitam quoniam A B per tertiam figuram euertitur, quæ particulares concluſiones inducit.

A B ſimili modo demonſtrabitur. Hoc eſt, demonſtratur ex illius inductione, quæ in repugnanter oppoſita infertur.

Figura Tertia.

IN TERTIA figura cùm concluſio contrariè reciprocatur, neutra propoſitionum per ullam ratiocinationem tolli poteſt: at eum oppoſitè, licet utraſq; in omnibus auferre. Demonſtretur enim A alicui B ineſſe, & C medium ſumatur, ſintq; uniuerſales propoſitiones: igitur ſi A alicui B non ineſſe, B autem omni C ineſſe ſtatuatur, ratiocinatio de A quidem fiet, ſed de C, nequaquam. Si etiam A non ineſt alicui B, & ineſt omni C, nec tum quidem B C ratiocinatio conflabitur. Oſtendetur autem eodem modo, ſi propoſitiones uniuerſales non ſint: etenim uel ambæ particulares ex reciprocatione ſint, uel uniuerſalis ad minorem extremitatem fiat, neceſſe eſt: hac autem ratione nec in prima, nec in ſecunda ratiocinatio efficietur. Sed ſi propoſitiones oppoſitè reciprocentur, utraq; auferentur: nam ſi A nulli B, & B omni C, A erit nulli C: præterea ſi A nulli B, & C omni B, nulli C concludetur. idem etiam fit, & ſi altera uniuerſalis non eſt. Si enim A nulli B, & B alicui C, A alicui C non inerit; uerùm ſi A nulli B, & omni C, B nulli C inerit; haud ſecus etiam, ſi ratiocinatio priuans fuerit. A enim alicui B non ineſſe demonſtratum eſt nobis. Sit B C enuncians, A C negans, fiebat enim eo pacto ratiocinatio: itaque cùm ſumitur concluſioni contrarium, conſtat ratiocinationem non fore, quoniam ſi A alicui B, & B omni C, non fit A C ratiocinatio. Si item A alicui B, & nulli C, eius, quod eſt B & C ratiocinatio non efficietur. Ita fit, ut neque propoſitiones auferantur, ſed cùm oppoſitum interuenit, tolluntur: nam ſi A omni B, & B omni C: A erit omni C, ſed nulli attribuebatur. Si item A omni B, & nulli C, B erit nulli C, ſed omni inerat. Demonſtratur ſimiliter, etſi propoſitiones uniuerſales non ſunt. Sit enim A C uniuerſalis, & priuans, & altera particularis, & aiens: ergo ſi A omni B, & B alicui C, A alicui C ineſſe poteſt: ſed nulli inerat. Deinde ſi A omni B, & nulli C, & B nulli C inerit; uerùm ſi A alicui B, & B, C, non formatur ex eo ratiocinatio: ſi etiam A alicui B, & nulli C, nec itidem erit; quare illo modo propoſitiones auferuntur, hoc autẽ minimè. Ex iis igitur, quæ diximus apertũ eſt, quomodo concluſione reciprocata in una quaq; figura fiat ratiocinatio: & quando propoſitio cõtrariè, ac quando oppoſitè reciprocetur: ratiocinationesq; in prima figura per mediam, & extremã fieri: & eam quę ad minorem extremitatem eſt, ſemper per mediam, eam uerò, quæ ad maiorem, per poſtremam ſemper tolli. In ſecunda autem per primam, & ultimam: atque ea, quæ ad minorem extremitatem eſt, per primam figuram ſemper, quæ ad

maiorem,

maiorem, per ultimam euertitur. At in tertia, per primam, & ſecundam: illaq́; , quæ ad maiorem, per primam ſemper ; quæ uerò ad minorem, ſemper per mediam adimetur. Igitur quid reciprocatio ſit, & quomodo in ſingulis figuris fiat, quæq́; ratiocinatio conſletur, perſpicuum, ac planum fecimus.

IN uniuerſalibus, & particularibus tertiæ figuræ ratiocinationibus (id enim ſignificant hæc uerba, Per ullam ratiocinationem) nulla propoſitio aufertur, ſi concluſioni contrarium ſumitur.

Quare illo modo propoſitiones auferuntur. Si uidelicet repugnanter oppoſitum concluſioni acceperis, duæ propoſitiones tertiæ figuræ adimentur.

Hoc autem minime, Hoc eſt, ſi concluſioni contrarium ceperis, nulla propoſitio abripietur. Iis uerbis indicauit, cum in prima figura reciprocatio fit, ſi contrarium concluſioni ſumpſeris, maiorem propoſitionem tolli propter eius repugnanter oppoſitum in tertia figura, minorem uerò propter eius contrariè oppoſitum. At ſi concluſio reciprocetur, repugnanter auferuntur utræq; propoſitiones propter ea, quæ ipſis propoſitionibus repugnanter opponuntur. In ſecunda figura, ſi concluſioni contrarium ſumis, maior propoſitio tollitur propter eius repugnanter oppoſitum in tertia figura, & minor propter id, quod ei aduerſum eſt. Si autem concluſio repugnanter reciprocetur, utræq; propoſitiones propter repugnanter oppoſitum adimuntur. In tertia uerò figura, atque in ratiocinationibus uniuerſalibus, ſi repugnanter oppoſitum concluſioni accipias, ambæ propoſitiones propter eius contrariè oppoſitum tolluntur: at ſi concluſioni contrarium ſumas, neutra tolletur. In ratiocinationibus particularibus ſi capias repugnanter oppoſitum concluſioni, ambæ etiam euertentur propter ipſis oppoſitum repugnanter: ſiq; contrarium concluſioni accipias, neutra ipſarum auferetur.

DE DEMONSTRATIONE,

Ex eo, quod fieri non poteſt.

RATIOCINATIO ex eo, quod fieri nequit, demonſtratur, ſi poſita ſit concluſionis repugnantia, & altera propoſitio aſſumpta fuerit. Ea fit in omnibus figuris, eſtq́; reciprocationi perſimilis. Hac tamen in re ab illa differt, quòd Reciprocatio fit poſt ratiocinationem effectam, & cùm duæ propoſitiones captæ fuerint. Demonſtratio uerò, qua de agimus, fit, etiam, ſi prius non admittatur uerum eſſe id, quod opponitur, ſed ita nulla probatione adiuncta uerum eſſe fateamur. Termini in utraque eodem modo ſunt collocati, & eorum acceptio eadem eſt: ut, ſi A omni B ineſt, C medium ſit, ſi ponatur A non omni, uel nulli B ineſſe, quod ſanè uerum eſt, C uel nulli, uel non omni B inſit neceſſe eſt: at hoc fieri non poteſt: falſa igitur ſubiectio, & oppoſitum uerum eſt. Idem etiam fit in aliis figuris: nam omnia, quæcunque reciprocantur, ratiocinationem quoque ex eo, quod fieri nequit, recipiunt. Singulæ igitur quæſtiones omnes in omnibus figuris ex eo, quod fieri non poteſt, demonſtrantur: ſed uniuerſalis aiens in ſecunda, & tertia, at in prima minimè demonſtratur. A enim aut non omni, aut nulli B ineſſe ſtatuatur, alia deinde propoſitio, prout libitum ſit, capiatur: ſiue C omni A, ſiue B omni D, ſic enim erat prima figura. Si itaque ponatur, ut A non omni B inſit, non fiet ratiocinatio, preſertim ſi propoſitio quoquo modo capiatur. Si uerò nulli, quando B D aſſumatur, ratiocinatio falſi efficietur, ſed propoſitum non demonſtrabitur. Nam ſi A nulli B, & B omni D, A nulli D erit: hoc fieri ſanè non poteſt: A igitur nulli B ineſſe falſum eſt: ſed non erit uerum, omni ineſſe ex eo, quòd nulli ineſſe falſum ſit. Si autem aſſumatur C ineſſe A, ratiocinatio non efficitur, nec etiam quando A non omni B inſit. Quare clarum eſt, omni ineſſe, in prima figura ex eo, quod fieri non poteſt, oſtendi non poſſe: ſed alicui, nulli, & non omni, poſſe. Inſit enim A nulli B, B autem omni, aut alicui C, ſumptum ſit, neceſſe erit A nulli, aut non omni C ineſſe. Verùm id fieri nequit: etenim uerum erit, & clarum, A omni C ineſſe: quòd ſi id falſum eſt, A alicui B inſit neceſſe eſt. Si autem altera propoſitio ad A capiatur, non fiet ratiocinatio, neque ſi ea enunciatio, quæ aduerſæ concluſioni contraria eſt, aut alicui non ineſſe ponatur. Patet igitur oppoſitum ſumendum eſſe. Statuatur præterea, A omni B ineſſe, ſumptumq́; ſit C omni A, C igitur omni B ineſſe neceſſe eſt: hoc quidem fieri non poteſt: falſum itaque poſitum eſt: quod ſi ita ſe res habet. nulli ineſſe uerum eſt, Vno eodemq́; modo ſi C A priuans ſumpta ſit: at ſi propoſitio ad B ſit aſſumpta, non erit ratiocinatio. Verùm ſi contrariũ ponatur, ratiocinatio etiam ex eo erit, quod fieri non poteſt: non tamen quod propoſitũ eſt, oſtendetur. Ponatur enim A omni B, & C omni A ſimptum ſit: neceſſe igitur eſt, C omni B ineſſe: hoc autẽ fieri nequaquam poteſt: ex quo falſum eſſe uidemus, quod A omni B ineſſe dicimus. Tamen non neceſſe eſt, ſi omni nõ inſit, nulli ineſſe. Conſimiliter ſi altera propoſitio ad B capiatur, nã ratiocinatio ex eo, quod fieri nequit, efficietur, ſed ſubiectio non tolletur: oppoſitum igitur ponendum eſt. Si probare uolumus A omni B ineſſe, omni ineſſe po

eſſe ponamus oportet. Haud ſecus ſi altera propoſitio ad B fuerit ſumpta: & ſi C A priuans eſt, ſimiliter fit, eo enim pacto efficitur etiam ratiocinatio: uerùm ſi priuans ad B ſumpta fuerit, nihil demonſtrabitur: at ſi non ponatur Omni, ſed Alicui ineſſe, non oſtenditur non ineſſe omni, ſed nulli: ceterum ſi A alicui B, & C omni A, C alicui B inerit. Ergo ſi hoc fieri non poteſt, falſum eſt A alicui B ineſſe, uerum igitur nulli, quo probato uerũ unà tollitur: quoniam A alicui B inerat, & alicui non inerat. Non accidit pręterea quicquam, quod fieri non poſsit, propter ſubiectionem: quandoquidem falſa eſſet, & ex ueris falſam minime ratiocinamur: ſed nunc uera eſt, propterea quod A alicui B ineſt. Ponendum itaq; eſt non alicui, ſed omni ineſſe. Demonſtrabimus eodem modo, Si A alicui B non ineſt: nam ſi alicui non ineſſe, & non omni ineſſe idem eſt, eadem de utriſq; eſt demonſtratio. Igitur liquet, in omnibus ratiocinationibus non contrarium, ſed oppoſitum ſumẽdum eſſe. ea enim ratione & neceſſarium erit, & probabile effatum. Si enim de omni re uel affirmatio, uel negatio uera eſt, cùm probatum ſit, negationem non eſſe, affirmationem ueram eſſe neceſsitas cogit. Si item affirmationem non eſſe ueram conſtituant, ueram eſſe negationem conſtat. Contrarium autem ratum, & firmum facere non contingit ullo horum duorum modorum, neque enim neceſſarium eſt, ſi Nulli falſum ſit, Omni uerum eſſe: neq; probabile, ut ſi alterum ſit falſum, ſit uerum alterum. Manifeſtò itaq; apparet, omnes quęſtiones ex eo, quod fieri nequit, in prima figura, praeter uniuerſalem aientem demonſtrari.

DEMONSTRATIO ex eo, quod fieri nequit, & Reciprocatio commune habent inter ſe, ut per repugnanter oppoſitum ei, quod poſitum eſt, & alteram è propoſitionibus ſubiectionem auferant. Differunt uerò, quia Reciprocatio uel contrarium, uel repugnanter oppoſitum concluſioni, & unam è propoſitionibus, quae in ratiocinatione ſunt, accipit, & alteram euertit: fit enim prius ratiocinatio, ac concluſio infertur, deinde reciprocatio. At Demõſtratio ex eo, quod fieri nequit, non facta ratiocinatione, ſed quaeſtione propoſita efficitur: ut, Omnis homo animal eſt. Siquis contrà diceret, Non omnẽ hominem animal eſſe, acciperet tantum repugnanter oppoſitum quaeſtioni, uidelicet Non omnis homo animal eſt: deinde foris aliam propoſitionem ueram aſſumeret, uidelicet Animal omni rationis participi, & ita in ſecunda figura ratiocinationem faceret, Rationis particeps non omni homini ineſt: cumq; id fieri nõ poſsit, ut nõ omnem hominem rationis eſſe participem dicamus, (omnis enim homo ratione utitur) illatum hoc abſurdum ex eo eſt, quod non omnem hominem eſſe animal ſubiectum ſit: uerum igitur eſt, omnem hominem animal eſſe. Non ſumit autem cõtrarium propoſitioni, ut ſi propoſitum ſit, Omne album animal eſſe, dicat aliquis Nullum album animal eſſe, capiẽdum eſt animal nulli olori, & album omni olori, animal igitur nulli olori: id quod concluſum ita fuit, propterea quòd animal nulli albo ineſſe poſitum eſt. In materia contingenti Nulli nequaquam falſum dicit, ſed uerum dicit contra Omni collocata: nam cõtraria in hac materia falſitatem dicunt. At quoniam demonſtratio, qua incommodo afficimur, non ſolùm eo tendit, ut concluſionem, quae fieri non poſsit, inferat, ſed etiam ex ipſa illud ipſum, quod principio proponebatur, uerum eſſe confirmet: ac propterea ſolum oppoſitum repugnanter, minimeq; contrarium capit. Vniuerſale aiens in prima figura ex demonſtratione, qua quis incommodo urgetur, non demõſtratur: ſed in ſecunda, ac tertia: quoniam ſi ea demõſtratione repugnanter oppoſitum Omni, quod eſt Non omni, accipimus, ſi Non omni ſumere uelis in prima figura, uel maior, uel minor propoſitio ſumetur, utrobiq; enim ſumpta ſi fuerit, figuram non ratiocinatiuam faciet: in ſecunda autem, & tertia figura Non omni infertur. Igitur ſi Non omni, tanquam id quod fieri nequit, inferatur, Omni inducetur. Verùm ſi non Omni, ſed Alicui, fuerit ſubiectum, ſi ex ſubiectione A alicui B, quippiam concluditur, quod fieri non queat. Si Aliquis, à quo illud abſonum illatum eſt, auferatur, non inducetur Nõ omni, ſed Nulli, & Nulli illato Aliquis adimitur. & quoniam Aliquis, & Non omnis ſimul uerae ſunt, Non omnis itidem tolletur. Quibus quidem fit rebus, ut A non alicui B pro confirmatione Non omni, ſed omni B, ſubiiciatur.

Non accidit praeterea quicquam, quod fieri non poſsit, propter ſubiectionem. Non fieri poteſt, ut non omni demonſtremus, ſi eius contrarium, uidelicet Alicui, acceperimus: quoniam Aliquis, & Non omnis ſimul uerae ſunt, & cum C A uerae ſint, ex ueris propoſitionibus uera concluſio, nihilq;, quod fieri non poſsit, inferetur, nam ſi concluſio falſa, atque ita affecta ſit, ut fieri non poſsit, falſam quoq; fuiſſe ſubiectionem, uidelicet A alicui B, conſtat: at nunc A & alicui, & non omni B ſimul uera eſt.

Termini in utriſq; eodem modo ſunt collocati. Hoc eſt, uel in reciprocatione, uel in deductione ad abſurdum, terminos aequatos, & qui reciprocentur, accipere non debes: uerùm illi ſunt capiendi, qui uiciſſim retro non commeant.

Atq; eorum acceptio eadem eſt. Hoc eſt, & in reciprocatione, & in demonſtratione, qua quis urgetur incommodo, terminos, qui ſibi ex altera parte reſpondeant, accipere debemus.

Si poſita ſit concluſionis repugnantia. Impropriè hoc loco concluſionem appellauit, quoniam Quaeſtio illud eſt, quod diſputandum proponitur, ut Animal nulli lapidi, & animal alicui albo, quae fieri concluſiones poſſunt: deinde oppoſitum repugnanter quaeſtioni, & extrinſecus ueram propoſitionem capies, & demonſtrationem ex eo, quod fieri nequit, formabis: ſed has quęſtiones uocauit Concluſiones, quoniam in ſecunda, & tertia figura fieri concluſiones poſſunt.

De ſecunda Figura.

HOC etiam in ſecunda,& tertia figura demõſtratur. A enim non omni B ineſſe ſtatuatur,atq; A omni C ſumatur ineſſe:ſi A non omni B,& omni C ineſt,C non omni B inerit. Hoc ſanè fieri non poteſt:clarum enim ſit,C omni B ineſſe:quare id,quod ſubiectum eſt,falſum eſt: uerum igitur erit,ſi omni ineſſe dicamus. At ſi cõtrarium ſubiiciatur,& ratiocinatio fiet,& id,quod fieri non poteſt,exiſtet,propoſitum tamen neutiquam demonſtrabitur:id quod euenit, quoniam ſi A nulli B,& omni C ineſt,C nulli B inerit:& hoc eſt,quod fieri non poteſt. Ea re fit, ut nulli ineſſe falſum iudicetur:ſed neq; ſi falſum eſt id,omni uerum erit. Quãdo autem A ineſt alicui B, A nulli B ineſſe ponatur:at omni C inerat:C igitur nulli B inſit neceſſe eſt: quod ſi id fieri nequit,A alicui B inſit eſt neceſſe. Si uerò alicui non ineſſe ſtatuatur,eadem erunt, quæ & in prima figura. A præterea alicui B ineſſe ſtatuatur,C uerò nulli inſit, C non ineſſe in B neceſsitas cogit,ſed omni inerat,falſum igitur, quod fuit ſubiectum, A igitur nulli B inerit. Verùm cùm A non ineſt omni B, ut omni inſit, ponatur, ac C nulli: ſequitur ut C nulli B inſit neceſſario: ſed fieri non poteſt :uerum itaque erit,ut omni inſit. Omnes igitur ratiocinationes in media figura fieri patet.

S I,inquit,ſubiiciatur Alicui non ineſſe,hoc eſt,ſi accipias hanc,Non omni inquam,quæ Alicui cõtraria eſt,nihil quicquam in complexionẽ inferetur,quod fieri non poſsit : at neque etiam Alicui euertetur, etſi Non omni concludatur,quoniam Aliquis & Non omnis,ſimul ueræ ſunt. Si uerò nulli ineſſe ponatur, hoc eſt ſi accipias Nulli,quæ Nulli cõtraria eſt Omni,& ratiocinationem,& deductionem ad id, quod fieri nequit,efficies:non tamen Omni demonſtrabis:nam ſi dixeris, A nulli B,& C omni B,abſurdum inferetur, A inquam non omni B ineſt,quod à maiori propoſitione, A uidelicet nulli B, fuit illatum. Verùm etſi Nulli ablatum ſit,Omni tamen non infertur:quoniã hic cùm materia contingens non ſit, ſi Nulli tollitur,Omni infertur:at in materia contingenti contraria ſimul falſa ſunt. Regula autem non debet in hac materia ſeruari,& hac non ſeruari : ſed in omni materia eadem ſit oportet. Hoc igitur eſt,quod Ariſtoteli hoc loco propoſitum eſt,ut uidelicet doceat in deductione ad id,quod fieri nequit, repugnãter oppoſitum quæſtioni,& unam propoſitionem ueram,& non contrarium quæſtioni capiendum eſſe.

De tertia Figura.

VNO,eodemq; modo fit in tertia figura:ſtatuatur enim A alicui B non ineſſe,& C omni, A igitur alicui C non inerit. Quòd ſi id fieri non poteſt,falſum eſt alicui non ineſſe. Ex quo fit, ut omni uerũ ſit. Si uerò nulli ineſſe ſtatuatur,erit ratiocinatio,& id,quod fieri nequit: uerùm quod propoſitum fuerat,non demonſtrabitur. Nam ſi contrarium ponatur,eadem erunt, quæ in prioribus:ipſa ſubiectio tamen ad hanc, Alicui ineſſe,adiungenda eſt:quoniam ſi A nulli B,& C alicui B ineſt, A non omni C inerit:hoc itaq; ſi falſum eſt,B alicui A ineſſe uerum erit. Quando autem A nulli B ineſt,alicui ineſſe ſtatuatur,capiatur etiam C omni B ineſſe, A igitur alicui C inſit neceſſe eſt:uerùm nulli inerat:quare A alicui B ineſſe falſum cenſetur. Si uerò A omni B ineſſe ponatur,propoſitum minime demõſtrabitur,ſed ipſa ſubiectio ad Non omni ineſſe capienda eſt. Nam ſi A omni B,& C alicui B, A alicui C ineſt:at hoc non erat, falſum igitur omni ineſſe:quòd ſi ita,uerum eſt Non omni. Si uerò alicui ineſſe ſtatuatur, eadem erunt, prout in prædictis enarrauimus. In omnibus igitur ratiocinationibus,quę ex eo fiunt,quod fieri nequit,oppoſitum ſubiiciendum eſſe,atq; in ſecunda figura aiens quodammodo, in extrema uerò uniuerſale demonſtrari perſpicuum eſt. Demonſtratio ex eo,quod fieri nequit à Demonſtratiua intereſt: nam illa id ponit,quod auferre uult,deducitq; ad id,quod falſum eſſe exploratum eſt. Demõſtratiua uerò à propoſitionibus ueris confirmatis,initiũ ſumit: Vtræq; igitur duas propoſitiones cõceſſas accipiunt:ſed hæc eas,ex quibus ratiocinatio conficitur,illa uerò alteram quidem ex iis,alteram uerò,cõcluſionis repugnantiam capit. Atq; hîc cognitam eſſe concluſionem neceſſe non eſt, neq; prius opinandum eſt,eam eſſe,aut non eſſe:illic uerò,ut nõ ſit,eſt neceſſe. Nihil autẽ differt, affirmatio'ne,aut negatio cõcluſio ſit,quãdoquidẽ ęquè ſe res in utriſq; habet. Omne enim demõſtratiuè concluſum ex eo itidem,quod fieri nequit,demonſtrabitur:& quod ex eo,quod fieri non poteſt,demõſtratiuè quoq;,& eoſdem per terminos,nõ tamen eiſdem in figuris oſtendetur. Cùm enim in prima figura ratiocinatio efficiatur,quod uerum eſt,uel in ſecũda,uel in tertia figura erit: ac priuans in ſecunda,& aiens in tertia. Cùm autem in media fit ratiocinatio,uerum erit in prima in omnibus quęſtionibus. At cùm in poſtrema,& in prima,& in media uerum erit. Aientia ſanè in prima,& priuantia in ſecunda. Sit enim demõſtratum A nulli,uel non omni B ineſſe in prima figura. Subiectio igitur erat,ut A alicui B ineſſe,ſed C omni A,& nulli C ineſſe fuit conſtitutũ: hoc pacto ratiocinatio conflata eſt, & id quod fieri non poteſt: atque hæc media figura eſt. Si C

omni A & nulli B ineſt,& ex iis A nulli B ineſſe perſpicuum eſt. Simili quoq; modo, ſi A non omni ineſſe oſtenſum ſit: ſubiectio enim eſt, omni ut inſit. C uerò omni A, & non omni B ſumptum eſt. Item ſi C A priuans ſumatur, eodem modo fiet. etenim ita etiam media figura conficitur. A præterea ineſſe B demonſtretur: ſubiectio igitur. Nulli ineſſe, eſt. B autem omni C ineſſe captum eſt: & A uel omni, uel alicui C. hac enim ratione erit id quod fieri nequit: hæcq; extrema figura eſt, ſi A & B omni C ineſt: atq; ex iis patet A ineſſe alicui B, neceſſarium eſſe. Similiter etiam fit, ſi B, uel A alicui C ineſſe captum fuerit. Preterea in media figura A omni B ineſſe demonſtretur: ſubiectio igitur, A non omni B ineſſe ſed omni C, & C omni B ſumptum eſt: ita enim euadet id, quod fieri non poteſt: & prima efficietur figura, ſi A omni C, & C omni B inſit. Similiter etiam, ſi Alicui ineſſe oſtenſum ſit: erat enim ſubiectio A nulli B ineſſe. Captum autem eſt, A omni C, & C alicui B ineſſe: quòd ſi priuans ratiocinatio ſit ſubiectio eſt, ut A alicui B inſit: captum enim eſt, A nulli C, & C omni B: quocirca prima figura conficitur. Item ſi ratiocinatio uniuerſalis non eſt, ſed A alicui B ineſſe demonſtratum ſit, eodem fiet modo: ſubiectio enim eſt, A omni B ineſſe: ſumptum enim eſt A nulli C, & C alicui B ineſſe: hoc ſane modo prima figura ſit. Præterea in tertia figura A omni B ineſſe demonſtratum ſit: igitur ſubiectio erat A non omni B ineſſe: eſt enim ſumptum, C omni B, & A omni C: ita enim erit id, quod fieri non poteſt: hæcq; prima figura exiſtet. Simili modo ſi demonſtratio de aliquo ſit: erit quippe ſubiectio, A nulli B ineſſe: fuit enim ſumptum, C alicui B, & A omni C. Verùm ſi ratiocinatio priuans ſit, ſubiectio erit, A alicui B ineſſe: at C nulli A, & omni B ſumptum eſt: hæc media figura eſt. Conſimiliter ſi demonſtratio uniuerſalis non exiſtat: erit enim ſubiectio A omni B ineſſe, ſed C nulli A, & alicui B captum eſt: hanc mediam figuram cenſemus. In eiſdem igitur terminis, & demonſtratiuè, & ex eo, quod fieri nequit, unamquanque quæſtionem demonſtrari poſſe, manifeſtum fecimus. Eodem modo ratiocinationes demonſtratiuæ ſunt, poſſumus deducere ad id, quod fieri non poteſt, in terminis acceptis quando oppoſita propoſitio in concluſione ſumpta fuerit: ratiocinationes enim eædē cum illis erunt, quæ ex reciprocatione fiunt. Quare figuras in quibus unum quodque concludatur, in promptu habemus. Igitur omnem quæſtionem utroque modo demonſtratiuè inquam, & ex eo, quod fieri non poteſt, demonſtrari, nec euenire alterum ab altero ſegregari perſpicuum eſt.

In ſecunda, inquit, figura aiens, id eſt Omnis quodammodo demonſtratur. Dixit uerò, Quodammodo, quoniam in ſecunda, & tertia figura Omni non inducitur, ſed demonſtratur, propterea quòd in ratiocinatione quippiam infertur, quod fieri non poteſt: quo ſublato, & pro falſo habito, Omni infertur.

Atque hîc. Hoc eſt, in demonſtratiua probatione incognitum eſt, num concluſio uera, an falſa concludenda ſit.

Neque prius opinandum eſt, Hoc eſt, Prius quàm concluſio inferatur, cognoſci non poteſt, uera'ne, an falſa futura ſit concluſio.

Illic uerò. Videlicet in demonſtratione ex eo, quod fieri nequit, neceſſe eſt, & prius cognoſcamus concluſionem inferendam ex propoſitione repugnanter oppoſita ueræ quæſtioni falſam, & impoſſibilem fore: ſed utrum concluſio ſit affirmatio, aut negatio, hoc eſt aiens, uel negans, nihil intereſt. Demonſtratio inquam demonſtratiua, & ea, quæ ex eo ſumitur, quod fieri nequit, quantum ad concluſionem aientem, uel negantem nulla in re differunt inter ſe: quoniam in utriſque & aientes, & negantes concluſiones inferuntur.

Cum enim in prima figura per demonſtrationem ex eo, quod fieri nequit, ratiocinatio efficiatur, quod uerum eſt, uel in ſecunda uel in tertia figura erit. Verum, id eſt ratiocinatio demonſtratiua uerum concludens in media figura exiſtet. Demonſtratum enim ſit ex deductione ad id, quod fieri nequit, A nulli, uel non omni B, ſubiectio igitur à quo illud quod fieri nequit, illatum eſt, erat A alicui B intereſſe. C uerò in demõſtratiua ratiocinatione non ſumitur. hoc enim pacto facta eſt ratiocinatio, quæ infert id, quod fieri nullo modo poteſt. propterea quod A nulli B ineſſe demonſtratiuè probat. atque illinc alicui aſſometur, ſi falſum ſit, nobis licet. Igitur perſpicuum eſt, unamquanque quæſtionem & demõſtratiuè, & ex eo, quod fieri nequit, in eiſdem terminis demonſtrari. Pari modo, quod ex eo, quod fieri non poteſt, demonſtratum eſt, poteſt demonſtratiuè quoque demonſtrari: & econtrà in terminis acceptis, hoc eſt propter terminos ita captos.

Oppoſita propoſitio. Hoc eſt ea, quæ repugnanter oppoſita per reciprocationem eſt: nam quemadmodum in reciprocatione illud, quod concluſioni repugnanter oppoſitum eſt, & alteram è propoſitionibus accipimus, & alteram tollimus: ita etiam hic repugnãter oppoſitum concluſioni, & propoſitionem ueram extrinſecus capimus, & aliquid inferimus, quod fieri non queat: quo ablato, uerum infertur, & fieri nequit, ut ſiquid ex ea demonſtratione, per quam quis urgetur incommodo, non poſſit demonſtrari, id ratiocinatione, quæ ratione concludatur, demonſtretur.

DE RATIOCINATIONE EX OPPOSITIS.

QVANAM in figura ex oppoſitis propoſitionibus ratiocinemur, & in qua ratiocinatio non efficiatur, deinceps aperiemus. Propoſitiones oppoſitas dictione quatuor eſſe aio Omni,& Nulli:Omni,& Non omni:Alicui,& Nulli: Alicui, & Non alicui: At ueritate, tres, quoniam Alicui, & Non alicui uerbo tantùm opponuntur. harum contrarias uniuersè omni,nulli ineſſe: ut, Omnem ſcientiam eſſe honeſtam, huic, Nullam eſſe honeſtam: cæteras oppoſitas uoco. In prima igitur figura ratiocinatio ex oppoſitis non efficitur,nec aiens, nec negans. Aientem dico, quia utraſque propoſitiones eſſe aientes oportet, at oppoſitæ aientes ſunt, & negantes. Priuantem, quia oppoſitæ idem de eodem aiunt, & negant. In prima autem medium de utriſque nequaquam dicitur, ſed aliud de illo negatur, atque idem de alio enunciatur, hæ uerò non opponuntur. At in media figura & ex oppoſitis, & ex contrarijs fieri ratiocinatio poteſt. Sit enim pro A bonum, pro B, & C ſcientia, igitur ſi omnem, & nullam ſcientiam honeſtam eſſe ſumpſit, A omni B, & nulli C ineſt: quare B nulli C inerit: igitur nulla ſcientia, ſcientia eſt. Similiter etiam, ſi omnem ſcientiam honeſtam ſumens, medicinam non honeſtam accepit, nam A omni B, & nulli C: aliqua ſcientia igitur ſcientia non erit. Et ſi A omni C, & nulli B: eſt autem B ſcientia, C medicina A opinio: nullam enim ſcientiam opinionem eſſe ſi ſumit, aliquam opinionem eſſe ſcientiam ſumpſit. Differt enim hic modus à primo in reciprocatione terminorum: nam in priori aiens ad B, nunc autem ad C collocatur. Idem fiet, & ſi altera propoſitio uniuerſalis non eſt. Medium enim ſemper eſt, quod ab altero negando, de altero uerò affirmando dicitur. Quare euenit, ut oppoſita perficiantur, non tamen ſemper, nec omnino, ſed ſi ita ſe habeant ea, quæ ſub medio ſunt, ut uel eadẽ, uel ut totum ad partem ſint:fieri enim alia uia nõ poteſt:propterea quòd propoſitiones nullo pacto aut contrariæ, aut oppoſitæ exiſtent. In tertia autem figura ex oppoſitis propoſitionibus nunquam fiet aiens ratiocinatio,propter eandem cauſam,quam in prima figura attulimus. At negans erit, & cùm termini uniuerſales ſunt, & cùm non uniuerſales. Sit enim ſcientia pro B, C, medicina autem pro A, ſi ergo ſumat omnem medicinam ſcientiam, & nullam medicinam ſcientiam eſſe, B omni A, & C nulli A accepit: ex quo fiet, ut aliqua ſcientia,ſcientia non ſit. Conſimiliter etiam, ſi A B propoſitio non ſit uniuersè accepta: nam ſi aliqua medicina ſcientia eſt, & rurſus nulla medicina ſcientia eſt, aliquam ſcientiam non eſſe ſcientiam accidit. At utroque termino uniuersè accepto contrariæ propoſitiones ſunt. Verùm ſi alter in parte capiatur, oppoſitæ exiſtunt. Illud ſcire oportet,oppoſita ita ſumenda eſſe, prout diximus, omnem ſcientiam honeſtam eſſe,& poſtea nullam,aut aliquam honeſtam non eſſe: quòd ſanè clarum eſſe conſueuit. Poſſumus enim per alias quoque interrogationes alteram colligere, aut aſſumere, quemadmodum in Topicis dictum nobis eſt. At quoniam affirmationum oppoſitiones tres ſunt, accidit,ut oppoſitiones ſexies capiamus, uel omni,& nulli, uel omni,& non omni, uel alicui, & nulli, id quod etiam in terminis reciprocabitur. ut A omni C, nulli B, uel omni C, & nulli B, uel huic omni, huic non omni: hoc rurſus per terminos uiciſsim retro commeat. Eodem modo in tertia figura. Ex quo perſpicuum eſt,quot modis, & in quibus figuris contingat, ut ex oppoſitis propoſitionibus ratiocinatio conficiatur. Eſt enim apertum,ac dilucidum, ex falſis colligi uerum poſſe, perinde ac dictum eſt prius: in oppoſitis tamen non poſſumus. Ratiocinatio enim ſemper rei contraria fit:ut ſi bonum eſt, non eſſe bonum,uel ſi animal, non animal: propterea quòd ratiocinatio ex repugnantia conſtat,ſubiectiq; termini,aut ijdem ſunt,aut hic totum,ille uerò pars exiſtit.Patet in ratiocinationibus uitiosè cõcludẽtibus nihil impedimẽto eſſe, quia fiat ſubiectionis repugnãtia:ut ſi eſt impar,nõ eſſe impar:nam ex oppoſitis propoſitionibus ratiocinatio cõtraria cõſtabitur.Igitur ſi huiuſmodi ſumpſeris,erit ſubiectionis repugnãtia. Animaduertendum eſt,contraria ex una ratiocinatione concludi non poſſe:(ut non eſſe bonum quod bonum eſt,aut tale quippiam concludatur.) niſi ſtatim eiuſmodi propoſitio capiatur, ut Omne animal eſſe album,& non album,hominem autẽ animal:ſed uel repugnantiam aſſumamus oportet,ut Omnis ſcientia opinio eſt,& non opinio:deinde aſſumere Medicinam ſcientiam illam quidem,ſed nullam tamen opinionem eſſe:quemadmodum fallaces concluſiunculæ fieri ſolent, uel ex duabus ratiocinationibus.Quare quæ ſumpta ſunt, uerè contraria eſſe alio modo,quàm hoc, non poſſunt:ut nos quoque prius dicebamus.

APPELLAT Oppoſita hoc loco & ea quæ repugnanter oppoſita, & quæ contraria ſunt. Oppoſitum enim genus eſt, quod in ea, quæ cum aliquo conferuntur,in contraria, in priuationem, & adeptionem,in affirmationem,ac negationem diſtribuitur: ipſæ enim propoſitiones in prima figura ſibiipſis non opponuntur. Oppoſitorum tres oppoſitiones ſunt, una contraria, ut Omnis, & Nullus: & duæ repugnantes, uidelicet Omnis, & Non omnis: Nullus & Aliquis: tres itaque oppoſitiones cùm ſint, earum

coniugationes, & complexiones ſex fiunt. etenim uel maior propoſitio eſt uniuerſalis aiens, & minor uniuerſalis negans: uel maior eſt Omni, minor negans particularis: uel maior eſt Nulli, & minor Alicui. Ecce quatuor coniugationes ratiocinatiuæ. Reliquæ autem duæ, altera in qua maior eſt Aliquis, & minor Nullus: uel ex maiori particulari negāti, & minori uniuerſali aienti cōſectæ ratiocinatiuæ nō ſunt.

Quod ſanè clarum eſſe conſueuit. Quis enim adeo mente captus eſt, ut reſpondeat, Voluptatem eſſe bonum, & non bonum: uel Scientiam eſſe honeſtam, & non honeſtam? Igitur, ut decipere poſsimus, non oportet clarè, & dilucidè proferre oppoſita, ſed ſubcelare uel immutando nomen ſubiecti, ut Voluptas bonum eſt, gaudium bonum non eſt, gaudium enim, & uoluptas eadem ſunt, bonum igitur bonum non eſt: uel permutando nomen eius termini, qui enunciatur, ut Voluptas bonum eſt, uoluptas eſt motio imperfecta, & imperfectum optabile non eſt, non optabile non bonum eſt, bonum igitur non bonum eſt. Ratiocinationes autem uitioſè concludentes παραλογισμοὺς appellauit, utpote quæ ex oppoſitis ſemper falſum quippiam, & præter rationem inferant. Ac ſanè in iis rotiocinationibus, quæ ex oppoſitis ſunt factæ, nihil obſtat, quin repugnantia de eadem quæſtione uera ſubiecta inducatur: ut, C impar, nihil impedit, quin repugnantia eiuſdem inferatur, uidelicet, C par. Ratiocinatio falſò concludens ex eo facta eſt, quòd demonſtratum ſit, C par eſſe, propterea quòd omnem numerum parem eſſe ſumptum eſt. Ille enim numerus par eſt, qui in æquales numeros eſt diſtributus, ueluti ſex in tria, & tria: qui uerò in treis unitates tantùm partitur, in numeros nequaquam diſtinguitur: id quod fit, quoniam Vnum numerus non eſt, ſed numeri initium.

Termini aut iidem ſunt. Ideſt ſubiecti termini uel iidem ſunt, & in ratiocinatione oppoſitè capiuntur: ut, Omne bonum uoluptas eſt, & nullum bonum uoluptas eſt. Fallax concluſio eſt repugnantiæ ratiocinatio.

Vel ex duabus ratiocinationibus, quare quæ ſumpta ſunt uere contraria eſſe alio modo, quàm hoc, non poſſunt. Hoc eſt, quàm ex duabus ratiocinationibus oppoſita concludendo, uel ut oppoſita in maiori propoſitione ſtatuantur. Hoc loco repugnantiam ſignificare oppoſitionem non ignorandum eſt: ipſa enim genus eſt, & contrariorum, & aduerſorum.

Igitur ſi huiuſmodi ſumpſeris. Hoc eſt, propoſitiones oppoſitas, repugnantiam, hoc eſt oppoſitionem inferes. ut C impar, & par. Illos elenchos, id eſt fallaces concluſiones uocat Paralogiſmos, hoc eſt ratiocinationes falſò concludentes, ex quibus inducitur oppoſitio.

Contraria eſſe. Hoc eſt, ſi oportet ea, quæ ſumpta ſunt, id eſt propoſitiones acceptas uerè contrarias eſſe, ex quibus concluſio, quæ habeat oppoſita inferatur, uel facere debes duas ratiocinationes, in quibus propoſitiones oppoſitæ ſunt: uel unam, cuius maior oppoſita habeat: nullo alio modo quàm quo diximus, facere poteris.

DE PRINCIPII PETITIONE.

PRINCIPIVM petere, & ſumere eſt, ut generatim dicam, id, quod in diſquiſitione poſitum eſt, non demonſtrare. Id autem multifariam efficitur. Etenim ſi omnino non colligitur, & ſi per ignotiora, aut æquè incognita, & ſi prius per poſteriora, demonſtratio enim ex ſe notioribus, & prioribus eſt, nullum horum eſt principium petere. Sed quoniam aliqua ita apta ſunt, ut per ſe cognoſcantur, aliqua uerò, ut auxilio aliorum nota fiant, principia enim ſuapte natura, quę uerò ſub principiis ſunt, per alia cognoſcuntur, quando per ſe notum quippiam non eſt, & quiſpiam per idem ipſum oſtendere conatur, principium petit. Hoc ita fit, ut quod in quæſtione eſt, ſtatim poſtuletur. Contingit etiam ad alia tranſitum faciendo, quæ per illa apta ſint, ut demonſtrentur, principium demonſtrari: ut ſi A oſtendatur per B, & B per C, ac C aptum ſit, ut per A demonſtretur: euenit enim, ut illi, qui ita ratiocinantur, A ex C demonſtrent: id quod faciunt ii, qui ſe lineas æque diſtantes ſcribere putant, falluntenim ipſi ſeſe, cùm ea ſumūt, quæ niſi æquè diſtantes ſint, demōſtrari nō poſſunt. quare accidit, ut illi, qui ita ratiocinātur, Si unumquodq; eſt, unumquodq; eſſe dicant: nā hac ratione unumquodq; per ſe notū erit, quod fieri nō poteſt. Itaq; cū nondū conſtet A ineſſe C, aut A ineſſe in B, ſiquis A ineſſe C petat, ipſum principiū petere nec dum patet, ſed ipſum nihil demonſtrare perſpicuum eſt. non enim eſt demonſtrationis principium id, quod non minus incognitum eſt. At ſi B ad C ſic ſe habeat, ut idem ſit, uel pateat ea reciprocari, uel alterum alteri ineſſe, principium petitur: etenim A ineſſe B ex illis demonſtrat, ſi reciprocantur. Nunc autem id obſtat, non tamē modus: nam ſi id faciet, quod dictum eſt, efficiet, & per tria conuertet. Haud ſecus ſi B ineſſe C, cùm præſertim æquè adhuc incertum ſit: & ſi A ineſſe C ſumat, nondum principium petit: uerum non demonſtrat. Sed ſi aut A B idem ſit, aut ſibi ex altera parte reſpondeant, aut A ſequatur B, principium ob eandem cauſam petit. Principium enim quid poſsit, quamq; uim habeat, prius dictum eſt nobis: ut uidelicet id, quod per ſe perſpicuum & clarum non eſt, ex ſeſe demonſtretur. Igitur ſi principium petere eſt, per ſe oſtendere id, quod per ſe apertum non eſt, hoc ſanè non eſt demonſtrare, quia æquè obſcurum eſt, quod demōſtratur, ac id, per quod demonſtratur; uel quia

eadem eidem,uel quia idem eiſdem inſit. In ſecunda autem,& tertia figura æquè principium petitur utroque modo,ac in ratiocinatione enunciante in tertia, & prima figura: in negante uerò, quando eadem ab eodem, & non æquè ambæ propoſitiones negantur.Similiter etiam in media, propterea quòd termini in ratiocinationibus negantibus uiciſsim retro non commeant. Principium petere in demonſtrationibus eſt, quæ ſic per ueritatem, in dialecticis autem, quæ ita per opinionem ſe habent.

PRINCIPIVM petitur,quando quiſpiam aliquid per illudmet ipſum demonſtrat, cùm per aliud debeat demonſtrari:quemadmodum, Voluptas bonum eſt:illud enim, quod in demonſtrationem propoſitum fuerat,iterum tanquam propoſitionem in ſui robur,& firmamentum ſumit: Vel aliam propoſitionem capimus,quæ à propoſita diuerſa uideatur,eadem tamen ſit: ut, Voluptas optabile eſt, optabile bonum,optabile enim & bonum eadem ſunt.Genus principii petitionis eſt, non demonſtrare. Non demonſtrandi plures modi ſunt:nam non demonſtramus etiam quando coniugatione non ratiocinatiua, ac quando propoſitionibus falſis utimur:& quando ex oppoſitis ratiocinamur: & quando ex poſterioribus priora demonſtramus:ut,Luna obſtruitur terra,quod in cauſa eſt,ut deficiat:uel, Luna eſt globoſa, ac propterea uarias apparitiones habet:uel,Mulier lac habet,quia peperit, nam triduo ante partum incipit lac in mulieris mamillis defluere. Vel quia obſcurum quippiam per ignotius, uel per æquè obſcurum demonſtramus:ut Anima multitudo unitatum, uel notarum eſt, uel quia uirtus rectum ſermonem parit. Sed nihil horum eſt principium petere:quoniam non demonſtrare ita latius patet, quàm principium petere, ut genus ſuis formis:tamen non demonſtrare,propriè genus non eſt,quod ſanè conſtat inter omnes:quippe cùm genus affirmando, non negando efferatur, fieri enim non poteſt, ut genus negatio ſit, & ſpecies affirmationes:non propriè igitur genus dictum eſt. Virtus eſt ortus,& actio ueræ rationis,eius uidelicet, quæ res diiudicat: & diſcernit ea, quæ ſub cognitionem cadunt pro ut eorum natura eſt,neq; aliquo errore perfuſa,à ueritate recedit. Anima eſt multitudo unitatum,quatenus tripartita eſt:uel multitudo notarum: partiri enim anima non poteſt:ac propterea uires,ex quibus ipſa conſtat,diſtribui in partes non poſſunt: nam notæ quoque,ſeu puncta partibus uacant, & diuidi non queunt. Pythagorici enim coniecturis ducti ſubſtantias numeros dixerunt,& ex illo ſuo uno ſpecies indicarunt:ſpecies enim æque ac unum partibus uacant,atque ex duobus,materiam apertam fecerunt:quemadmodum enim omnis numerus bipartitam diuiſionem ſuſcipit,ita omnis quoque magnitudo per materiam diuidi poteſt.

Nanque & ſi omnino nõ colligitur. Hoc eſt,ſi nõ ratiocinatiua cõiugatione utimur,& ex illis,quæ minus nota,quàm concluſio,ſint:uel ex propoſitionibus non minus incognitis cõcluſione,demonſtramus.

Sed quando aliqua ita apta ſunt, ut per ſe cognoſcantur. Effata uidelicet, & Communes notiones.Effatum eſt huiuſmodi,De omni re affirmatio uel negatio: & ſi ab æqualibus præcidantur æqualia, quæ ſupererunt,æqualia erunt.Cõmunes notiones apud omnes exploratæ,& conceſſæ ſunt:ueluti, Deum eſſe bonum,Parentes colendos eſſe,& Ignem adurere.

Principium. Principia ſunt Enunciata,& Notiones communes. Ea uerò quæ ſub principiis ſunt, ex aliis,hoc eſt propriis principiis demonſtrantur:quod fit cùm aliquid per ſe ipſum incognitum ex aliis poteſt demonſtrari. Geometres ait,angulos duarum rectarum A B, & C D uiciſsim,uidelicet eum, qui extra eſt,ei qui eſt intus,& contrà,æquales eſſe:anguloſq; qui intus ſunt,etiam in iiſdem protractarum linearum partibus duobus rectis eſſe æquales ex eo, quod huiuſmodi rectas lineas demonſtrat æquè diſtare. quod ſi quis ex contrario demonſtret,rectos uidelicet æquè eſſe diſtantes,propterea quòd uiciſsim anguli æquales ſunt inter ſe,uel quòd anguli interiores duobus rectis ſint æquales, demonſtrauerit ex eiſdem lineas ipſas æquè diſtare,& ita id,quod initio poſitum eſt,petetur: nam ſi A per B demonſtratur, & B per C, & C aptum ſit,ut per A demonſtretur,& A ex A, idem ex ſeſe demonſtratur.

Si unumquodq; eſt,unumquodq; eſſe dicãt. Hoc eſt, homo ridẽs,quia ridẽs eſt. Aequè diſtantes lineæ ſunt,quæ in eadẽ area ab utra parte ita protrahũtur, ut exitus nullus reperiatur,ſeq; inter ſe nõ attingunt.Id quod in principio poſitũ eſt,petitur,cùm aliquis propoſitũ in ſuimet demõſtrationem aſſumit.eſt enim idem ex eodem demonſtrare,propoſitiones, & concluſionem abſque diſcrimine accipere, & altero alterius loco uti,& utraque in eodem ordine habere. Nonnulli,quos demonſtratio eiuſdem ex eodem latet,terminos capiunt,aut æquales,ut ſunt Homo,& Ridens:aut diuerſos uerbo,& ratione, poteſtate tamẽ eoſdem,prout ſunt Voluptas,& Gaudium:Interitus expers,& Immortale:ut,Bonũ omni gaudio, & gaudium omni uoluptati ineſt,bonum igitur omni uoluptati. Huiuſmodi termini ſubiecti ſunt. Sæpe etiam in iis,qui enunciantur,demonſtrari idem poteſt:ut in Bono,& Optabili patet:quippe qui dixerit, Bonum omni optabili, optabile omni uoluptati, bonum igitur omni uoluptati: id quod in principio erat, petit. Ignis etiam,& leue eadem ſunt.

Itaq; cum nondum conſtet A ineſſe C. Hinc iterum capit exordium, ac demonſtrat, Non demonſtrare,longe magis patere,quàm Principii petitionem:utpote quòd eius genus ſit. Nemo enim multis modis,ut dictum eſt,demonſtrat:Adde etiam,ſi in demonſtratione quæſtionis obſcuræ propoſitiones incognitas accipiat,non demonſtrat:at nec principium petit: propterea quòd ſi propoſitio æquè obſcura ſit, atque concluſio,principium demonſtrationis non eſt,nec propoſitio.

At ſi B ad C ſic ſe habeat. Hoc eſt,ſiquis terminos,qui reciprocantur , accipiat, uel alterum ut partem,& alterum ut totum,ueluti gaudium,& uoluptatem,principii petitionem fecerit.

Etenim A ineſſe B ex illis demonſtrat. Si uidelicet A ineſſe B demonſtrabis ex illis, id eſt, ex altera propoſitione,& concluſione,quæ demonſtratio eſt à circulo nomen ducens,petitur tunc quoque principium.Quemadmodum enim in principii petitione cauſam ex effecto demonſtras , ita quoq; in demonſtratione,quæ à circulo nominatur,efficitur:eædem igitur ſunt:differunt tamen,eo quòd in demonſtratione,qua de agimus omnia ex omnibus demonſtrantur,& in principii petitione ex uno unum tantum demonſtratur:ut concluſio ex una propoſitione,& ipſa ex cõcluſione.ut, Animal omni homini,homo omni ridenti,animal igitur omni ridenti ineſt: principii petitio iterum fit. Principii autem petitio demonſtratione,quæ idem ex eodem probat,latior eſt,atque amplior : quod uel ex hoc perſpicuum eſt. Quod enim ex ea demonſtratione demonſtratur,hoc itidem principium petere eſt : non tamen ſiquid ex principii petitione demonſtratur,hoc quoque ex ea demonſtratione demonſtrabitur : quippe cùm is, qui principium repetit,omnia ex omnibus non demonſtret. qui enim ratiocinatur , animal omni ridenti per medium B, quod in principio poſitum eſt petit,atque animal omni homini ineſſe ex concluſione , minoreq́; propoſitione demonſtrat. At hominem omni ridenti minime demonſtrat , eo quòd maior particularis fiat. Inſurgeret fortaſſe quiſpiam,& Philoſopho,quòd contraria iis,quæ ſuperius declarauit, nunc aiat, uitio uerteret:quippe qui in demõſtratione,quæ in idem redit,terminos æquales ſumendos eſſe cenſuerit:nunc terminos, qui reciprocari poſsint, damnare uideatur. Sciant tamen omnes, aduerſus repugnantes hæc uerba fuiſſe prolata:quoniam non id adeo hæc ait,ut illius demonſtrationis formam,& modum improbaret,ſed quia demonſtratio nunc reciprocantes terminos uetat eſſe,nunc autem nõ modus ipſius demonſtrationis, de qua nunc ſermo eſt,ſed ipſa demonſtratio terminos æquales capi non ſinit.

Nam ſi id faciet. Hoc eſt,ſi terminos æquales accipiat. **Quod dictum eſt efficiet.** Demonſtrationem uidelicet , in qua propoſitiones , & concluſio uiciſsim retro commeant , efficiet : quippe quæ principium ipſa quoque petat.

Et per tria conuertet. Demonſtratio ex tribus fit,cùm propoſitiones, & concluſiones, ex ſubiectione capiuntur:quam demonſtrationem ſi faciet,principii quoque petitionem efficiet:& ex tribus demonſtrabit.ut ſi A eſt, B eſt,ſi B eſt, C eſt,ecce quomodo termini ex ſeipſis ſunt demonſtrati : atque idem terminus & efficiens,& effectus fuit captus:huiuſmodi non principii petitio,ſed demonſtratio in idem inſtar circuli regrediens eſt.

Aut A ſequatur B. Id eſt,quatenus hoc ut totum,illud ut pars.

Ob eandem cauſam. Hoc eſt,quia effectum in efficientis demonſtrationem capiatur. Principium petere,eſt,ex eodem modo demonſtrare quod per ſe incognitum ſit:quod fit,uel cùm eadem de eodem , uel idem de eiſdem ſumitur. **Hoc autem eſt non demonſtrare.** Vniuerſum aiens & negans in tertia figura infertur,non tamẽ propter terminorum complicationem,ſed quia termini uel æquales,uel iidem ſumuntur,nam à terminorum coniunctione concluſiones particulares inferuntur.In ſecunda uerò, & tertia figura utroque modo principium petere contingit:idem uidelicet ex eiſdem , & eadem ex eodem. Sed in ſecunda quando ratiocinationes uniuerſales ſunt,& idem de eiſdem,& eadem de eodem demonſtratur.Verùm cùm ratiocinationes particulares ſunt,quippe quæ à Nullus,& Aliquis conſtentur , idem quidem ex eiſdem,ſed eadem ex eodem nõ probatur,propterea quòd Nõ omnis non reciprocatur.In ea uerò, quæ eſt ex Omni & Non omni,eadem ex eodem,ſed non idem ex eiſdem demonſtrari poteſt , eo quod concluſio Non omnis minimè reciprocetur.In tertia figura cùm ratiocinatio uniuerſalis negans eſt, idem de eiſdem rectè demonſtratur:eadem autem de eodem, ex reciprocatione:nam ſi A nulli B, & B nulli A. Cùm uerò particularis ſit ex Non omni,idem quidem ex eiſdem , at non eadem de eodem poteſt demonſtrari. Id quod fit,quoniam Non omni nequaquam reciprocatur.In ſecunda figura ſi dixero,Dolor nulli uoluptati ineſt,eſt idem de iiſdem,Si reciprocans dixero,Voluptas nulli dolori,fit,ut eadem de eodem demonſtrentur.Pari quoq; modo efficitur in tertia figura.Simili quoq; modo in aliis ratiocinationibus,quæ uniuerſalem negantem inducunt.In tertia,& prima figura,quando ratiocinatio aiens eſt,fit idem de eiſdem:& eadem de eodem,ſi concluſio reciprocetur:nam ſi animal omni ridenti, & ridens alicui animali inerit. Cùm uerò negans particularis eſt ratiocinatio,idem ab iiſdem fit: ſed eadẽ ab eiſdem non fiunt,propterea quòd Non omnis non reciprocetur. **Et non æquè ambæ propoſitiones.** Hoc eſt,idem de iiſdem, & eadem de eodem ita non demonſtrantur in ratiocinatione negante particulari utroque modo,uidelicet idem de eiſdem,& eadem de eodem,prout in aienti fiebat. Verùm in neganti particulari eadẽ de iiſdem non fiunt. In ſecunda & tertia figura in unaquaq; ratiocinatione uniuerſali utraq; demonſtrantur : idem inquam de eiſdem,& eadem de eodem. Eſt tamen animaduertendum,in ſecunda figura in ratiocinatione ab omni, & non omni eadem ſolum de eodem exiſtere:cùm uerò fuerit particularis negans , tunc eadem de eiſdem non erunt.Principium petere in demonſtrationibus eſt,petere ea,quæ ita uerè ſe habẽt:ut exile, bene mobile,& leue,eadem uerè ſunt.Qui igitur infert Ignem eſſe leuem , propterea quòd exilis exiſtat , & exile facile mobile,& facile mobile leue ſit,principium petit.In dialecticis Principium petere eſt, in iis,quæ ita per opinionem uidentur.Nonnulli diuitias beatitudinem eſſe, beatitatem autem , & delicias bonum eſſe opinati ſunt:ex illorum igitur opinione bene uiuere,id eſt,diuitiæ & bonum eadem ſunt.

DE EO, QVOD EST, NON PROPTER HOC FALSVM EFFICI.

NON propter hoc falſum effici, quod ſæpe in diſputationibus dicere ſolemus, in iis primum ratiocinationibus eſt, quæ ad id, quod fieri nequit, deducunt: cum illud, quod demonſtrabatur, repugnauerit ei, quod ad id, quod fieri non poteſt, deducit. Nam neq; is, qui repugnat, dicet Non propter hoc, ſed aliquid eorũ, quæ prius conſtituebantur falſum eſſe collocatum: neq; id aget in demonſtratiua, propterea quod repugnantiam non ponit. Præterea cum quippiam demonſtratiuè ex A B C auferatur, dicere non poſſumus ratiocinationem non factam eſſe propter id, quod poſitum eſt: quoniam Non propter id fieri, tum dicimus, cum hoc ablato ratiocinatio non minus perficiatur, quod in demonſtratiuis fieri non poteſt: quippe cùm propoſitio ablata fuerit, ratiocinatio, quæ ex ea eſt, non conſtabit. In iis igitur, quæ ad id, quod fieri nequit, deducunt, dici Non propter hoc, ac quando ſubiectio, quæ à principio poſita eſt, ita ad id, quod fieri non poteſt, ſe habeat, ut ſiue ea ſit, ſiue non ſit, nihilo minus quod fieri nequit, eueniat: perſpicuum eſt. Apertior igitur modus, falſum non eſſe propter ſubiectionem, eſt, quando ratiocinatio, quæ ad id, quod fieri nequit, deducit, per ſubiectionem à mediis diiuncta ſit: quemadmodum in Topicis quoque dictum eſt. Quod enim hoc in loco dicimus Non propter hoc: eſt, id quod cauſa non eſt, pro cauſa ſtatuere: ut ſiquis cum dimetientem non eſſe commetientem probare uellet, Zenonis rationem demonſtrare conaretur: moueri ſcilicet non eſſe, & in hoc quicquam induceret, quod fieri non poſſet. Hoc enim falſum nullo pacto cum dictione, quæ à principio poſita erat, conueniret. Alius modus eſt, ſi id, quod fieri non poteſt, ſubiectioni coniunctum ſit, non tamen propter illam ſequatur, hoc quippe fieri poteſt, & à ſuperiori, & ab inferiori coniunctum ſi accipias ut ſi A omni B, & B C, & C D ineſſe ſtatuatur, & B ineſſe D falſum ſit: nam ſi ablato A, B non minus ineſt C, & C D falſum non erit propter ſubiectionem, quæ à principio conſtituta fuerit. Aut rurſus, ſiquis à ſuperioribus coniunctum capiat, ut ſi A ineſt B, & A ineſt E, & E ineſt F, & F ineſſe A falſum ſit: etenim hoc etiam modo non minus euadet quod fieri nequit, ſi ſubiectio, quæ à principio poſita fuerat, adimatur: ſed id, quod fieri non poteſt, ipſis terminis initio conſtitutis coniungamus neceſſe eſt: nam ea ratione propter ipſam ſubiectionem euadet: prout in eo fieri uidemus, qui in inferiori coniunctum ſumit ad terminum, qui enunciatur: quippe cùm fieri nequeat, ut A inſit D, ſi auferatur A, amplius falſum non erit. At in ſuperiori, de quo enunciatur: nam ſi fieri non poteſt, ut F inſit B, ſublato B, non erit amplius id, quod fieri non poteſt. Simili modo cùm ratiocinationes priuantes ſint. Eſt igitur perſpicuum, ſi id, quod fieri nequit, propter terminos prius ſtatutos non eſt, falſum propter collocationem non euenire: aut neque ita falſum propter ſubiectionem ſemper fore. Etenim ſi non B, ſed G ineſſe ſtatutum eſt, & G C, & C D, hoc quoque pacto quod fieri nequit, reſtat. Pari ratione, ſi à ſuperioribus termini ſumantur. Quare cùm ſiue hoc eſt, ſiue non eſt, non minus accidit, quod fieri nequit, non erit propter diſpoſitionem. Vel cùm id non ſit, non ſecus falſum fieri, non ita intelligendum eſt, perinde ac ſi dicamus, cùm aliud ponitur, falſum accidere: ſed quando id per cæteras propoſitiones aufertur, idem, quod fieri nequit concludi, propterea quod nihil fortaſsis abſurdum ſit, ut idem falſum ex multis ſubiectionibus eueniat: ut æquè diſtantes concurrere, & ſi interior exteriori maior ſit, triangulumq; plures duobus angulis rectis habeat.

NON propter hoc fit, cùm quiſpiam illud quod falſitatis cauſa non eſt, tanquam cauſa ſit, conſtituit. De hoc enim, quia concluſiones falſas infert, nobis doctrinã præbet, id adeo, ne demonſtrantes eo utamur: nam neq; in ratiocinatione demonſtratiua, hoc eſt in recta demonſtratione, ſed in deductione ad id, quod fieri nequit, conſtituitur. nam Non propter hoc & falſa, & ea quæ fieri non poſſunt, non ſecus infert, quàm ratiocinatio, quæ ad id, quod fieri nequit, deducit: ac propterea in uera demonſtratione non habet locum, eo quòd ipſa duabus è propoſitionibus conficiatur: quæ ſi ueræ ſint, concluſio itidem uera erit: uel ſi altera uera eſt, altera falſa, falſitatem quoq; ex propoſitione falſa inferri neceſſe eſt, nec dici poſſe non propter eam fuiſſe illatam: uel cùm utræq; falſæ ſint, ut ſæpe uſu uenit, ambæ in cauſa ſunt, ut falſum inferatur. In ratiocinatione igitur ad id, quod fieri nequit deducente, Non propter hoc conſtituitur. Quemadmodum enim in ratiocinatione, qua incõmodo urgemur, repugnãter oppoſitum ueræ ſubiectioni, alteraq; propoſitio ſumitur, & falſum infertur: ita etiam in Non propter hoc repugnanter oppoſitũ ueræ ſubiectioni, & duas propoſitiones accipimus, ac falſum inducimus. Falſum tamẽ hoc non propter oppoſitum ueræ ſubiectioni, ſed propter alteram è propoſitionibus cõſtitutis infertur: uerùm in deductione ad id, quod fieri nequit, falſum inducitur propter oppoſitum ueræ ſubiectioni. Præterea deductio ad id quod fieri non poteſt, ex duabus propoſitionibus ueris, & falſis, & Non propter hoc, ex tribus, quarum una ueræ ſubiectioni

oppoſita ſit,cõflatur.Si item in deductione ad id,quod fieri nequit, cum falſum à ſubiectione falſa ſubiectũ ſit,ea ablata fuerit,uera inſeretur:ſed in Non propter hoc, ſolùm demõſtratur propter poſitam ſubiectionem falſum illatum nõ fuiſſe. Eſt igitur Non propter hoc,cùm ſiue ſubiectio ſit,ſiue non ſit,idem abſurdũ inſertur: quemadmodum ſi hæc ſubiectio uera eſt, Deambulatio à prandio ſalubris eſt,ſiquis dixerit non eſſe ſalubrẽ,non erit motus.quomodo nam motum uel in quo eſt,mouetur,uel in quo non eſt.nam utroq; modo fieri non poteſt.non enim in quo eſt,moueri poteſt,in quo enim eſt, conſiſtit:at neq; in quo non eſt, mouebitur,quomodo enim in eo loco in quo non eſt,moueri poterit? ita fit,ut motus non ſit. Hoc abſurdum etiam efficitur,quamuis ponatur inambulationem poſt prandium ſalubrem eſſe,uel non eſſe.

In iis primum ratiocinationibus eſt, quæ ad id, quod fieri nequit, deducunt. Ratiocinationes quæ deducant ad id,quod fieri non poteſt,appellat omnes eas,quæ falſum inferunt. Ait igitur:Falſum nõ propter hoc in ratiocinationibus falſis,non tamen omnibus eſſe:ſed in iis,quæ ex eo,quod fieri non poteſt, concluduntur.Ex eo,quod fieri nequit,concluditur,cùm falſum quod ex eo,quod fieri non poteſt,demonſtratur, ueræ ſubiectioni repugnanter opponitur. Nam neq; non repugnans cauſam affert, cur in demonſtratiua,hoc eſt recta demonſtratione Non propter hoc nequaquam inducatur: & inquit, Cùm aliquis repugnanter, uel contrario nomine oppoſitum ueræ ſubiectioni non acceperit, ille dicere non poteſt Non propter hoc inductum fuiſſe.Etenim id in ea ratiocinatione,quæ ex eo quod fieri nequit,conflatur,aſſerimus, falſum uidelicet non propter ſubiectionem ueram initio conſtitutam, ſed propter ipſius oppoſitum fuiſſe illatum:hoc tamen in demonſtratiuis, hoc eſt in demonſtrationibus rectis dicere non ualemus: nam ex iis,quæ poſita ſunt,falſum inductũ fuit. Sed in demonſtratiua in qua falſum inferatur, id potius in cauſa eſſe diceremus,quòd una propoſitio falſa capiatur.Quod autem Non propter hoc in demonſtratiua falſum concludente non fiat,perſpicuum eſt:quandoquidem propoſitionem ueram falſi cauſam eſſe nunquã dicemus:quippe cùm uerum falſi cauſa eſſe non poſſit:ſed neq; etiam propter propoſitionem falſam Non propter hoc dicemus,per eam enim falſum illatum fuit. **Prętęrea cum quippiam demonſtratiue ex A, B, C, auferatur.** Demonſtratiua hic ratiocinatio intelligenda eſt,quæ ex eo quod fieri nequit,propter ratiocinationem enunciantem conflatur. Quemadmodũ enim dicimus,ratiocinationem ex eo,quod fieri nequit,perfici ex duabus connexis,& una enunciante, quando aliquid demõſtratiuè adimatur, hoc eſt ex eo,quod fieri non poteſt,non tamen dicemus Non propter hoc, propterea quòd abſurdum neceſſariò eueniat. idq; quoniam repugnanter oppoſitum ueræ ſubiectioni, quæ à principio ſumpta fuerat, captum eſt. Non propter hoc tunc dicimus,cùm ſubiectione,quæ à principio ſumpta eſt,ablata,nihilominus & ratiocinatio,& abſurdum infertur. Tres igitur propoſitiones cùm habeamus,duæ ratiocinationis ſunt, alia ſubiectionis:at in ea,quæ fieri nequit,cùm ſubiectio falſa ablata eſt,nihil euenit,quod fieri non queat.

Quando ratiocinatio,quæ ad id,quod fieri nequit, deducit, per ſubiectionem à mediis diſiuncta eſt. Hoc eſt, quando à principio ſubiectio diſiuncta,& ſecreta à ratiocinatione,quæ id infert,quod fieri nequit,ex mediis,hoc eſt,cauſis,uel à mediis,ita intelligi poteſt, cùm ſubiectio à principio ratiocinationi apparenti coniuncta ſit,uel per terminum ſubiectũ in concluſione coniuncta erit,ut Coruus,uel Aethiops omni animali,uel per eum, qui enunciatur,ut Color omni albo. Per id, quod fieri nequit, exiſtit, cùm id, quod fieri nequit,ad repugnantiam adiungitur: hoc eſt, cùm ſubiectio propter id quod repugnanter ueræ ſubiectioni acceptum eſt, minimè continua cum ratiocinatione eſt, ueluti in hac, Si dimetiens cum latere commetiens eſt,motus non eſt. Zeno motum non eſſe demonſtrauit hoc modo, Omne,quod mouetur,magnitudine quadã mouetur: id ſi eſt, neceſſe eſt,ut ipſius dimidium moueatur,& ante ipſum,dimidium dimidiati,& id uſq; in infinitum,adeo ut infinitum actu ſit:ſed fieri nequit,ut motus in media infinita actione diſtribuatur:igitur motus non eſt.

Cum dictione,quæ à principio poſita eſt. Dictionem à principio ita intelliges, perinde ac ſi ſubiectionem à principio dixiſſet, uidelicet dimetiens eſt eiuſdem menſuræ cum latere: quam ait ratiocinationi motum eſſe inferenti non conuenire. Abſurdum itaque illatum eſt, quòd motus minime eſt, non propter hoc uidelicet, propterea quòd dimetientem cum latere commetientem eſſe ſubiectum ſit. quippe cùm hæc à ratiocinatione,quæ id,quod fieri nequit,inducit,ſeiungatur,& id,quod fieri nequit,motum, dico,non eſſe,ex eo illatum fuerit,quod magnitudinem re ipſa infinitam ſectionẽ admittere, ac propterea dimidia actu infinita eſſe admiſerimus. Clarum igitur eſt,illud,quod fieri nequit,quod illatum eſt,ſi cum terminis qui à principio ſunt conſtituti,uidelicet cum A coniungatur,ſi ad inferiorem ratiocinatio fiat,ut A nulli,uel omni D ineſt,uel ſi B ultimus terminus cum F coniunctus ſit:ſi ad maiorem ratiocinatio efficiatur,quemadmodum à figuris deſcriptis id,quod dicimus,intelligi poteſt, propter ſubiectionem illatum eſſe. At ſi quod fieri nequit uel maiori,uel minori termino non coniũgatur, non erit illatum propter ſubiectionem,& ita Non propter hoc efficietur.

Aut neque ita falſum propter ſubiectionem ſemper erit. Hæc eſt ſupradictorum refutatio: neq; enim,quãuis illud,quod fieri nequit,cum extremis, ut dictum eſt, coniungitur, ſemper propter ſubiectionem illud accipit,quod fieri nequit:quippe cùm ſubiectio tollatur,aliaq; ſubiiciatur nihilominus euenit,ut rurſus, quod fieri nequit,inferatur: nam ſi B auferatur, & G in eius ſufficiatur locum, idem ipſum, quod eſſe non poteſt,quod illatum fuerat,cum B poſitũ eſſet,iterum inferetur.Nam ſi ſenſus particeps nulli homini ineſſe per B inductum ſit,idem ipſum deinceps per G concludes,ut ſenſus particeps nulli de loco ad

locum

locum à ſe commutato,commutatum omni animali per ſe,animal omni homini,ſenſus particeps nulli homini ineſt. Euenit enim ut illud idem,quod fieri nequit,ex diuerſis,ſubiectionibus falſis inferatur.

Siue non eſt. Hæc eſt refutationis ſolutio: cùm enim inquit, Si hoc non ſit, non ſignificat, ſi ſubiectio falſa ablata ſit,ac deinceps id, quod fieri nequit, alteram rurſus falſam eſſe inferendam, quoniam ſi falſam iterum ponas,nihilo ſecius illud idem,quod fieri nequit, inferetur: ſed ſignificat Non propter hoc nequaquam fieri,quando ablata ſubiectione, poſtea idem, quod fieri nequit, inferri uidetur, quippe cùm idem, quod fieri minime poteſt,ab acceptis propoſitionibus inferatur. Quatuor enim elementa cùm in alienis locis ſint,recto motu de loco ad locum,uel ſuprà,uel infra mouentur:motu autem obliquo, quem in electione eſſe inquiunt,ſola animalia mouentur. In triangulo exterior angulus maior unoquoque angulo eſt. eo inquam, qui ſub A, & eo, qui ſub B eſt, qui duo inter ſe æquales ſunt, & tres anguli interiores trianguli æquales duobus rectis,nec maiores ſunt.

DE FALSA RATIONE.

FALSA ratio propter primum falſum fit, Omnis enim ratiocinatio aut ex duabus, aut ex pluribus propoſitionibus efficitur. Si itaque ex duabus, harum alteram, uel utraſq; falſas eſſe neceſſe eſt:quippe cùm ex ueris propoſitionibus falſa ratiocinatio non efficiatur.uerùm ſi ex pluribus,quemadmodum ſi C per A B, hæc autem D E F G, in iis aliquid eorum,quæ priora ſunt,falſum erit: hocq; in cauſa eſt,ut falſa fiat oratio: nam A & B ex illis concluduntur: quocirca propter quippiam illorum & concluſio, & falſum euenit. Ne autem quiſpiam nobis impedimentum aliquod inferat, cùm diſſerimus, quo minus ratiocinationem faciamus, obſeruare debemus, ut cùm ſine concluſionibus orationem rogat, ne bis idem in propoſitionibus concedamus:quippe cùm nobis compertũ ſit,abſq; medio non fieri ratiocinationẽ poſſe mediumq; eſſe,quod ſæpe dicatur. At quonã modo pro una quaq; concluſione inferẽda medium collocari oporteat, ex eo perſpicuũ eſt, quòd exploratũ habemus, quale in unaquaq; figura demõſtretur:quod ſanè minime nos latebit,utpote qui ſciamus, quomodo in oratione conſiſtendum ſit. Quod autem reſpondentibus cauendum iubemus, oportet hoc idem,cùm ipſi argumentantur,diſsimulare conentur:id uerò primum aſſequẽtur,ſi concluſiones prius non ratiocinẽtur,ſed collectis neceſſariis,eas uelut ignotas ſinant. Deinde ſi non proxima, ſed ea,inter quæ multa media interiecta ſunt,interrogent: ut ſi A de F concludere oportet,& B C D E,media ſtatuerentur,eſſet tum inquirendum, num A inſit B: deinde non interrogandum eſſet,num B inſit C, ſed num D inſit E: poſtremò, num B inſit C, & reliqua ad hunc modum: atq; ſi ratiocinatio ex uno medio fieret, à medio ſumendum eſſet initium: hac enim ratione eum, qui reſpondet, deciperemus, & eius animo magnas tenebras offunderemus. Cùm itaque habeamus quando,& quomodo conſtitutis terminis ratiocinatio fiat,quando item reprehenſio erit, & non erit perſpicuum eſt. Efficitur enim tum reprehenſio, cùm aut omnes noſtræ reſponſiones aiunt,aut uiciſsim altera ait,negat altera.Nam ſi termini & hoc,& illo modo ſe habuerint,ratiocinatio conficitur. Quare ſi id, quod poſitum eſt, concluſioni contrarium ſit,refutatio fiat, neceſſe eſt:quippe cùm inficiatio ſit repugnantiæ ratiocinatio. At ſi nihil affirmetur,fieri reprehẽſio non poterit: quoniam ubi omnes termini priuantes ſunt,ratiocinatio eſſe nequit,quamobrem neque reprehenſio:nam ſi reprehenſio eſt,ratiocinatio quoq; ſit neceſſe eſt:uerùm ſi ratiocinatio ſit, non neceſſe eſt reprehenſionem eſſe. Simili modo ſi in reſponſione nihil uniuerſum conſtituatur, erit enim eadem ratiocinationis ac reprehenſionis definitio.

RATIOCINATIO falſa propter primum falſum, hoc eſt propter maiorem propoſitionem efficitur,præſertim cùm altera uera exiſtat, uel ſæpe etiam ambæ propoſitiones falſæ ſint. Cùm itaq; non ratiocinari,& decipi,ex falſis propoſitionibus,uſq; uel duabus,uel una, quam eſſe maiorem uolumus, fiat, ſi ex duabus,ratiocinatio facta eſt:ſi ex pluribus,ex una illarum falſum inferri neceſſe eſt. Viam & rationem ei,qui interrogatur tradit,quomodo reſpõdere debeat,ne ſe decipi ignarum ſinat. Itaq; ſi is,qui interrogat, propoſitiones differentes roget, ſecundarũ ratiocinationũ concluſiones non inducet: atq; id adeo, ut diſſerens ignoret,quidnam inferre deſideret: & ob eam cauſam is,qui interrogat non ordinatim, ſed uagè propoſitiones rogat. ueluti ſi utrum uoluptas bonum ſit,diſcutiendũ proponatur,interrogat, Voluptas eſt'ne ſecundum naturam? uoluptas utile eſt? quid? uoluptas optabile eſt?imitandum? optabile bonum,uoluptas igitur bonum. Oportet igitur, ut is, qui interrogatur, mentem adhibeat, ne bis eundem terminum concedat: nam ſi bis non conceſſerit, is qui rogat, non poterit ex propoſitionibus deiunctis ratiocinari. Quippe cùm figura, hoc eſt, ratiocinatio ſit duarum propoſitionum ad unum terminũ communio: quòd ſi ille, qui interrogat, ex duabus propoſitionibus ratiocinaturus ſit, à medio initium ſumere debebit: ut, Quod ſecundum naturam eſt,bonum eſt,uoluptas natura eſt,uoluptas igitur bonũ. Hoc loco interrogantem docet,quonã modo interroget,ut diſſerẽtem in errorẽ coniiciat. Eum,qui rogatur,in qua figura quæſtio inferẽda ſit, aduertere oportet:quã ſi uniuerſalem aientẽ eſſe compererit propoſitionem uniuerſalem

aientem

aientem non concedet:at ſi negantem uniuerſalem,ſiquidem hæc in ſecũda figura infertur,caueat,ne uniuerſalem negantem concedat:ſi particularem uetare cõtendat, ne uniuerſalem propoſitionem capiat,quoniam abſque uniuerſali ratiocinatio non efficietur, niſi ratiocinationes antecedentes componant, earumq́; concluſiones ſumant , ut etiam ratiocinationum antecedentium concluſiones accipientes apertas non faciunt eas,quæ continuò concluſiones inducunt.Id fiet,ſiquis ea non interrogabit,quæ concluſioni proximè coniuncta ſunt : uelut, Voluptas eſt appetendum,appetendum bonum eſt,uolupras igitur bonum eſt : ſed quæ longe diſtant,ut Voluptas eſt utile,& ut uno uerbo complectar, ſi omnes propoſitiones ratiocinationum antecedentium interrogabit.

Quando erit,& non erit perſpicuum eſt. Docet nunc, quo pacto fallaciam fieri non permittamus, ac rationes patefacit,quarum ope is,qui reſpondet,interrogantibus rectè reſpõdendo non decipiatur adeo, ut iis contraria fateatur, quæ ipſe prius affirmauerat. Reprehenſio fit, cùm aliquis oppoſitum ueræ ſubiectioni inducit:quemadmodum ſi propoſitum ſit,Anima immortalis eſt:& inferas, Anima mortalis eſt:reprehenſionem,ſeu reſutationem feceris, hoc eſt falſa argumentatione uſus fueris. Nam ratiocinatio multo plus eſt,quã reprehenſio,quoniã omnis reprehenſio,ratiocinatio eſt,at nõ omnis ratiocinatio eſt reprehenſio.Si is,qui interrogatur,omnes aientes uel alterã aientem,alterã negantem conceſſerit,reſutatio euadet.

Quare ſi id,quod poſitum eſt. Hoc eſt,ſi ſubiectio uera à principio poſita,uel eſt contraria,uel oppoſita concluſioni illatæ,reprehenſio eſt facta.At ſi nihil aiens uniuerſale,ſed omnia negantia, quæ'ue ſint rerum ſingularum,data ſint,reprehenſio non efficietur : ſiquidem ratiocinatio,neque ex ſolis particularibus, neq; ex ſolis negantibus conſtituitur.

Simili modo ſi in reſponſione nihil uniuerſum. Vniuerſum appellat propoſitionem, quæ de rebus uniuerſis omnino dicat,& enonciet.

DE FALLACIA EX OPINATIONE.

FIT nonnunquam, ut opinio noſtra nos fallat perinde, ac in terminorum collocatione fallebamur : quemadmodum ſi idem pluribus primum ineſſe contingat, idq́ aliquem lateat , ac nulli ineſſe putet , illud autem ineſſe ſciat : A enim per ſe in B & C , & hæc ſimili modo in omni D inſint. Si igitur A omni B,hocq́ ipſi D, A uerò nulli C , & hoc omni D ineſſe putet , eiuſdem ex eodem ſcientiam , & inſcientiam acquiret. Siquis item in iis , quæ ex eadem ſerie , ac conſociatione ſunt , decipiatur , uelut ſi A ineſt B,& hoc C, & C ipſi D, & A omni B, & nulli C ineſſe opinetur , ſimul ſciet , & non ineſſe putabit : nihil igitur aliud inde exiſtimabit, quàm ut id,quod ſcit, non ſuſpicetur. A enim ineſſe C,per B, tanquam res ſingulæ in uniuerſis ſint,quodammodo cognoſcit. Quare quod aliquo modo ſcit , hoc penitus ſuſpicari cenſebit , quod ſanè fieri non poteſt. In eo igitur quod dictum eſt, ſi medium ex eadem cognatione non ſit , ex utroq; medio ambas propoſitiones opinari non ualemus : ut ſi A omni B , & nulli C,hæcq́ utræq; omni D inſint : efficitur enim, ut uel abſolutè, uel aliqua in parte primam propoſitionem contrariam capiamus : ſi enim ei , cui B omni ineſt, A ineſſe ſuſpicatur, B autem ineſſe D cognouit, A quoque ineſſe D perſpectum habuit. Quare ſi rurſum cui C nulli ineſt, A ineſſe putat,cui B alicui ineſt,huic A ineſſe non exiſtimat. Id autem,cui omni ipſum B ineſſe arbitramur,rurſus alicui,cui B inſit, non ineſſe putemus,aut abſolutè , aut aliqua ex parte contrarium eſt : ita fit , ut ita opinari non contingat. Ex utroque uerò modo unam , aut ex altero utraſque,nihil obſtat : ut A omni B , & B ipſi D , & rurſus A nulli C : hæc enim fallacia huiuſmodi eſt, ueluti cùm in ſingulis rebus decipimur : ut ſi A omni B , & B omni C inſit , A omni C inerit : ergo ſi nouerit quiſpiam A,cui omni B ineſt,C etiam ineſſe cognouerit : ſed nihil prohibet , quin C eſſe ignoremus : ut ſi A ſint duo recti , in quo B triangulum , in quo C triangulum , quod ſub ſenſum cadit, aliquis,qui omne triangulum duos rectos habere ſciat , C non ineſſe opinetur. ſimul enim idem ſciet , & ignorabit . qui enim ſcit omne triangulum duos rectos habere , non ſimpliciter , ſed hoc ex uniuerſis rebus , hoc autem ex ſingulis cognouit. Sic igitur ut in uniuerſis , duos rectos eſſe cognouit , ut in ſingulis autem, minime nouit , quare contrarias non habebit. Simili etiam modo ratio , quæ in Menone eſt qua probatur diſciplinam eſſe recordationem,ſeſe habet. quod enim ſingulare eſt, prænoſci nũquam poteſt , ſed unà cum ſingularum rerum inductione ſcientiam , uelut recognoſcentes ſumimus. quædam enim ſcientes ſtatim ſcimus duobus tectis eſſe præditum,ſi triangulum cognouerimus. In aliis eodem modo ſe res habet. Singula igitur uniuerſorum ope cognoſcimus , at propria cognitione non ſcimus. quocirca euenit, ut in illis quoq; decipiamur : non tamen contrariè , ſed ut uniuerſam cognitam habeamus, in ea uero , quæ ſingularum rerum eſt , decipiamur. In iis igitur, quæ prædicta ſunt nobis , ſimili modo res ſe habet : quippe cùm nec error , qui per medium fit , neque exiſtimatio per utrunq; medium, ſcientiæ,quam per ratiocinationem habemus,cõtrarius ſit,nihil enim obſtat,quin is,qui ſcit,cum A omni B,hocq́ ipſi C inſit, A non ineſſe C putet : ut cùm omnis mula non pariat, hæcq́ mula eſt, hanc parturire exiſtimet. Etenim non ſcit A ineſſe

ineſſe C, qui per utrunque eſt non conſpexerit. Quamobrem perſpicuum eſt, ſi hoc nouit, hoc autem non nouit, falſum iri. quo ſanè modo uniuerſæ ad ſingulas ſcientias affectæ ſunt. Nihil enim eorum, quæ ſenſibus percipiuntur, ſi extra ſenſum fiat, ſcimus. neque etiam ſi ſenſerimus, niſi tanquam uniuerſum, & in eo, quod propriam habeat ſcientiam, ſed non quatenus in agendo eſt. Tribus enim modis ſcire dicitur, uel ut uniuerſali, uel ut in actione: quare decipi quoque totidem modis. Nihil ergo uetat, quin ſcire, & decipi in eodem ſint, uerùm non cõtrario nomine: quod ei etiã euenit, qui per utranque propoſitionem ſcit: & prius non conſiderauerit, ac pertractauerit: nam qui exiſtimat mulam prægnantem eſſe, ſcientiam actione non habet, imo uerò etiam nec propter exiſtimationem fallaciam ſcientiæ contrariam. ratiocinatio enim fallacia uniuerſali contraria eſt. ſiquidem, qui id, quod bonum eſt, malum eſſe exiſtimat, is bonum, & malum idem eſſe opinabitur. Sit enim bonum eſſe, pro quo A, malum uero eſſe, pro quo B, atque etiam bonum eſſe, pro quo C. cùm igitur idem, & B, & C eſſe exiſtimet, C quoque eſſe B, & B eſſe A ſimili ratione exiſtimabit. ita fit, ut C, A non minus opinetur. quemadmodum enim uerum erat, de quo C, etiam B, & de quo B, etiam A, & A, de C uerum erat: ita etiam in opinando, idem quoque in exiſtendo: cùm enim idem C & B, & B & A ſit, & C cum A idem erit: quare in opinatione ſimili modo res ſe habebit. Id igitur neceſſe erit, ſiquis primum concedat. Sed illud fortaſſe falſum eſt, ſiquis quod malum eſt, bonum eſſe opinetur, niſi id fortuito faciat; euenit enim, ut hoc multifariam opinemur; ſed de hoc eſt accuratius exquirendum.

CVM in capite de Reſolutione docuerit, quomodo fallacia ex terminorum collocatione fiat: (Fallimur enim cùm terminos habitudines pro habitis accipimus, uel cùm propoſitiones non determinatas ſumimus, & ratiocinari putamus, rati nihil differre ad ratiocinationem efficiendam propoſitionesne finitas, an infinitas accipiamus.) nunc docet, quid ſit contraria falsò de eodem opinari. Falſo opinamur contraria de eodem, uel quatenus ad rem, uel quantum ad nos ipſos ſpectat. Cùm autem ad rem, fit tribus modis, uel cùm utraſq; propoſitiones ignoramus, uelut cùm animal quoddam longum uiderimus, illud mulam eſſe exiſtimauerimus, cumq́; illud animal aluum tumidam habere deprehenderimus, prægnans eſſe fuerimus arbitrati, atq; ita fuerimus ratiocinati, Mula aluum habet tumeſcentem, omne quod aluum tumeſcentem habet, prægnans eſt, mula igitur prægnans eſt. Vel cùm uniuerſum cognitũ habemus, & ſingula neſcimus. exploratum enim nobis eſt omnia duo, paria eſſe: itaq; ſiquis rogauerit, num omnia duo paria ſint, affirmaremus. Quid? igitur duo, quæ manu mea occultantur, paria ſunt, negaremus: concluderet tum ille, nos eandem rem cognouiſſe, & ignoraſſe, cùm duo, quę in manu abdita habebat, aperit, ac patefacit. Non enim reſpondimus duo paria non eſſe, ſed nos non omnino ſcire, num duo ſint. Eadem quoque fallax concluſio in triangulo efficietur. Vel cum ſingula ſcimus, uniuerſum ignoramus: ueluti cognitum eſt nobis, elleborum purgare, non tamen num omnis elleborus purget: & perſpectum habemus, lactucam uim frigoris habere, ſed omnem lactucam ita eſſe, nos fugit. Contraria igitur quantum ad rem ſpectat, eſt animo concipere, & cogitare. At tunc nobiſmet contraria opinamur, cùm per ratiocinationem cõtrarium inferimus, quod extremæ dementiæ eſt. Nobis etiam contraria opinamur, ſi eidem contraria inferre ſtudemus, uel per idem medium, uel per aliud, atq; aliud: ſed utroq; modo abſurdum eſt: atq; ſi per idem medium, tunc etiam perſpicua eſt repugnantia hoc pacto; Voluptas eſt ſecundum naturam, quod ſecundum naturam eſt, bonum eſt, uoluptas igitur bona eſt: & contrà, Voluptas non eſt ſecundum naturam, quod non ſecũdum naturam eſt, non bonum eſt, uoluptas igitur non bona eſt. Per aliud, atq; aliud medium contraria ita opinamur: Voluptas eſt ſecundum naturam, hoc autem bonum eſt, uoluptas itaq; bonum eſt. deinde, Voluptas eſt noxia, quod noxium eſt, non bonum eſt, uoluptas igitur non bona eſt.

Fit nonnunquam, ut opinio noſtra nos fallat. Huiuſmodi præceptum nobis ad diſſerendum, & ad fallaciam utile eſt, eiq́; nomen eſt Fallaciæ ex opinatione: hoc enim præcepto docemur rationem qua cæteris tenebras offundamus, & à nobis diſpellamus: ſiquis nos circũuenire tentauerit. Qui ex ratiocinatione oppoſita infert, ut folia emittere omni uiti ineſt per intermedium ſucci, qui uim humectam habet foliorũ agglutinandorum: nulli etiam ineſſe per medium latifolii concludet, atq; hoc pacto ſibiipſi repugnabit, ueluti qui contrarias habeat de eadem re opiniones, atq; rei quoq; repugnat. Repugnat autem in re, qui ab utraq; ratiocinatione alteram propoſitionem maiorem capit, ut folia emittere omni ſucco conglutinato, & folia emittere omni latifolio. Hic enim rei contraria dicta ſunt: cùm enim poteſtate dixerim foliorum emiſſionem ineſſe omni, & nulli uiti, minimè opinatus ſum mihiipſi oppoſita, quoniam omnes propoſitiones ratiocinationum re ipſa non protuli: ut ſuccus compactus ineſt omni uiti, & latifolium omni uiti. Prętерea ſi dixero, uoluptas ſecundum naturam eſt, & uoluptas imperfecta eſt, oppoſita rei opinatus ero, non tamen mihiipſi: dixero enim uoluptatem bonum eſſe, & non eſſe facultate. Neq; enim etiam actione maiores utriuſq; ratiocinationis propoſitiones pronunciaui, imperfectum uidelicet, non bonum eſſe, & ſecundum naturam bonum eſſe. Simili modo non mihiipſi, ſed rei repugno, ſi unius ratiocinationis ambas dixero propoſitiones, ut folia emittere omni ſucco coagmentato, hicq́; omni uiti, alterius autem ratiocinationis alteram propoſitionem dicam, folia uidelicet emittere nulli latifolio.

In eo igitur, quod dictum eſt. Medium dicit A, tanquam de B, & C enuncietur.

Opinari non ualemus. Hoc eſt,contrarias ſententias habere, ac quantum ad rem attinet, repugnare nequimus. Verùm nos nobiſcum pugnamus, ſi ſecundum utrũq; terminum ambas propoſitiones capiamus,ut & A omni B,& B omni D inſit:A deinde nulli C,& C omni D,atq; etiam A nulli C,& C omni D. non enim ſolùm per ratiocinationem A & omni, & nulli D inferimus, id quod uidelicet aduerſus ſeſe repugnare,ſummæ amentiæ eſt,atq; idem ex eodem actu,& re ipſa ſcire,& ignorare. Sed etiam propterea quod B, & C omni D inſunt,tertia figura formatur. atq; ſi termini æquales ſint, D omni C ineſſe infertur,ac reciprocabitur,& C omni B inerit. Ex quo fit,ut ſi A nulli C,& C omni B inſit, A nulli B inducatur: ſed omni etiam inerat,quod fieri haud quaquam poteſt. At ſi termini æquales non ſint, B alicui C inferetur:ex quo ſequitur,ut quoniã Aliquis in ſe reciprocatur, C etiam alicui B inſit. cumq́; A nulli C, & C alicui B,erit A non omni B,quod omni quoq; erat. Ita igitur ſi egerimus, & nobis, & rei aduerſabimur. Propoſitionem uocat hanc, A omni B ineſt,quæ uel abſolutè,& uniuersè concluſioni,quæ Nulli infert,contraria eſt,uel aliqua in parte,id eſt repugnanter oppoſita eſt Non omni concluſioni.& ita aduerſus nos pugnamus.adeo,ut ſi A ineſt omni,cui B, id eſt omni B, & B omni D, A omni D inerit. Alteram ratiocinationem,ut breuitati addictus ſilentio inuoluit. atq; etiam ne eadem dicere uideretur, ut A nulli C, & C omni D.quare & A nulli D:& ita eueniret,ut idem ſciremus,& ignoraremus,& propterea nobiſmet ipſis repugnaremus. Si præterea A nulli C ineſſe arbitratur,quod alicui C,alicui B ineſt,ut in tertia figura prolixa oratione docuimus, A non omni B ineſſe putat. Illud autem A, quod ei,cui B,hoc eſt,omni B, ineſſe opinatus erat,rurſus non ineſſe cogitat.Cùm dixit,Non ineſſe,facultatem nobis dedit,ut uel abſolutè,hoc eſt Nulli,uel in parte, id eſt Non omni contrarium eſſe cognoſceremus, & manifeſto appareret nos nobis aduerſari. Hac itaq; ratione non euenit,ut rei cõtraria opinemur. Sed ita agamus, & omnes duarum ratiocinationum propoſitiones accipiamus, nobis contrarii erimus. Si alterius ratiocinationis altera propoſitio,minor uidelicet relinquatur,& dicatur A omni B, B omni D,& alterius maiorem dicamus, A nulli C, minoremq́; prætereamus,nihil obſtat, quin ita in re aduerſemur. Minore enim unius ratiocinationis prætermiſſa, quod ex iis inferetur, comprehendere non poterimus. A quod alicui homini putatur ineſſe, omni B putare etiam non ineſſe,contraria ſunt. Illud autem,Non putare,ſumptum eſt perinde,ac ſi dictũ eſſet Nulli,uel Non omni B.

Si idem pluribus primum ineſſe contingat. Id eſt,ſine aliquo interiecto medio.

Per ſe. Id eſt abſq; medio.

Et hæc omni D inſint. Exponit,quonam pacto propoſitiones uere enuncientur, poſtea ipſas oppoſito modo excipit.

Simili modo. id eſt nullo medio interiecto. Subſtantiam,Animal,Animatum,Hominem cognata,& conſociata appellat,utpote quæ ab unius ſummi generis Subſtantiæ inquam, diuiſione ſint. ut ſi A omni B ineſt,& hoc A omni C inerit. Exponit præterea quomodo propoſitiones uerè aliquid enũcient:deinde non opinari,& non cognoſcere,contrarias eſſe opiniones ait.

A enim ineſſe C per B tanquam res ſingulæ in uniuerſis ſint,quodammodo cognoſcit. Ineſſe C,id eſt omni C.quoniam hæc propoſitio,Subſtantia omni animato ineſt,magis uniuerſalis eſt, quàm hæc, ſubſtantia omni animali,& ipſam continet:ſequitur,ut qui hanc,Subſtantia omni animato,cognoſcit:hanc quoq;,Subſtantia omni animali,poteſtate cognoſcat, & ſi id actione ignorat:& falsò Subſtantiam nulli animali opinatur ineſſe: atque hic non ſibi, ſed rei repugnat, quandoquidem id cognoſcere cùm poſſit, non nouit tamen.

Quare quod aliquo modo ſcit. Id inquit, facultate omnino & re ipſa cognoſcit. Ita igitur ſi fecerimus,idemq́; & unum,hoc eſt folia emittere,de una, & eadem uite per ratiocinationes concluſerimus:uerbi cauſa,Folia emittere omni,& nulli uiti ineſt,non opinamur rei contraria, ſed nobis repugnamus. Si uerò ab utraq; ratiocinatione maiorem propoſitionem ceperis,minoresq́; ualere permiſeris,uelut folia emittere omni innato ſucco,& nulli latifolio, repugnãtiam ipſa in re feceris:quod quomodo fiat, deinceps ſpectabimus. Nam qui opinatur folia emittere omni inſito ſucco ineſſe,poteſtate infert omni quoque uiti ut inſit, & qui deceptus ſit, folia emittere nulli latifolio, poteſtate itidem id falſum, folia emittere nulli uiti ineſſe,infert. Vides quomodo contrarias opiniones, & ſentẽtias de una re,uite uidelicet habeamus? Simili modo repugnãtia in re fiet,cùm duas unius ratiocinationis propoſitiones acceperis,& folia emittere omni uiti ineſſe concludes: alterius uerò ratiocinationis maiorem pro medio ſumpſeris, folia uidelicet emittere nulli latifolio.Ex hac enim falſa opinione rei cõtrarium,uidelicet folia emittere nulli uiti,poteſtate infertur.Hic error,per quem uerè opinantes folia emittere omni uiti ineſſe,falſum poteſtate inferimus, uidelicet folia emittere nulli uiti,ſimilis illi eſt,quo in ſingulis rebus,& iis,quæ ſenſibus percipiuntur, decipi uidemur:nam prout idem ſcire,& ignorare uidemur,ita hic etiam euenit,ut in re in errorem inducamur: ut triangulum,quod in manu deſcriptum habemus,curuum'ne ſit,an æqualia habeat latera, propter digitos occultum eſt.quod ſanè triangulum C eſt: quoniam enim uniuerſali ratiocinatione omne triangulũ tres angulos duobus rectis habere æquales cognoui, cognitum itidem habeo idem C,hoc eſt ſingula triangula tres angulos habere,prout diximus,uerùm tanquam ſingulare,& ſub ſenſum cadens,ignoro,utpote occultum ſit: quod enim non cognoſco triangulum ſit,nec'ne,quonã modo ſciam, num tres angulos duobus rectis æquales habeat? ſed nihil impedimento eſt, quin C triangulum eſſe cognoſcamus. Scire enim omne

triangulum

triangulum tribus angulis duobus rectis ęqualibus conſtare,duas cognitiones infert:alteram quatenus uniuerſorum cognitione præditi ſumus: alteram uerò quantum rerum ſingularum cognitionem habemus. quippe cùm is,qui omne triangulum tres angulos duobus rectis æquales habere ſcit,omnia quoq; triangula huiuſmodi eſſe cognoſcat neceſſe eſt: qui enim aliquid rerum ſingularum, utrum ita ſe habeat, ignorabit,uniuerſum diligenter non cognoſcet.

Sic igitur ut in uniuerſis.Hoc eſt,ex cognitione,& ratione uniuerſali cognitū nobis eſt C, hoc eſt particulare trianguli,quod in manu eſt,tres angulos duobus rectis æquales habere. At in ſingulari,hoc eſt ex cognitione,quæ ſub ſenſum cadit,& rerum ſingularum eſt, ignoramus, utpote à nobis uiſum cum non ſit. Ex quo ſequitur,ut qui particulare triangulum ratione quadam uniuerſali cognoſcit, in particulari ignorat,contrarias habeat in re opiniones, ſibi tamen ipſi non repugnet:quonam enim pacto ſibiipſi contrarius erit,ſi alia uia cognouit C,alia ignorauit. C E G I, quadratum quatuor quadrata facit,quæ quadrupla ſunt A B C D quadrati.at quadratum A F G à dimetiente D A deſcriptum,quod etiam in quatuor quadrata diducitur, duplum eſt quadrati A B C D, quod ex duobus triangulis conſtat: quatuor enim triangula dupla ſunt duorum triangulorum.Enimuero Menonis puer nequaquam prænouerat ſingulare,hoc eſt hanc præcipuam ſpeculationem, quadratum uidelicet à dimetiente deſcriptum , & reliqua quæ ſequuntur, niſi fortè ipſius animus uniuerſali ratione,omne quadratum à dimetiēte effectum duplum eſſe quadrati,cuius dimetiens eſt, cognouiſſet: cuius rei anima in corpus ingrediens obliuionem habuerat. Sed una cum rerum ſingularum inductione.Hoc eſt,Senſu:ſimul,inquam,atq; huiuſmodi quadratum in corpore deſcriptum nouit,ipſius ſtatim ſcientiam habuit,& cognitionem:quippe qui particulare cognoſcat,quatenus in huiuſmodi contemplationis uniuerſalem cognitionem deuenit.

Quædam enim ſcientes.Hoc eſt,res ſingulas ſciuimus,cùm primum triangulum,ꝙ in manu celatum eſt,omnino triangulum eſſe cognouimus: atq; etiam cùm manus diducta,& dilatata ſit,ac uideri triangulum poſsit,ſtatim tres illud angulos habere duobus rectis æquales exploratum habuimus.

In alijs eodem modo ſe res habet.Hoc eſt,in mula:ſingulas enim res, hoc eſt ſingulas mulas contemplamur, & ſteriles eſſe ſcientia uniuerſali cognitum nobis eſt , ac perſpectum, ex eo ſcilicet, quòd omnem mulam non parere ſcimus.

Ex propria uero cognitione.In cognitione rerum ſingularū,quę à ſenſu proficiſcitur,nequequam nouimus mulam ſterilem eſſe:euenit enim,ut fallamur,cùm putamus mulam grauidam eſſe,propterea quòd uentrem tumidum,& inflatum habeat:id quod fit,quoniam ſumimus animalia, quæ uentrem prominentem,ac tumidum habēt,grauida eſſe,& parere.Quibus quidem fit rebus,ut cùm uniuerſum cognoſcamus, omnem uidelicet mulam non parere,in ſingulis propter inflatum uentrem decipiamur.

Non tamen contrariè. Non, inquit, nobiſmet, ſed rei repugnamus quippe qui uniuerſi cognitionem cum habeamus,in rerum ſingularum,& in ea,quam per ſenſum acquirimus,cognitione erremus. Quod in iis etiam,quæ prædicta ſunt,euenit,in quadrato,uidelicet & triangulo.

Quippe cùm nec error,qui per medium fit.Quoniam inquit,nihil habens uentrem tumidum ſterile eſt,minimè contrarium eſt ſcientiæ,& cognitioni,quam nos de ratiocinatione tradidimus, & in qua nūc etiam uerſamur,per quam mulam ſterilem eſſe edocti ſumus,quænam repugnantia ex hac opinatione, & cognitione Nihil inflatū uentrem habens non parere,contra ueram hanc opinionem.Mula non parit propterea quòd omnis mula inepta ad pariendum ſit,orietur? At neq; exiſtimatio per utrumq; mediū,uidelicet omnis mula ſterilis eſt,& nihil tumidū uentrem habens ſterile eſt, inter ſe contrario nomine ſe habent: ſunt enim inter ſe diuerſæ.Quoniā quod prohibet eum,qui ſcit A uniuerſo B, & B omni C ineſſe.(hic animaduertendum eſt Philoſophum,cùm D eſſet dicendum, C dixiſſe.) A quoq; non ineſſe C arbitrari.

Etenim A ineſſe C neſcit.Non accuratè cognouit is A non ineſſe uentrem tumidū habenti, qui per utrumq; eſſe non conſpexerit, & miſcuerit:hoc eſt, qui minorem quoq; propoſitionem Mula uentrē tumidum habet,non admixerit,& has duas propoſitiones re ipſa acceperit,& ratiocinatus ſit,Mulā ſterilem non eſſe.Quare perſpicuū eſt,ſi hæc nouit.Hoc eſt,ſi uniuerſum cognouit.Hoc autē non nouit,hoc eſt ſingula ignorauit,Falletur,hoc eſt error non in ſeipſo,ſed in re fiet.quo ſanè modo ſcientię,& cognitiones uniuerſales ad particulares affectæ ſunt.Quoniam cùm uniuerſa cognoſcimus, ſingula neſcimus:nam elleborum nouimus,ut ſtatim aſpeximus: ac num omnino elleborus ſit,cognitum non habemus.Nihil enim eorum,quæ ſenſibus percipiuntur,extra ſenſum noſtrum ſi fiat,percipimus,& ſi illud & ſentimus, & cognoſcimus:Muſicum enim Coriſcum cognoui:at ſiquis illum uocarit,meq; num uocatus ille muſicus Coriſcus ſit,rogarit,omnino non eſſe reſpondebo,utpote qui eum,qui uocetur, ignorem. Ex quo ſequitur,ut particulare procul à ſenſu factum ignoretur: ueluti triangulum quod in manu eſt,niſi fortaſſe quis dicat nos illud ex uniuerſo cognoſcere, & ex eo, quod propriam ſcientiam, hoc eſt uniuerſalem cognitionem habeamus,non tamen quatenus in agendo eſt,particulare uidelicet triangulum non cognoſcitur, quatenus agit, & componit ratiocinationem.Nam cùm ignorem,utrum illud,quod in manu eſt,triangulum ſit, quomodo nam illud ignoratum accipere, & ita ratiocinari potero, Triangulum,quod in manu eſt,triangulum eſt, omne triangulum tres angulos duobus rectis æquales habet? Itaq; cùm Scientia tribus modis dicatur, totidem Fallacia quoq; dicetur. Vel enim in cognitione uniuerſali ſcio , & particulari neſcio: uel in propria,hoc eſt ſenſu percipio quicquid,id eſt particularia,& uniuerſum ignoro: uel in agendo, hoc eſt quate-

nus ratiocinationem facimus:atq; hoc modo nihil obſtat,in eodem ſcire,& falli:nec tamen nobis,ſed rei aduerſamur. Occultum enim triangulum tresńe habeat angulos æquales duobus rectis in uniuerſo ſcio, at quatenus à me uiſum non eſt,ignoro. Ex quo euenit, ut is rei repugnet, qui utramq; maiorem utriuſq; ratiocinationis propoſitionem agnouerit,prius tamen non pertractauerit,hoc eſt,ratiocinationem fecerit,& ambas propoſitiones duarum ratiocinationum acceperit. Quippe cùm is, qui Mulam uentre inflato conſpexerit,illamq́; parere ſit opinatus,fallatur: utpote qui agendi,& ratiocinationẽ efficiendi ſcientia careat. Nam ſi ſecum hanc eſſe Mulam,& omnem Mulam uterum non geſtare,hanc igitur Mulam uterum non geſtare ratiocinetur,ſenſus eum minime decipiet,

Imò uerò etiam nec propter exiſtimationem. Id eſt, propterea quod opinemur hanc Mulam parere ex eo,quod tumidum uentrem habeat,aliquis hunc errorem,& ignorationem per ſenſum uniuerſali ſcientiæ,quæ eſt Omnis mula uterum non gerit,contrarium diceret.

Ratiocinatio enim contraria fallacia uniuerſali eſt. Id eſt,error, & ignorantia per ſenſum contraria uniuerſali cognitioni ratiocinatio eſt, hoc eſt, per ratiocinationem fit. Verùm ſiquis in ſenſu abſolutè, & abſq; ratiocinatione fallatur,nemo hunc errorem,& inſcitiam uniuerſali ſcientiæ, & cognitioni cõtrariam dicet. Atq; ille quidẽ Princeps ingenii,& doctrinæ Plato, cùm uellet diſciplinas eſſe recordationes demonſtrare,Socratem ita Menonem interrogantem introducit: Virtus, inquit Socrates, percipíne,ac comprehendi poteſt?quid uirtus eſt?cognoui enim te cùm hanc diligenter à Gorgia perdiſceres. Tum Meno: Virtus mulieris eſt domum recte gubernare,Imperatoris uerò exercitum ducere. Ac Socrates: Multas hercle inquit, ô Meno,ut mihi uidetur,uirtutes didiciſti:cedo,quid uirtus eſt. Fortitudo inquit Meno, Temperantia,Sapientia,& Prudentia. At Socrates:Non quot uirtutes eſſent,inquit,ſed quidnam ipſa eſſet uirtus, rogaui:igitur ſi quæramus inueniemus. Nec inuentio eſt, inquit Meno,nec quæſtio:nam ſi quis quidpiam ſciuerit,de eo non quæret: ſi uerò non ſciuerit, non eſt, cur eum quærere poſſe putem. Tum Socrates ſeruum, qui Menonem ſequebatur, inducit, eumq́; rogat,& per ſe ſpeculationem quandam, cuius cognitionem prius non habebat,facit inuenire:ea huiuſmodi erat,Quadratum à media linea, linea deſcriptum duplum eius quadrati eſt,cuius dimetiens eſt,quadratum uerò A B C D deſcribit,deinde A O mediam lineam ab angulo ad angulum perducit,ac deſcribit ex latere B O quadratum B F O E: ex A B alterum quadratum A G H B. & ex B H aliud B F I H:unum igitur quodq; latus A B C D æquale eſſe perſpicuum eſt. Supplementum addit,& in utroq; quadrato lineas ab angulo ad angulum uidelicet A H,H F,F D,& D A,perducit. Eſt itaq; clarum,atq; apertum C E,G I, quadratum quadruplũ eius eſſe,quod de A B C D conſtat,quandoquidem tria quadrata eidem æqualia appoſita ſunt. Quatuor igitur quadrata æqualia alterius ipſorum quadrupla ſunt. Seruus autem id ex ipſa rei euidentia, ac perſpicuitate fatetur:cumq; mediæ lineæ unumquodq; ex quatuor quadratis in duo triangula æqualia ſecent, octo triangula inter ſe æqualia efficiunt,ex quo ſequitur,ut quadratum C E G I quadruplum A B C O quadrati ſit:quadratum igitur A O F H ab A D media linea deſcriptum duplum eſt quadrati ab A B C O confecti. Socrates igitur hac ratione per huiuſmodi interrogationes fecit,ut Menonis puer ſpeculationem,quam non nouerat,ipſum à quibuſdam, quæ prius explorata habebat, in eius quod quærebatur, cognitionem deducens inueniret. Cognitio igitur ex quæſtione,& inuentione in nobis fit.

Siquidem qui id,quod bonum eſt,malum eſſe exiſtimat. Falletur præterea quiſpiam,atq; idem bonum,& malum eſſe cenſebit,ſi æquè de Fortitudinis definitione, ac ſi mali eſſet,exiſtimarit:atq; huius definitio non ſecus,quàm ſi boni eſſet,de fortitudine dicatur. Fortitudinis definitio, ut boni, eſt animi affectio in eis rebus,quæ formidoloſæ ſunt,ſubeundis,& repellendis bonum efficiens:ut mali autem, eſt habitus in formidoloſis rebus mali effector.

Qui id quod bonum eſt,malum eſſe exiſtimat. Hoc eſt, Siquis boni definitionem eandem eſſe cum ea,quæ fortitudinis,ut mali eſt,putarit,efficietur, ut idem opinetur,hoc eſt, fortitudinis definitionem eſſe boni,& mali capacem,& ex hoc,non modo eaſdem eſſe boni,& mali definitiones,ſed fortitudinem bonam eſſe,& malam ſequetur.

Atq; etiam bonum eſſe pro quo C. Hoc eſt, Fortitudo pro quo C. Cùm itaq; B, & C idem eſſe exiſtimet, C quoq;,& B eadem erunt:cumq́; mali definitio de fortitudine dicatur,res quæ definitione explicatur, definitioni par erit, atq; æqualis. Siq́; boni definitio de fortitudine enuncietur,erit eadem definitio cum definitione,quoniam ea,quæ de eodem ſimili modo dicuntur, inter ſe quoque eadem ſunt:ut A & B eadem erunt,& fortitudo bonum erit,& malum.

Cum igitur B, & C eſſe exiſtimet. Hoc eſt,Mali,& fortitudinis definitionem, C quoq;, & B, & B & A ſimili ratione eadem eſſe exiſtimabit, propterea quòd putet æquè de fortitudine enunciari. quare C & A eadem erunt.

Quemadmodum enim uerum eſt. Hoc eſt,Quemadmodum B de omni C, & A de omni B uerè enunciatur,uerum eſſet,ſi A de C dici concluderetur.

Ita etiam in opinando. Hoc eſt,In opinione,& coniectura:nam opinabimur A de C uere enunciari.

Idem quoq; in exiſtendo. Hoc eſt,In rebus:nam ut orationes,& propoſitiones, ita etiam opiniones,& coniecturæ,atq; ut opiniones,ita & res ſe habent: quippe cùm C, & B eadem ſint, eadem B, & A itidem erunt. Ex quo euenit,ut C & A eadem ſint. Vt igitur in rebus,ita in opinione quoq; ſe habent.

Idigi

Id igitur neceſſarium erit. Neceſſe inquit, erit opinari fortitudinem bonum, & malum eſſe, ſiquis primum fortitudinis definitionem ut boni, & eandem ut mali eodem modo de fortitudine enunciari dixerit. Sed illud fortaſſe falſum eſt. Aliquem uidelicet opinari, bonum eſſe, & malũ, hoc eſt, definitiones boni, & mali ſimili modo de fortitudine dici, falſum eſt, niſi ſiquis alterum concedat. mali aliquam definitionem de fortitudine fortuito dici, eo quòd uirũ fortẽ uigilare, & multa mala pati, ac uulnerari accidat, & multis modis quiſpiã fortitudinem malũ eſſe, fortuitu tamen, opinatur. At boni definitio ex ſeſe & natura ſui de fortitudine enunciatur, quandoquidem fortitudo per ſeſe boni, id eſt gloriæ, & laudis effectrix eſt.

DE RECIPROCATIONIBVS QVAE IN PRIMA FIGVRA FIVNT.

CVM autem extremitates reciprocentur, medium quoq; in utranq; reciprocari neceſſe eſt: nam ſi A de C, per B ſit, ſi reciprocetur, C itidem omni A inerit, & B cum A uiciſſim retro commeabit. B etiam per medium C omni A ineſt, & C in B per medium A reciprocabitur. Simili modo in eo quod non ineſt: uerbi cauſa, ſi B inſit C, & A non inſit B, A quoq; ipſi C non inerit. Atqui ſi B in A reciprocetur, C itidem in A reciprocabitur. B enim nulli A inſit, ergo nec C quidem inerit, nam B omni C inerat. Sic; C cum B reciprocetur, C itidem cum A reciprocabitur. quippe cum de quocunq; ipſum B, omnino de eo C quoq; diceretur. Ac ſi C in A reciprocetur, B non ſecus faciet: cui enim B, eidem etiam C ineſt: & cui C, ei A non ineſt: atq; id ſolum à concluſione initium ſumit, cætera uerò non ſimili modo, ut etiam in ratiocinatione enunciante fiebat. A præterea & B ſi reciprocentur, C quoq; & D ſimili ratione reciprocabuntur. A enim & C omni inſint neceſſe eſt, B item & D ſic ſe habebunt, ut alterum omni inſit: quoniam enim cui A, eidem B, & cui C, eidem D: A autem uel C omni, non tamen ſimul ineſt: B aut D omni non tamen ſimul ineſſe perſpicuum eſt: uelut ſi ingenitum interitus expers, & interitus expers ingenitum ſit: id quod genitum eſt, corrumpi, ac diſſolui, quodq; corrumpitur ac diſoluitur eſſe genitum erit neceſſe: duæ enim ratiocinationes effectæ ſunt. Ad hæc ſi A uel B, & C uel D omni inſint, eaq; ſimul non ſint, ſi A reciprocetur, B quoq; & C & D reciprocabuntur. Si enim B alicui ineſt cui D non inſit, ipſum A ineſſe clarum eſt: at ſi A inſit, quippe cum reciprocentur, C quoque inerit: quare ſimul C & D erunt. ſed hoc non fieri quidem poteſt. At quando A uniuerſo B & C ineſt, deq; alio nullo enunciatur, & B omni C ineſt, A & B reciprocentur neceſſitas cogit. Quoniam enim A de ſolis B & C dicitur, B uerò & de ſe & de C enunciatur, de ijs omnibus, de quibus A dicitur, B quoque, præterquam quòd etiam de A dictum iri patet: cùm item A & B toti C inſint, & C in D conuertatur, A omni B inſit neceſſe erit: nam propterea quòd A omni C ineſt, & C ipſi B ineſt ex eo, quod reciprocantur, A etiam omni B inerit: cùm autem duo ſint, ut A magis expetendum, quàm B ſit, quando contraria fuerint, D quoque magis, quàm C erit. Simili modo, ſi A C magis, quàm B D expetenda ſint, A magis quàm D erit expetendum. Similiter enim A ſequendum, & B fugiendum, contraria enim ſunt. C quoque & D, nam & hæc quoque ſunt contraria. Si igitur A æquè ac D expetendum ſit, & B æquè ac C fugiendum erit: utrumque enim fugiendum pari ratione utrique ſequendo. Quare & hæc ambo A C æquè ac B D. Quod autem magis fieri æquè non poteſt: nam & B D æquè erunt. Verùm ſi D magis quàm A expetendum eſt, B minus quàm C fugiendum erit: nam quod minus eſt minori opponitur: magisq; maius bonum, & minus malum, quàm minus bonum, & maius malum eligendum eſt. Ad ſummam itaque B D magis quàm A C expetendum eſt; at nunc non eſt, A igitur magis expetendum quàm D. C itaque minus fugiendum quàm B. Atqui ſi omnis amans, quatenus amans eſt, A placere cupientes, & C non placens, quàm D placentes, & B placere non cupientes mallit, A placere cupientes magis, quàm id quod placet, erit expetendum. Amicitia igitur magis, quàm coniunctio amantis ſententia expetenda eſt, magisq; amor in amicitia quàm in concubitu conſiſtit. Si uerò amor amicitiæ gratia maxime eſt, finis amoris amicitia eſt. Igitur complexus uenereus uel omnino nõ eſt, uel amicitiæ cauſa fit: nam & aliæ cupiditates atq; artes hac ratione fiũt. Termini igitur per reciprocationes quomodo in eo quod magis appetendum, magisúe declinandum eſt, ſe habeant, perſpicuum fecimus.

VARIA præcepta hoc loco tradit, quæ ad multa utilia ſunt. Docet autem Reciprocationem, quæ in prima tantum figura demonſtratur. Ab ea reciprocatione de qua doceri debere dictum eſt, differt: quandoquidem in illa * uel concluſioni repugnanter contrarium, & alteram è propoſitionibus accipimus, alteramq; reiicimus: in hac uerò nihil horum facimus, ſed concluſionem commutando alteram è propoſitionibus poſitam accipimus, & alteram confirmamus. Differt præterea à demonſtratione, cui à circulo nomen eſt, quod in illa concluſionem commutando non ſumimus, ſed propoſitionem, atque alteram demonſtramus.

Cum autem extremitates reciprocentur, Hoc eſt, cùm concluſiones reciprocentur, Medium quocp in utramcp reciprocari neceſſe eſt: Hoc eſt, B in A, & C in B in ratiocinatione enunciante.

Ergo nec C quidem inerit. Hoc eſt, & C nulli lapidi inerit: & ſi C in B conuertitur, B quoq; in A conuertetur, extrinſecus aſſumptum eſt B. Si B in A conuertitur, neq; C erit, & C nulli A inerit, ac ſi C in B, & B in A commutatur. Illud autem quod ait,

Quippe cum de quocumcp ipſum B omnino, de eo C quocp diceretur: ſignificat, B & C eſſe ſibi ipſis æqualia, ac propterea uiciſsim retro commeare, propterea quod, ſi B omni C inſit, C quoq; omni B inerit: atq; ſi C in B conuertitur, B etiam in A conuertetur. Sed hoc relinquit,

Cui enim B, Hoc eſt cui omni B ineſt: Ei A non ineſt: hoc eſt C nulli A ineſt. At B C, quoniam duæ negantes fierent, non demonſtratur, & ob id B C reciprocari non probat. C autem reciprocari in prima figura demonſtrare non poſſumus, propterea quòd minor in negantem euaderet.

Atcp id ſolum à concluſione initium ſumit. Maiorem inquit propoſitionem B uidelicet nulli A ineſſe tunc demonſtramus, cùm concluſionem conuertimus, & ſubiectum in concluſione, uidelicet C accipimus, ex qua ratiocinantes initium ſumimus.

Cætera uerò non ſimili modo. Cùm demõſtramus C nulli A ineſſe, maiorem propoſitionem ſolam conuertimus, & B nulli A ineſſe affirmamus.

Vt etiam in ratiocinatione enunciante fiebat. Hoc eſt, in prima figura, quandoquidem in ea etiam ſola concluſio reciprocatur: & in ipſa eademmet figura fieri demonſtrationem conſtat inter omnes.

A præterea & B ſi reciprocentur, C quocp, & D ſimili ratione reciprocabuntur. Duas hic repugnantias capit: nam ut pro ſua quiſq; uoluntate uoluerit, altera repugnantia dicetur, & ſequetur alterã, atq; altera alteram conſequetur: uerbi gratia, Sit genitũ ingenitũ, interitus capax, interitus expers: igitur ſi interitus expers ſit ingenitum, & ingenitum interitus expers ſit, genitum interitus capax eſſe perſpicuum eſt: atq; id reciprocatur: nam ſi interitus capax genitũ ſequitur, erit aliquid genitũ per ſe. Et quoniam de quacumq; re uel affirmatio, uel negatio uera eſt, ſi interitus capax genitũ non ſequitur, interitus expers ſequetur: quòd ſi interitus expers genitum ſequatur, ingenitũ cum eo uerum dicet: id quod maximè abſurdum eſt: Verum igitur eſt, genitum in id conuerti, quod aliquo mortis fato perimatur. Hoc loco cauillantur, ii, qui mundum genitũ, & interitus expertem dicunt: nam ſi interitus expers eſt, ingenitus quoq; eſt, & repugnantia ſimul uerum dicit: quo nihil falſius dici, aut fingi poteſt. Ac poſtea duæ ratiocinationes ex iis, quæ nos incommodo urgere dicuntur, fiunt. Id etiam ſcire debemus pro declaratione illius, quod paulo ſupra dicebamus, (Atq; altera alteram ſequetur) ea uerba idem ſignificare, ac ſi diceremus, B opponitur C: quod niſi ita ſit, B ſequetur D, & A, & C de E enunciabuntur, & repugnantia uera erit. Hæc una ratiocinatio eſt, quæ repugnantiã infert, hoc eſt A, & C de eodẽ E uera fore: quare B ipſi D opponitur. Altera ratiocinatio huiuſmodi eſt, per quam concludatur A ipſi C opponi, ꝙ ſi non fiat, de hac uerum dicet: quia quoniam B ſequitur A, & D ſequitur C, D, & B ſimul de H uerũ dicent: cumq; B & D repugnãtia ſit, & repugnantia de eodem uera eſſe non poſsit, ſequetur, ut A ipſi C contrariũ ſit. Nam ſi B non ſequitur omne D, A ipſum D ſequetur, & cùm C ſequatur A, C quoq; ipſum D ſequetur: & hoc fieri non poteſt.

Ad hæc ſi omni uel A, uel B &c. Alterum præceptum ſuperiori contrariũ, & eiuſdem exempli appoſitione clarum fit, ac perſpicuum. Si ſint, inquit, quatuor quædam, quæ uiciſsim reciprocentur, ut Ingenitum A, Genitum B, Interitus expers C, interitus capax D, & C in A, & D in B uertatur, alterumq; horum alteri cõtrario nomine repugnet, reliquum etiam reliquo repugnet neceſſe eſt: nam ſi interitus expers ipſi D, hoc eſt interitus capaci contrarium eſt, A quoq; ideſt ingenitum, B hoc eſt genito contrarium ſit, eſt neceſſe: nam ſi contraria ſunt, genitum, & ingenitum de eodem, hoc eſt, M, uerum enunciabunt. At ſi ingenitum cum genito uerum dicet, uerum quoq; interitus expers cum interitus capaci dicet: quo nihil eſt abſurdius. Igitur ingenitum genito contrarium eſt.

At quando A uniuerſo B, & uniuerſo C ineſt. Hoc aliud deinde præceptum eſt. Si inquit, unus terminus, qui enũciatur, uelut animal, de duobus ſubiectis B, & C, & de nullo alio dicatur, alterq; de altero enũcietur, ut B de C, A animal cũ B, utpote ꝙ ei æquale ſit, reciprocetur neceſſe eſt: nã ſi A de ſolis B & C enũciatur, & B de ipſo A tanquam cũ ipſo conuertatur, & de C dicitur, manifeſtũ eſt, B de omni A enunciatũ iri.

Præterquam quod etiam de A. Hoc eſt, & de ipſo A enunciabitur. illud autem Præter, hoc in loco, quoq;, ſignificat. Si inquam B de omnibus iis dicatur, de quibus A dicitur, uidelicet de C, ratione utenti dico, & rationis experte, de A quoq; dicetur.

Cùm item A & B toti C inſint, & C in D conuertatur, A omni B inſit neceſſe eſt. Aliud deinceps nos præceptum docet. Sit A animal, B ridens, C homo: ſi A & B de omni C enuncientur, ſubiectũq;, uidelicet C cum B reciprocetur, deq; eo dicatur, neceſſe erit reliquum A de toto reliquo, hoc eſt, B enunciari: demonſtratio in prima figura fit. Si duæ repugnantiæ ſint, & in utriſq; uel expetendum, & fugiendum ſit, uelut ualetudo, inualetudo, opulentia, inopia uel in una expetendũ una cum fugiendo alterius collocetur, ut ualetudo cum inopia, quæ magis quàm cæteræ, opulẽtia uidelicet & inualetudo expetendæ ſint, neceſſe etiam eſt, expetendũ, ualetudinem inquam, magis expetendã eſſe, quàm opulentiam, quę ipſa quoq; expetẽda eſt. Nam uel maius eſt, uel æquale: uel minus, & nihil, pręter hęc, eſſe poteſt. at ſi maius eſt, quod quærebamus, habebimus, magis uidelicet expetendum cum fugiendo coniunctũ, alio quod expeten-

dum

dum eſt, magis expetendum eſſe. Si uerò ſit æquale, cùm expetendum expetendo æquale ſit, fugiendum quoq; fugiendo æquale erit:igitur expetendum cum fugiendo æquale erit expetendo cum fugiendo: hoc eſt,uniuerſum uniuerſo:ſed maius eſſe poſitum eſt,idq́; abſurdum eſt. At ſi minus ſit,fugiendũ quoq; cum quo maius eſt,uidelicet inualetudo,minus erit:minori enim expetẽdo minus malum,& maiori maius contrarium eſt. Si diuitiæ cum morbo magis expetendæ ſunt,quàm proſpera ualetudo & paupertas,ſequetur, ut paupertas maius malum,quàm morbus ſit:ſemper enim maius expetẽdum,& minus, fugiendum eligimus. Erit igitur ualetudo minus expetẽdum, ſed maius eſſe poſita eſt: idem igitur & maius & minus expetendum erit.quod nihil eſt,cur fieri putem poſſe. Verum igitur eſt, ualetudinem magis eſſe expetendam. Maiori bono maius malum contrarium eſt,niſi minus à maiori contineatur:ut firma corporis affectio maius bonum ualetudine eſt:ſed malum ualetudini cõtrarium,hoc eſt morbus,maius eſt,quàm malum firmæ corporis affectioni contrarium, hoc eſt infirma corporis affectio, quæ ita à ualetudine aduerſa contioetur, ſicut ualetudo à firma corporis conſtitutione:eſt eoim firma corporis affectio ualetudinis conſtitutio. Ex iis omnibus præceptum emanat,amorem amicitia potiorem eſſe:quatenus melior eſt,quàm rem habere,& præſtat ipſo ueneréo complexu,quod etiam præceptum corollarium appellatur.quis enim eſt, qui non cognoſcat uelle gratificari,& gratificari non poſſe,amicitiæ ſignum eſſe,& argumentum amanti magis expetendum eſſe,quàm poſſe gratificari:nam poſſe gratificari,faciendi,hoc eſt,coniunctionis ſignũ eſt. Amicitia igitur coniunctione melior eſt,utpote quæ amoris finis ſit:maius detrimentũ amanti ueneréus complexus infert. Ex quo fit, ut amor ſeminis effuſione contabeſcat: atq; etiam ſi amor in coniunctionem deſcendat, cauſa eius rei amicitia eſt:idq́; duas ob cauſas,uel ut amicitiam faciat,ac perficiat: uel ut ratam, ac firmam reddat. Quare amor habet amicitiam,noo autem coniunctionem,finem conſtitutum.

DE INDVCTIONE.

NVNC uerò dicendum erit,non ſolùm ratiocinationes, quæ in differendi ſubtilitate ac demonſtratione uerſantur, ſed etiam eas quæ ſunt ad perſuadendum accommodatæ,& omnem fidem quęcumq; ſit,& in quauis diſciplina eſt,in tribus figuris prędictis fieri:cùm pręſertim omnia uel ex ratiocinatione,uel ex inductione credamus. Inductio igitur & ex inductione ratiocinatio eſt, cum alteram extremitatem beneficio alterius medio ineſſe, ratiocinamur: ut ſi B ipſorum A C medium eſſet, A ineſſe B per C demonſtraremus: eo enim modo inductiones facimus. Verbi cauſa,Sit A longæuum, B bilem non habẽs, C quoddam longæuum,uelut homo,equus mulus:atqui A toti B ineſt,omne enim bilis expers longæuum eſt: uerùm B quoque bilis expers omni C ineſt: igitur ſi C cum B reciprocetur, mediumq; non tranſcendat, A ipſi B inſit neceſſe eſt. Prius enim demonſtratum eſt,ſi duo quædam eidem inſint,& extremum in eorum alterum conuertatur,alterum ex iis quæ enunciantur ita fore ut conuerſo etiam inſit. Oportet enim ut C ex omnibus ſingularibus compoſitum eſſe, ac conflatum intelligamus: nam inductio ex omnibus fit. Hæcq; ratiocinatio primæ propoſitionis eſt, & inter quam nullum medium intercedit: quippe cùm eæ, quibus medium ſit, ex medio conficiantur, ac quarum non ſit, ex inductione colligantur, & quodammodo ratiocinationi contraria inductio eſt: ratiocinatio enim extremum de tertio per medium, illa autem per tertium extremum de medio demonſtrat. Ratiocinatio igitur, quæ ex medio fit, naturæ ordine prior, notiorq; eſt, nobis tamen ea magis aperta, ac perſpicua eſt, quæ ex inductione conficitur.

CVM in capite de copia propoſitionum omnem ratiocinationem per unam trium figurarum fieri docuerit,quod nunc Inductio,atq; Exemplum ſit,deinceps demonſtrat.

Et abſolutè omnem fidem,Hoc eſt demonſtrationem in tribus fieri figuris probat.

In quauis diſciplina.Hoc eſt,in quacumq; arte,ac ſciẽtia. Alterius beneficio.Hoc eſt,minoris termini. Demonſtramus,inquit, A extremum ineſſe B medio per C, eo quod C mediũ terminum in tertia figura capiamus:omne enim C, id eſt omnia ea quæ in C deſcripta ſunt,longæua ſunt. Et extremum. Videlicet C in alterũ,qui enunciatur,hoc eſt in B conuertitur,patet alterum eorum qui enunciantur, ita fore,ut conuerſo etiam inſit, A inquã omni reciprocato,uidelicet B, in quod conuerſum eſt. Ariſtoteles exemplo falſo uſus eſt,nam palumbum,columbã,& cornicem ſioe bile eſſe,non autem hominem,& reliqua animalia dicunt:ſed neq; palumbes,neq; columba ſine bile ſunt,quandoquidem omne animal ex quatuor humoribus conſtat. Inductio autem ex omnibus partibus fit,quas,ſi finitæ ſint,omnes percurremus:ſi uerò infinitæ,eorum maximam partem narrando percurremus:reliquam non ſecus ſe habere ceoſebimus.

Proprię propoſitionis,& inter quam nullum mediũ intercedit. Cùm in demõſtrationibus propoſitiones quaſdã nullo medio interiecto ſumpſerimus,easq́; demõſtrare uelimus,ex inductione id faciemus.

Ratiocinatio igitur,quæ per medium fit,ordine naturæ prior eſt,& notior. Quoniam in ratiocinatione medii alicuius interceſſione concluſionem uniuerſalem inferimus, propterea ratiocinationem natura notiorẽ inquit eſſe. Vniuerſa enim naturæ cognita ſunt,at ſingula nobis ſunt explorata: quamobrem

inductio quoq; comperta nobis eſt, quippe qui ſingularum rerum, quæ ſub ſenſum noſtrum cadunt, quarum ope inductio ipſa fidem facit, & demonſtrat, cognitionem habeamus.

DE EXEMPLO.

CVM extremum medio ineſſe per id quod tertio ſimile eſt demõſtratur, Exemplum fit. Medium autem tertio, & primum ſimili ratione notius ſit oportet. Verbi gratia: Sit A malum, B finitimis bellum inferre, in C Athenienſes Thebanis, in quo D Thebanos Phocenſibus. Si itaq; demonſtrare uoluerimus, Thebanis bellum inferre malum eſſe, aſſumendum erit, malum eſſe finitimis bellum inferre. Huius fides ex ſimilibus fit: ex Thebanorum uidelicet bello Phocenſibus illato. Cùm itaq; malum ſit confines bello laceſſere, quod aduerſus Thebanos geritur, aduerſus confines geritur, perſpicuum eſt, contra Thebanos bellum gerere malum eſſe. B igitur ineſſe C. & D conſtat: utraq; enim ſunt cum propinquis belligerare. patet etiam A ipſi D ineſſe: nam Thebanis cum Phocenſibus bellare utile nequaquam fuit. A autem ineſſe ipſi B per D probabitur. Eodem autem modo ſi medij ad extremum ex pluribus ſimilibus fides fiat. Exemplum itaq; neq; ut totum ad partem, neq; ut partem ad totum, ſed ut partem ad partem ſe habere perſpicuum eſt, cùm utraq; ſub eodem ſunt conſtituta, alterum notius eſt. Ab Inductione quoq; differt, utpote quæ ex omnibus indiuiduis medio extremum ineſſe demonſtret, ratiocinationemq; cum extremo non cõiungat, Exemplum uerò & coniungat, & ex omnibus non demonſtret.

EXEMPLVM inquit eſt, quando extremitas, id eſt A, demonſtrata ſit ineſſe B ex eo, quòd tertio termino ſimile eſt, ex C uidelicet: medium autem hoc eſt B, quod ineſt tertio, hoc eſt C, & primum, id eſt A, quod ineſt D, quod tertio ſimile eſt, utraq; notiora, quàm A B ſint, oportet: huius enim A B propoſitionis fides ac demonſtratio ex ſimilibus, uidelicet ex D, ex pluribus inquam ſimilibus fit: uelut, A B, hoc eſt corporis cuſtodiam tradere malũ eſſe, ex pluribus ſimilibus D inquam, & E demonſtratur: quandoquidem hæc D, & E ſimilia ſunt, & æquè cognita ipſi C. Non dãda eſt Dionyſio corporis cuſtodia, id eſt cuſtodes, ut ne illis utatur ad tyrannidem occupandam.

Neq; ut partem ad totum. Quemadmodum in inductione fieri uidemus: illa enim totum, hoc eſt, uniuerſum ex ſingulis probat.

Neq; ut totum ad partem. Veluti ratiocinationem facere uidemus. illa enim ex uniuerſis rebus ſingulas demonſtrat.

Sed ut partem ad partem. Enimuero exemplum ex ſingulis ſingula demonſtrat. In quo utraq; particularia, hoc eſt C D cognita ſunt, alterum tamen, uidelicet D, notius eſt, & utraq; C D ſub eodem B ſunt conſtituta. Athenienſes enim Thebanis, iiq; Phocenſibus finitimi ſunt.

Ratiocinationemq; cum extremo non coniungat. In inductione ratiocinatio, id eſt cõcluſio, A cum C non connectit, ſed cum B, at exemplũ cum tribus figuris ſociat. In inductione quidem B C propoſitio ex ratiocinatione antecedenti demonſtratur: ac ratiocinatio antecedens ad tres figuras refertur.

DE DEDVCTIONE.

DEDVCTIO eſt, cùm primum medio ineſſe perſpicuum ſit, medium uerò poſtremo ineſſe ſit quidem dubium, æquè tamen, aut magis quàm cõcluſio pateat. Si præterea media poſtremo, & medio ſint pauciora: efficitur enim ut propius ad ſcientiam accedant. Verbi cauſa: Sit A quod percipi poteſt, pro B ſcientia, C iuſtitia: ſciẽtiam itaq; percipi poſſe perſpicuum eſt: at num iuſtitia ſit, dubium, ac controuerſum eſt. ſi igitur æquè, aut magis certum ſit B C, quàm A C, deductio fiet: propius enim ad ſcientiam accedunt, propterea quòd A C, cuius ſcientiam prius non habebant, aſſumunt. Præterea ſi pauciora media B C ſint, eo etiam pacto citius cognoſcemus: ut ſi D ſit quadratum reddere, E ex rectis lineis conſtans, F circulus. Si ergo E F unum ſolum medium ſit, per lunares figuras circulum ei quod ex rectis lineis conſtat fieri æqualem, erit ſcientiæ propinquius: at cùm neq; magis exploratum B C, quàm A C ſit, neq; pauca media exiſtant, deductionem non uoco: neq; cum B C medio uacet, id enim ſcientia eſt.

DEDVCTIO in minori propoſitione conſiſtit, quæ fit, cùm ipſa minor propoſitio uel æquè ac concluſio incognita ſit, uel cõcluſione notior. Deductio autem huiuſmodi nomen eſt ſortita, propterea quòd à maiori ꝓpoſitione in eius demonſtrationẽ adduci cogamur. At Ioannes Grãmaticus ait, deductionẽ ex eo dictã, ꝙ nos abducit à concluſione in demonſtrationẽ rei occultæ, & propoſitionis non declaratæ. Si igitur minor propoſitio æquè, ac concluſio certa & cognita, uel notior ſit, perq; unũ, aut duo media demonſtretur, fit deductio: uerùm ſi plura media ſint, minor propoſitio obſcura, & confuſa redditur. id enim qui agit, uidetur inſidias inſtruere, & rem occultam uelle reddere. Quòd ſi pauca media ſint, fiet, ut propius ad ſcientiam accedamus, ſi uidelicet cognitio nobis ex ratiocinatione proueniat; nam ſi propoſitio medio uacet,

erit

erit demonſtratiua,& ſcientiam efficiet,ac tradet:erit inquam ad demonſtrationem apta, & accommodata,in quo propoſitionum genere deductio non uerſatur.Etſi Iuſtitiam hic accepit,Virtus tamen fuerat accipienda:quippe cùm de ea,percipi'ne poſsit,ambigatur.

Propius enim ad ſcientiam accedunt.Hoc eſt, A C concluſio per B C propoſitionem notior,& clarior fit,minor enim propoſitio clara eſt,& perſpicua.

Scientiam.Id dixit perſpicuitatis gratia.Siquis rogaret,quamobrem maiore quoq; perſpicua non egeamus:eam nos claram & notam etiam eſſe diceremus.Sed quoniam ea explorata,& effatum quoddã ſit,id minimè ſibi dicendũ Philoſophus putauit. Quod igitur prius non percipiebamus, A C uidelicet concluſionem,quam prius cognitã non habebamus,quàm ex propoſitionibus confirmaretur,poſtea ex B C propoſitione,quam ſcientiam uocatã à Philoſopho diximus eſſe,cognoſcimus. Μηνίσκος, (nos uerbum è uerbo Lunulã appellare non uerebimur)eſt ſemicirculus inſtar alicuius partis lunæ, qui à latere quadrati deſcribitur:multi enim circulum quadratũ efficere fruſtra ſunt conati. Hippocrates tamen uiſus quidem eſt, illum in quadratum redigere: ſed ipſe quoq; id pro cauſæ ueritate non confecit. Hippocrates nauiculator cùm eſſet,nauim cepit,captisq; unà prædonibus eos Athenas,ubi pœnas daturi eſſent,aduexit:ac fortè fortuna in Geometram incidit,à quo geometriam diſcere magnopere cupiebat:quam cùm poſtea didiciſſet, inenodabiles, & inextricabiles quæſtiones definiuit,ac patefecit. Euenit ut propius ad ſcientiam accedant.Hoc eſt ad ratiocinationem,& ſciant.id eſt, A C ſcientiam ratiocinentur.

DE REFVTATIONE.

REFVTATIO eſt propoſitio propoſitioni aduerſa: differtq; à propoſitione, quòd Refutatio eſſe & in parte quidem poteſt:Propoſitio uerò aut non omnino, aut non in ratiocinationibus uniuerſalibus. Refutatio autem dupliciter, & duas per figuras fertur: ac dupliciter quidem,quoniam omnis Refutatio,aut Vniuerſalis,aut Particularis eſt:per duas autem figuras, quia contrariæ propoſitioni proferuntur. Contraria tantùmmodo in prima & tertia figura perficiuntur. Quando quis dicat, ac cenſeat, Omni ineſſe:nos uel Nulli ineſſe,uel Alicui non ineſſe reſiſtimus:atq; ex ijs Nulli ex prima figura, Alicui non,ex tertia eſt: ut ſit A unam eſſe ſcientiam, B contraria. Si proponatur igitur, unam eſſe ſcientiam contrariorum:inſtant, aut omnino non eandem contrariorum eſſe ſcientiam, (aduerſa autem contraria ſunt)& ita primam figuram efficiunt: aut unam non eſſe cogniti,& ignoti,& ita tertiam figuram fabricantur:nam in tertia notum ignotũ aduerſa eſſe uerum eſt:ſed eſſe unam illorum ſcientiã falſum eſt.In propoſitione item priuãte ſimili modo fit:nam ſi dicat quis,Non eſſe unam aduerſorũ ſcientiam :dicemus, aut omnium contrariorum, aut nonnullorum aduerſorum ſcientiam eſſe eãdem:ueluti eius,qui bene ualeat,& eius,qui ęgrotet.Ergo omniũ ex prima, nonnullorum uerò ex tertia figura,inſtamus.Ad ſummam,neceſſe eſt eum, qui uniuerſè occurrit,repugnantiam ad id,quod uniuerſè propoſitum ſit,afferat:ueluti ſi unam omnium aduerſorum eſſe cenſeat,contrariorum unam dicat.Hac autem ratione prima figura ſit neceſſe eſt.Medium autem Vniuerſale ſit ad illud,quod initio poſitum erat: Particulare uerò,ad quod uniuerſale eſt,de quo dicitur propoſitio:ut,Cogniti,atq; incogniti eandem non eſſe:nam aduerſa ad uniuerſalia ad hæc ſunt,& tertia figura fit.Medium enim in parte ſumptum ut Notum, & Ignotum. Ex ijs, ex quibus aduerſum ratiocinari poſſumus,refutationes dicere conamur. quocirca eas ſolùm ex ijs figuris proferimus,utpote in ijs ſolis contrariæ ratiocinationes ſint:ex media enim figura nihil nobis licebat affirmare.Præterea quanquam licet,longa tamen oratione eget,quæ in media figura componatur:ueluti ſi A ineſſe B, eo quòd C hoc ipſum nequaquam ſequatur,non concederent. Ex alijs enim propoſitionibus id planum, & manifeſtum eſt, Refutationem minimè in alia permutari, ſed ſtatim exploratam alteram habere propoſitionem oportet. quapropter ſignum quoq; ex hac ſola figura non eſt.De alijs etiam Refutationibus habenda ratio eſt,ut de ijs,quæ ex Contrario,& Simili, & quæ ex Opinione ſunt:atq; num particularem ex prima,uel priuantes ex media ſumere poſsimus,exquirendum eſt.

TRADITA deductionis doctrina,merito ad Refutationem explanandam aggreditur:ambæ enim id commune habent inter ſe,ut in propoſitione ambigua in ratiocinatione conſiſtant,& uerſentur. At differunt eo,quòd Deductio ratiocinatio ſit,quæ dubitationem auferat, Refutatio uerò per ratiocinationem uel repugnanter contrarium ſubiectioni, uel aduerſum inferat. Efficitur enim ut uel omninò propoſitio rerum ſingularum non capiatur. Id tamen in ratiocinationibus uniuerſalibus nequaquam intelligendum eſt,quandoquidem in illis utræq; propoſitiones uniuerſarum rerum aſſumuntur, propterea quod particularis propoſitio ab uniuerſalibus ratiocinationibus reiicitur.

Ad ſummam neceſſe eſt eum,qui uniuerſe occurrit repugnantiam ad id,quod uniuersè propoſitum ſit,afferat. Hoc eſt, per ratiocinationem contrarium propoſitæ propoſitioni cõtrariæ inferat. illud autem, quod inquit, Quod uniuerſè propoſitum ſit: perinde intelligendum eſt, ac ſi propoſitionem

uniuerſalem diceret. Repugnantiam uero pro oppoſitione intelligi uelim, quandoquidem ipſa eſt omnium contrariorum genus: uelut ſi quis nullam aduerſorum eſſe ſcientiam cenſeat, eum qui reſiſtit, & eius orationem refutat, qui propoſitionem hanc omnium contrariorum, id eſt, aduerſorum unam eſſe ſcientiam profert: in prima figura ratiocinari neceſſe eſt. Medium enim terminum uniuerſalem, id eſt magis generalem minore qui prior in propoſitione collocatus erat, aſſumit. Minor autem terminus in illa erat, aduerſa, quibus cõtraria magis uniuerſalia ſunt. Siquis in eum, qui aiat, omnium aduerſorum unam ſcientiam eſſe, in parte inſtet, & dicat non omnium aduerſorum unam ſcientiam eſſe, in tertia figura medium terminum ſumat oportet: in ea enim magis particularem terminum, quàm aduerſa, ueluti Cognitum, & Incognitum inueniet: ad quem ſanè medium uniuerſalem eſt minor terminus, qui enunciatur, uidelicet aduerſa, de quo termino minori, hoc eſt de quibus aduerſis, propoſitio dicitur: id eſt in propoſitione terminus, qui de ſubiecto dicitur, una inquam ſcientia, enunciatur. Huiuſmodi autem ratiocinatio fiet, Cogniti, & incogniti, non eandem, hoc eſt nullam eſſe ſcientiam: aduerſa autem de iis, cognito ſcilicet, & incognito uniuerſe enunciata fuere, & unam eſſe non omnium aduerſorum ſcientiam concludetur.

Medium autem uniuerſale fit ad illud, quod initio poſitum erat. Id eſt, ad minorem terminum, qui prius poſitus fuerat in propoſitione. Sunt autem Aduerſa, quibus contraria magis uniuerſalia ſunt. repugnantia enim eſt aduerſorum, & repugnanter contrariorum genus, uerbi gratia. Siquis aiat non eandem eſſe aduerſorum ſcientiam, & ita ei reſiſtat, qui omnium aduerſorum unam eſſe ſcientiam dicat, medium terminum, aduerſa, ſumere debet. Refutatio enim propoſitionem abolet, ac uel contrariè, uel repugnanter, uel ratiocinatiua ratiocinatione, uel ea, quæ ex ſubiectione quadam fit, interitui mandat: atq; ſi per ratiocinationem, quæ ex ſubiectione conſtat, uel ex ſimili, uel ex contrario, id agit. Ex ſimili hoc modo, Siquis punctum partem lineæ dicat eſſe, omnino non eſſe dicamus: nam quam rationem punctum ad lineam, cuius finis eſt, habet, eandem ipſa linea ad extremitatem, & extremitas ad corpus habebit: nam lineæ ſunt fines extremitatis, & ipſa ſuperficies, corporis: ſed neq; ſuperficies corporis eſt pars, neq; linea ſuperficiei: igitur neq; punctum eſſe lineæ partem dicemus.

DE VERISIMILI, CERTAE NOTAE ARGVMENTO: ATQVE ENTHYMEMATE.

VERISIMILE, & Signum eadem minime ſunt, quandoquidem Veriſimile eſt probabilis propoſitio, quippe cùm quod plerunque ita factum, aut non factum, uel eſſe, uel non eſſe cognoſcunt, ueriſimile fit: ut eos, qui inuident, odio proſequi: eosq; diligere, qui nos amant. at Signum propoſitio demõſtratiua, uel neceſſaria, uel probabilis eſſe debet, & quiddam ſignificat, quod ex ipſo profectum uidetur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negatio, aut poſt ſit conſecutum.

SIGNVM diuiditur & in Coniecturam, ita enim τὸ τεκμήριον dico, & in id, quod homonymè ſignum dicitur: Idq; quod homonymè dicitur, idem eſt quod Veriſimile. Cõiectura uerò, ſine dubitatione. Sed ſcire debemus, eos qui ex ſignu demonſtrant, ex una propoſitione demonſtrare: quandoquidem Signum eſt demonſtratiua propoſitio: uel neceſſaria, ſi fuerit cõiectura: uel probabilis, ſi ſit ueriſimile. Diſtinguitur quoq; ſignum, uel cùm res ſit, uel fuerit, uel futura ſit. Cùm ſit, ut fumus eſt ſignum ignis: cùm fuerit, ut cinis ſigno eſt fuiſſe ignem: cùm futura ſit, ut laſsitudines, quæ à ſe ipſæ, ac ſua ſponte in nos irrepunt, morborum ſunt ſigna.

Atqui enthymema ratiocinatio imperfecta eſt, ex ueriſimilibus, & certæ notæ argumentis conflata. Certæ notæ argumentum tribus modis, quot etiam Medium in tribus figuris, aſſumitur: aut enim ut in prima, aut uelut in ſecunda, aut quemadmodum in tertia: ut, Siquis pariẽtem eſſe, ex eo, quod lac habeat, in prima figura demonſtret, medium ſtatuet Lac habere, A partum edere, B lac habere, C mulierem. Sapientes autem probos eſſe, quia Pittacus probus ſit, in poſtrema figura demonſtrabitur: pro A probum, pro B ſapientes, pro C Pittacus ponatur. A igitur, & B de C dici uerum eſt, præterquam quòd hoc, quia notum ſit, non dicunt, & illud aſſumunt. Grauidam autem eſſe, quod pallida ſit, per ſecundam figuram debet demonſtrari: hanc enim grauidam eſſe demonſtraſſe putant, quòd pallor cæteras, quæ grauidę ſunt, ſequatur, hanc quoq; ſequi conſpiciant. A pallor, B grauidam eſſe, C mulierem conſtituatur. Si itaq; una tantum propoſitio dicatur, ſignum tantummodo erit: ſi uerò altera etiam aſſumatur, ratiocinatio fiet: ut, Pittacus liberalis eſt, omnes enim ambitioſi liberales ſunt, & Pittacus ambitioſus eſt. ita igitur ratiocinationes efficiuntur. Ea tamen, quę in prima figura conflatur, ſi uera ſit, eſt enim uniuerſalis, ſolui non poteſt: at quæ in ultima figura efficitur, etſi cõcluſio uera eſt, propterea quod uniuerſarum rerum non ſit, ratiocinatioq; ad rem nõ fiat, ſolui poteſt: non enim propterea quòd Pittacus bonus ſit, cæteros ſapientes bonos eſſe neceſſe eſt. At eam, quæ in media figura fit, ſemper, & omnino ſolui poſſe clarum eſt: quoniam ſi termini ita ſe habeãt, ut propoſitiones aientes ſint, in ſecunda figura

ratiocinatio nunquam euadet:nam quænam neceſsitas,ut ſiqua grauida pallida ſit, & una aliqua pallida ſit,eſſe illam grauidam cogit? Veritas igitur in omnibus figuris ineſt, eas tamen differentias habent,quas commemorauimus:uel Signum ita diuidendum eſt,& horum medium aſſumenda Coniectura eſt.Coniecturam enim eſſe aiunt,cuius beneficio ſcimus:huiuſmodi autem præcipuum medium eſt. Vel ea Signa ſunt dicenda, quæ ab extremitatibus ſunt:quæ autem à medio, Coniectura:maximè enim & probabile eſt,& uerum,quod per primam figuram eſt.

SCIRE debemus, materiem enthymematis nihil aliud eſſe,quàm ueriſimile, & ſignum. Si igitur ſignum cum ea re,cuius aliquod ſignum eſt,reciprocetur,Coniecturam faciet:ſi non reciprocetur, ſed extendatur,ut pallor in grauidis,tum Veriſimile faciet.Enthymema enim ratiocinatio unius ſumptionis eſt,rhetoricæ ratiocinationi penè par. Ac unius quidem ſumptionis appellatur, quia una tantum propoſitio uel pronunciatur,uel ſcribitur:altera,tanquam clara, prætermittitur hoc pacto:Hic comptus eſt, mœchus igitur.prætermiſſa enim eſt maior,quæ ait,Quicunque eſt comptus,mœchus eſt.Itemq́;,Victor in Olympiis olympia uicit,ergo ſacrum certamen uicit.quo loco omiſſa etiam eſt maior,quæ eſt, Quicunq; olympia uicit, ſacrum certamen uicit. Atq; Enthymema quidem dicitur, quòd permittatur auditori ut eam propoſitionem,quæ dicta non ſit,cogitet,ac ſuſpicetur ex ea,quæ ſit iam pronunciata.Deinde ait:Sapientes autem probos eſſe,quia Pittacus probus ſit,in poſtrema figura demonſtrabitur. In tertia inquit figura probabitur ſapientes eſſe probos,propterea quòd & Sapiens,& Probus de Pittaco dicuntur: quod quidem Philoſophus exempli gratia ſumpſit,cùm re uera in tertia figura ex duabus aientibus ratiocinari non poſsimus:ſi enim uniuerſalis aiens ſit,aiens quoq; concludetur.Qua etiam in re ſcire debemus, ſolere Rhetores ita exemplo & enthymemate demonſtrare, ut Philoſophi ratiocinatione & inductione demonſtrant:& eandem habere rationem Enthymema ad ratiocinationem, quam habet Exemplum ad inductionem. Deinde pergit hoc modo: Quanquam ea,quæ in prima figura conflatur, ſi uera ſit, eſt enim uniuerſalis,ſolui non poteſt.Ratiocinatio,quæ in ſecunda figura conficitur, ſolui non poteſt, quaſi quæ ita effici non poſsit,ut uera ſit.Hoc eſt, ſi medius terminus in hac ratiocinatione ſumptus in eam rem, cuius ſignum eſt,conuertatur,ut cinis cum igne,tum coniecturalis dicitur, eſt enim uniuerſalis:uel uniuerſalis eſt ea propoſitio,quæ ait,Hic cinet eſt,ignis igitur ibi fuit.ſiquidem fieri non poteſt,ut cinis ſit,ſi non fuerit ignis:hicq́; ſignum minime reciprocatur,ut in pallida,& grauida uiſum eſt. Nam grauidã eſſe pallidã, neceſſe eſt:at nõ iam eſt neceſſe,ut quæ pallida eſt,ea grauida ſit.Ex quo fit,ut cùm propoſitio,qua mulierem pallidam eſſe grauidam dicitur,uniuerſalis non ſit,(Non enim reciprocatur,ut dictum eſt)in tertia figura confirmetur.

DE NATVRA PERNOSCENDA.

HOMINVM mores,naturasq́; pernoſcemus,ſiquis corpus,& animam naturalibus omnibus affectionibus mutari concedat. Nam qui muſicen didicit, animo quidem nonnihil mutatur,ea tamen affectio ex ijs non eſt, quæ nobis natura inſunt. Sed eas affectiones dicemus,quales ſunt Iræ,& naturalium motionum Cupiditates,atq; Appetitiones.Si itaq; id,unumq́; unius eſſe ſignum detur, propriamq́; uniuſcuiuſq; generis affectionem,& ſignum ſumere queamus,naturas cognoſcere poterimus.Nam ſiqua affectio alicui indiuiduo propria, ac peculiaris inſit, quemadmodum leonibus fortitudo, aliquod etiam ſignum ſit, neceſſe eſt. illud enim ipſum ſimul affectum eſſe ſtatutum eſt. ſitq́; id extrema magna habere, quod totis alijs generibus ineſſe minimè contingit: hac ſanè ratione ſignum proprium eſt, quoniam totius generis affectio propria ſit, nec ſolius propria, ut dicere ſolemus. Atqui hoc, etiam in alio genere inerit, homoq́; fortis erit, & aliud præterea animal forte comperietur. Signum igitur habebit,unum enim unius ſignum eſt. Igitur ſi hæc ita ſint, eiuſmodiq́; ſigna in ijs animalibus colligere poterimus,quę unam aliquam propriam affectionem tantum habeant,(una enim quæq; ſignum habet)cùm unum habeat neceſſe ſit,naturas cognoſcendi nobis facultas erit. Quòd ſi uniuerſum genus duo propria complectitur, ut leo, qui fortitudinem, & amplitudinem habet,quomodo utrum eorum ſignorum,quę ſequũtur,utrius propriè ſignum ſit,cognoſcemus? An ſi ambo alicui non toti, & in quibus non uniuerſis utrunq; inſit,quando hoc quidem habeat, illud uerò non habeat? namſi fortis ſit,& liberalis non ſit,alterumq́; ex duobus habeat,hoc in leone fortitudinis fore ſignum patet. In prima autem figura propterea quòd medium cum priori extremitate reciprocetur,tertiamq́; ſuperet,& non reciprocetur,naturas cognoſcere liceat, uerbi cauſa, ſit A fortitudo, B extrema magna habere, C leo omni igitur, cui C ineſt, & eidem, & alijs B inerit: at cui B, A omni, non tamen pluribus, inerit, uerum reciprocatur: quod ſi non fiat, unum unius non fore ſignum cenſeo.

DIXIT eos,qui demonſtrant,ex una trium figurarum demonſtrare: nunc uerò ait, etiam phyſiognom

gnomones ex una quoq; trium figurarum affirmare id quod uolunt. Ac primùm nobis declarat, quomodo naturas pernoſcamus: quod conſequemur, ſiquis concedat, animum unà cum corpore commutari naturalibus affectionibus ita, ut is, qui muſicen diſcit, animum ſuum mutet. Sed muſica naturalis affectio non eſt: id quod fortaſſe etiam in cauſa fuit, ut huiuſmodi exemplum improbans, aliud proprium addiderit hoc pacto: Sed eas inquit, affectiones dicemus, quales ſunt iræ, & cupiditates. Deniq; ſiquis nobis concedat, animum mutari cum corpore, & poſsimus propriam cuiuſq; ſpeciei affectionem, atq; ſignum ſumere, naturas cognoſcere poterimus: ut exempli gratia, Leonibus ineſſe fortitudinem cognoſcemus, ſi proprium huiuſce rei ſignum pernoſcamus. Sed quodnam id ſignum eſt? magnitudo partium extremarum. Itaq; ſi hominem extremitatibus magnis natum uiderimus, dicemus, Hic homo extremitates magnas habet, fortis igitur eſt: propterea quòd leo, qui magnas habet extremitates, fortis itidem ſit. Atque hoc quidem loco genus appellat proprium minimè propriè: cumq́; & Generi, & Speciei indiuiduum adiungat, ſpeciem infimam explicat his uerbis: Hac ſane ratione ſignum proprium eſt, quòd totius generis affectio propria ſit, nec ſolius propria, ut dicere ſolemus. Signum leonum ait eſſe extremas partes magnas habere: quod proprium nominatum eſt, non quòd toti & ſoli ſpeciei leonum inſit, ſed quòd omni & non ſoli conueniat: qppe cùm poſſit etiam in alia quapiam ſpecie intelligi.

FINIS.

GEORGII PACHYMERII IN VNIVERSAM ARISTOTELIS DISSERENDI ARTEM EPITOME.

Ioanne Baptiſta Raſario Interprete.

PYTHAGORAS philoſophus maxima autoritate, Philoſophiam eſſe ſapientiæ amorem definiuit. hic enim cum Sapientię nomen perlatè acceptum, ut uidelicet idem, quod Ars ſignificaret, inueniſſet: id quod etiam poëta uſurpauit, apud quem ita dicitur,

Feceras hæc ſapiens faber, & calauerat auro.

contraxit nomen ſapientiæ, eamq́; rerum omnium cognitionem appellauit: eos uerò, qui ei parerēt, Philoſophos, & ipſorum cognitionem Philoſophiam nominandam cenſuit: quod quidem nomen ſapientiæ amorem ſignificat. Ariſtoteles uir iudicio, atq; ingenio diuino. ea definitione Philoſophiam explicauit, ut eſſe illam artium artem, & ſcientiarum ſcientiam diceret: non quòd ea ars ſit, ſed quòd eſt laudandarum artium omnium procreatrix, & quaſi parens: ipſa uero tantummodo ſcientia eſt, & ſcientiarum omnium principium, & caput. Eſt enim Scientia eorum quæ uno, & eodem modo ſemper ſe habent, cognitio: quæ nos ad finem eius rei, cui operam damus, perducit: quemadmodum in Cratylo præclare ſcripſit Plato. Philoſophia uerò ſcientiarum ſcientia eſt, propterea quòd cùm cæteræ omnes ſingulorum proprię ſint, ut Geometria magnitudinum, Arithmetica numerorum, Aſtronomia aſtrorum, Muſice ſonorum, (ſunt enim hæc ſingula) ipſa Philoſophia in omnibus, quæcunq; ſunt, uerſatur: res enim omnes, in eo, quod res ſint, non autem quia lineæ, uel numeri ſint, inquirit: res uerò, quæ ſunt artibus ſubiectæ, non habere, ſed cognoſcere, ac demonſtrare curat. Quapropter ille non linguæ ſolùm, uerùm etiam animi, ac uirtutis magiſter Plato omnes ad eam capeſſendā impellere debet, cùm ait: Quicūq; Philoſophiam contemnunt, cæteraſq́; res conſectantur, nihilo à Penelopes procis differunt: qui cùm non poſſent Penelopen ad ſuam ſententiam perducere, ancillis ſe miſcebant. Habet etiam hæc Sapientia ſubiectum quippiam, & finem ſibi conſtitutum, quemadmodum reliquæ omnes artes, atq; ſcientiæ: nam Medicinæ humana corpora ſubiecta ſunt: eius finis, ut ea ad ſalutem reducat. Quin reliquæ etiam ſubiecta quædam, & fines habēt, in quibus uerſentur, ad quos referantur, quò tendant, ne fruſtra in eis opera conſumatur: quod in cauſa eſt, ut quatuor aliæ Philoſophiæ definitiones ſint, quarum duæ ex ſubiectis, & duæ ex fine ſumantur. Cuiuſq; nunc rei duplex eſt ſubiecta materia, duplexq́; finis: Siquis, uerbi gratia, in naui ædificanda ligna ſimpliciter, quę ei rei ſubiecta ſuot, uelit, ſtatim inueniet: at ſi abiegnas trabes requirat, difficulter reperiet, eo quòd magnum ſtudium ad has indagandas ſit adhibendum. Simili quoq; modo in naui ſimpliciter, & omnino conſtruenda eueniet, ad finem enim optatum nullo impedimento deuenietur: at ſi lembum, aut triremem efficere animum induxeris, finem habebis longiorem, & magis ab uſu cōmuni cuiuſdam nauigioli remotum: nam quod facilius eſt, propius quoq; eſt. Hoc quidem in Philoſophia non ſecus reperietur, cuius definitio ex propiori ſubiecto eſt ad hunc modum: Philoſophia eſt rerum, quia res ſint, cognitio. Neq; enim eſt cognitio rerum, ueluti ſiquis dicat, numerorum, aut linearum: ſed quia res ſint, ſiue diuinæ, ſiue humanæ: ſiquidem diuinæ in diuina natura conſtant, & cohærent: humanæ uerò ortui & interitui ſunt obnoxiæ. Ex longinqua et ſubiecta materia definitio ita traditur: Philoſophia eſt diuinarum, humanarumq́; rerum ſcientia. atq; ex iis, earum, quæ ad occaſum, & ortum propius accedunt. De finibus eadem habenda ratio eſt: ex fine enim propinquo philoſophia, commētatio mortis eſt. Pleriq; enim, qui adhuc uita, & communi ſpiritu fruuntur, mortui ſunt: ideſt ſe à corporis obſequio diuellunt, & uoluptates, quæ blandiſsimæ dominæ ſæpe maiores animi partes à uirtute detorquent, beſtiis relinquūt, & in meditationibus uiuunt: dicunturq́; ii mortem meditari, hoc eſt corpus ab iis rebus auocare, quæ animum corruptelarum illecebris irretiunt. Ea tamen mortis commentatio non ita intelligenda eſt, ut ab illo iuuene Ambraciota fuit, qui è muro ſe in mare abiecit lecto Platonis libro, qui eſt de Animo: quod Callimachi epigramma, quod in eum eſt, atteſtatur. Alteram philoſophiæ definitionem, quæ ex fine remoto elicitur, ſic Plato literarum monimentis cōſignauit: Philoſophia eſt homini cum Deo ſimilitudo, quoad eius ab homine fieri poteſt. Omnes enim, quicunq; ſecundum philoſophiam uiuunt, contemplationem acquirunt, & rectam rerum actionem, & uirtutis uſum conſequuntur. Eſt autem actio cōtemplationis fons, & principium: nec mens noſtra ſuſceptum opus ad finem perducet, niſi pura & munda in actione perſeueret. Sed hoc utrunq; ad philoſophiam pertinet, cuius omne opus eſt in cognoſcendo, atq; agendo: ita enim homines à fera, agreſtiq́; uita ad humanum,

ciuilemq́; cultum, deducit, ut fieri poſsit, ut homo ueræ philoſophiæ præceptis imbutus, modo eis utatur, & uere uiuat, proximè ad Deum, quantum eius rei capax homo eſt, accedat : & beatarum mentium perfruatur obtutu. Philoſophia igitur perfecta ſcientia cùm ſit, perfectum quoq; definitionum eſt ſortita numerum. Senarius enim numerus perfectus eſt, atq; abſolutus, quoniam tria illius dimidia ſunt, duo uero, tertia eius pars, unum, ſexta : qui numeri in unum conducti ſenarium, qui perfectus eſt, & medius inter ſuperuacaneum, & diminutum conſtitutus, conficiunt.

PHILOSOPHIAE DIVISIO.

PHiloſophiæ ſunt duo genera: alterum in cognitione contemplationeq́; uerſatur, alterius eſt munus in agendo : quorum alterius ueritas finis eſt, alterius bonum. Illud uerò, quod in contemplatione eſt, partim Naturalium, partim Diuinarum rerum eſt, partimq́; Mathematicarum. Eius uerò, quod in actione conſiſtit, aliud ad Mores conformandos, aliud ad Domeſticos inſtituendos, aliud demum ad Rempublicam adminiſtrandam pertinet : quas omnes partes Ariſtoteles Peripateticorum princeps mirabiliter eſt perſecutus: & eam præcipuè tractationē perfecit, quæ eſt de Natura. Nam Diſſerendi ſubtilitatem, uel Diſputandi prudentiam, non philoſophiæ partem illam quidem, ſed inſtrumentum eſſe pleriq; dixerunt. Quemadmodum enim in artibus inſtrumentum artis ipſius pars non eſt, ut aſcia, qua ligna poliuntur, artis ædificandi pars non eſt: (cæmentum enim lapidesq́;, ac ligna illius partes ſunt) ita Diſſerendi ratio philoſophiæ pars non eſt, ſed inſtrumentū: id quod ueriſimile eſſe uidetur, quòd Demonſtratiua ratiocinatio inſtrumentum eſt, quo unaquæq; confirmatur, aut infirmatur quæſtio : ac Ratiocinatio uel ex iis conſtabit, quæ per ſe fidem faciunt, & Demonſtratiua erit: uel ex iis, quæ probabilia ſunt, & Dialectica efficietur : uel ex iis, quæ probabilia uidentur, & Fallax euadet. Omnis uerò Complexio, aut Connexio, (ſic enim dici poteſt συλλογισμός) duas propoſitiones, & tria uerba, quæ à dialecticis Termini dicuntur, habeat : quæ quidem Complexio eſt oratio, in qua poſitis quibuſdam aliud quid, quàm quæ poſita ſunt, ex iis ipſis quæ poſita ſunt, efficitur neceſſariò. Nam ut Literæ ſunt omnis orationis elementa, ex literiſq́; Syllabæ, ex ſyllabis demum Oratio conficitur, ita in omni Ratiocinatione fit, cuius principia ſunt Termini, atq; ex terminis Propoſitiones, ex propoſitionibus poſtea efficitur Concluſio. Omnes autem termini ad decem quaſdam cōmunitates referuntur, Subſtantiam, Quantitatem, Quæ ſub eandem rationem cadunt, Qualitatem, Vbi, Quando, Agere, Pati, Situm eſſe, atq; Habere. Quæ quidem res à prima ſubſtantia eſſe dicuntur, tanquam ea, quæ ab una aliqua re originem trahunt, & ad unam homonyme referantur: ſiquidem Subſtantia res eſt, quæ ſe pulcherrimè ſuſtentat. Hæc decem genera rerum Philoſophus κατηγορίας appellauit, quòd de rebus, quæ eis ſubiectæ ſunt, dicantur. Vocantur quoq; Prima genera, eo quòd ipſis nulla alia ſuperiora ſint, cùm præſertim alia ſub ipſis, & alia deinceps ſub aliis ſint conſtituta, uſque dum ad formas ultimas deuentum ſit, poſt quas nullæ aliæ formæ ſunt, ſed Indiuidua, quæ ſenſibus noſtris ſubiiciuntur. Quibus quidem fit rebus, ut Porphyrius explicans quid Genus, quid Species, quid Differentia, quid Proprium, quidq́; Accidens ſit: ipſas uidelicet quinq; uoces ſingillatim declarans, uelit hunc ſuum libellum omnibus, qui de facultate diſſerendi compoſiti ſunt, anteferri.

DE QVINQVE VOCIBVS

VOCES, de quibus feci ſupra mentionem, quinque ſunt, quamuis Indiuiduum etiam exiſtat, quod ſingulorū proprium eſt, & ſenſibus percipi poteſt : tamen quoniam ſumma genera & nobis, & naturæ cognita ſunt (decem enim ſunt) infimæq́; formæ etſi nos latent, naturæ tamen peruulgatæ ſunt : Indiuidua cum ſcientiam fugiant noſtram, naturæq́; ignota ſint, quippe quæ labantur continuò, ſintq́; infinita, & infinitorum haberi ſcientia nullo modo poſsit, ſilentio inuoluuntur, & uoces, quæ uniuerſa quædam uerba ſunt, & de multis dicūtur, quinq; ſuperſunt. Genus enim eſt, quod in multis, iiſq́; ſpecie differentibus, cum rei natura exquiritur, dicitur: ut Subſtantia, atq; Animal : nam animal de homine, equoq́;, & cæteris animantibus, quæ ſpecie differunt, cùm quid ea ſint inueſtigatur, dicitur. Species item de multis dicitur, cùm quid quicq; ſit quæritur : uerùm in iis tantum dicitur, quæ numero differunt, non item ſpecie. Huius exemplum erit Homo, qui de Petro, & Paulo dicitur, qui non ſpecie, ſed numero differunt. Differentia de multis, iiſq́; ſpecie differentibus in rei qualitate indaganda dicitur, ut id quod rationis compos eſt in homine, & angelo, qui ſpecie diſcrepant, dicitur. Nam ſiquis nunc me roget, qualis homo ſit, rationis eſſe participem ei reſpondebo. Proprium de multis, iiſq́; numero differentibus enunciatur, non tamen in quęſtione dicitur, qua quid res ſit inueſtigatur: ſed cùm ex rei natura ſit, atq; in ea ipſa natura cernatur, plus aliquanto eſt : atq; ita non in natura, ſed in qualitate perquirenda dicitur, ut ridendi habilitas in homine. Accidens de multis ipſum quoq; dicitur, iiſq́; tum ſpecie differentibus : ut, Nigror de ebeno, carboneq́;, ac coruo: tum numero ſolum, ut Candor de omnibus oloribus dicitur. idq́; in quæſtione, qua rei qualitas, aut modus inquiritur, enunciatur. Accidentia enim quæ poſt ſubſtantiam à qualitate

ſumun

ſumuntur,in qualitate indaganda,quæ ab aliis,in modo dicuntur.

DE IISDEM QVINQVE VOCIBVS.

ALIQVID præterea de iis dicendum eſt.Primum GENVS eſt,ſupra quod aliud genus eſſe non poteſt: idq́; in ſpecies diſtribuitur,& una earum quæq; in ſpecies, hæq́; rurſus in ſpecies, donec ad ultimam deueniatur:eſt enim ultima,quam nulla alia ſequitur, ſed eam indiuidua cõſequuntur. Forma enim in alias formas non diuiditur illa quidem,ſed in ipſa indiuidua,quæ ita appellãtur,quod in partes,multaq́;, & oumero differentia dirimi,diſtrahiq́; nõ poſſunt:huiuſmodi ſunt,Socrates,& id, quod album eſt.Secundas uerò ſubſtantias eas dico,quæ primas conſequuntur,quæ indiuidua ſunt,genera & formas uocant.atq; Plato ea ante multa, Ariſtoteles uerò poſt multa,uel in multis dixit eſſe.Exempli cauſa:ponatur Subſtantia,& diſtribuatur in corpus, & id quod corporis expers eſt : corpus in corpus animatum, & inanimatum: animatum in id,quod ſenſum habet,& id quod non habet : habens ſenſum in animal, ζωόφυτον, id eſt animalis,& plantæ particeps, & plantam:animal in animal rationis compos,& rationis expers : rationis compos in mortale,& immortale:mortale in ſpecies infimas hominẽ, equum,canem,& reliqua animantia,quę in medio locata ſunt:ſuperiorum ſpecies , poſteriorum genera dicuntur. Ex DIFFERENTIIS uerò aliæ diuidunt, aliæ efficiunt. Diuidentes ſunt, quibus genera in partes diuiduntur : ut,id quod animatum eſt,quodq́; inanimatum:ſenſumq́; habet,& non habet:ac ratione utens, & carens:æternumq́;,ac caducum. Efficientes uerò ſunt formarum procreatrices : nam ſi id quod inanimatum eſt , & ſenſus expers, in unam naturam concludantur,lapidem efficient : quod autem animatum eſt,& ſenſus particeps,animalis uim,naturamq́;,ac ſpeciem abſoluunt : animatum uerò,& ſenſus expers,plantæ uim complent:demum animal particeps rationis & mortale,hominis : particeps rationis,& immortale, Deorum : expers rationis & mortale belluarum genus complent : immortale uerò,& rationis expers, Scyllam ut eſt in fabulis, efficiunt:de ea enim his penè uerbis ſcripſit Homerus.

Monſtrum immortale,malumq́;.

PROPRIVM diuidunt in partes quatuor:primum dicunt eſſe Proprium,quod uni ſoli, neque toti ſpeciei conuenit,ut homini geometræ fungi munere:deinde quod toti,ſed non ſoli,uelut homini bipedem eſſe:tum quod ſoli,totiq́; ſpeciei,idq́; interdum ineſt, ut omni homini in ſenectute caneſcere : poſtremò in quod hæc omnia concurrunt,quod in ſola,totaq́; ſpecie,ac ſemper intelligitur, ut in homine natum eſſe ad riſum:etſi enim non ſemper ridet,tamẽ ridens dicitur,quòd ſemper aptum animum habeat ad riſum : hoc Proprium maximè appellatur , quòd reciprocetur : ſi enim homo ſit, etiam aptus erit ad riſum , & ſiquid aptum ſit ad ridendum,continuò homo ſit neceſſe eſt. ACCIDENTIS genera ſunt duo : alterũ quod ſeparari poteſt,alterum quod non poteſt:ac Sedere quidẽ in iis eſt,quæ ſeparari poſſunt, Nigror ſic in coruo ineſt,ut ſeparari non poſsit:id quod ſit,quoniam nigror eſt inſitus,atque,à natura coruis attributus.

DECEM GENERA.

DECEM ſumma genera cùm ſint,omnia eſſe homonyma dicuntur:ſiquidẽ ab una ſubſtantia,uelut ea,quæ ab uno ſunt,nominantur.

Homonyma ſunt , quorum nomen commune eſt , definitio autem naturæ nomini congruens diuerſa:ut, Animal,Homo,& Depictum animal.

Synonyma dicuntur , quorum & nomen commune eſt , & eadem definitio naturæ nomini attributa:ut,Equus,& Homo:nam etſi utriuſq; diuerſa ratio eſt,attamẽ quæ communi nomini attribuitur,eadem eſt:nam Animal utrunq; appellatur,& eadem eſt quæ naturam explicat,definitio:eſt enim Animal natura animata ſenſus compos.

Polyonyma ſunt multa nomina in una natura cohærentia,atque idem ſignificantia : ut,Enſis,Gladius, ac Sica.

Heteronyma ſunt, quæ neque in nomine, neque in re commune quid habent, uelut Animal,& Scientia:hæc diuerſi quoq; generis dicuntur,quorum & partes,& differẽtiæ ſunt diſsimiles:quippe cùm id,quod ratione utitur,& quod ratione caret mortaleq́; & immortale Animalis differentiæ ſint:Scientiæ uerò, cognitio,contemplatioq́;, atq; actio.

Principium eſt ex quo oriuntur , & in quod extremum recurrunt omnia. hæcq́; decem ſumma genera ſimplices quædam res ſunt. quæ quoniam res ſunt , quæ tantummodo ſignificant, ſi dicantur, nec uerum, nec falſum enunciabunt. quæ res facit, ut iis pro principiis , atque elementis utamur, & Terminorum nomen inuenerint.quorum principem locum Subſtantia obtinet,ad quam naturę omnes reducuntur:quamobrem de genere primo primùm dicamus.

DE SVBSTANTIA.

SVBSTANTIA prima indiuiduum eſt, eaq́; nec de ſubiecto,ullo dicitur,nec in ſubiecto ullo ineſt: ut Petrus. nam quoniam in ſubſtantiis alia communia quędam ſunt,alia ſingulorum propria,(eadem quoque accidentium eſt ratio)Communia ſiue ſubſtantiæ, ſiue accidentia ſint, cùm de iis, quæ minus latè

patent, enunciantur, de ſubiecto dicuntur. Singula uerò ſi Subſtantiæ ſint, neque in ſubiecto erunt, neq; de ſubiecto dicentur: ſi uerò fuerint Accidentia, de ſubiecto quidem non dicentur, ſed in ſubiecto inerunt: in quopiam enim ſubiecto cernuntur, non ſecus, ac commune accidens de ſubiecto dicitur. Cùm itaque quatuor ſint, In ſubiecto, Non in ſubiecto, De ſubiecto, Non de ſubiecto, ſex coniugationes omnia faciũt: nam ſi unum à quatuor adimatur, cæteraq; quæ ſuperſunt, duplicentur, ſex fient. Ita fit, ut duæ cõiugationes uidelicet In ſubiecto, Non in ſubiecto, & De ſubiecto, Non de ſubiecto, non conſtẽt: reliquæ quatuor uniuerſas, & ſingulas ſubſtantias uniuerſaq;, ac ſingularia accidentia efficiant. Nã hæc De ſubiecto, & Nõ in ſubiecto, uniuerſas: Nec de ſubiecto, Nec in ſubiecto, ſingulas ſubſtantias abſoluit. De ſubiecto autẽ, & In ſubiecto uniuerſa accidentia: Non in ſubiecto, & Non de ſubiecto ſingularia cõplet. Prima igitur Subſtantia ea eſt, quæ nec de ſubiecto ullo dicitur, nec in ſubiecto ullo ineſt: eſt enim ſingulorum propria, & ſe ipſa ſuſtentat. Quam quidem Subſtantiam ſub ſenſum noſtrum cadentẽ, & ea, quæ in ſubiecto ſunt cõprehendentẽ, Ariſtoteles, propriè, & primùm, & maximè appellauit. Secũdas uerò, Species potius, quàm Genera: quoniam ad primam naturam propius accedunt. Hæc propter Platonem dixit. Volebat enim Plato ideas eſſe primùm & maximè ſubſtantias, quæ & genera, & ſpecies ſunt: quas ſanè formas quidam defenſitarũt, quòd eas rationes eorum quæ ſunt apud Procreatorem effectrices exiſtimarẽt: unde illud ſermone tritum eſt, Quæ non ſint, tanquam ſint, appellat: cùm de Platone loquuntur. Omnium porrò Subſtantiarum proprium eſt, in ſubiecto non eſſe: ſed hoc in Differẽtiis etiam intelligitur. Ex quo cõficitur, ut hoc omniũ ſubſtantiarum proprium ſit, & non quarundam, ueluti Bipes hominis. Id quoque & Subſtantiis, & Differentiis proprium eſt, ut quæ ab eis dicuntur eadem ratione dicãtur omnia. hoc autem non eſt omnibus attributum, quoniam ex prima ſubſtantia, quia de ſubiecto nullo dicitur, nulla dicendi ducitur ratio. Differentias uerò de iis, quæ ſe participant, eadem ratione dici, eſt ex hoc perſpicuum: nam quod ratione utitur, de homine dicitur: homo enim & rationis compos eſt, & ratione utitur. Omnis enim Subſtãtia, quid quicque ſit, ſignificat: non autem quale, ut Accidentia. Ac in primis quidem ſubſtantiis non eſt id dubium, ſed ſecundæ quale quid ſit potius ſignificant. Plato uerò uoluit illas quid ſit ſignificare, quod eas per ſe conſtare, & cæteris præſtare uideret. Ariſtoteles uerò cẽſet eas qualitatem ſignificare: ait enim, Genera uel poſteriora, uel nihil eſſe. Iam hoc etiam Subſtantiis inſitum eſt, ut nihil ipſis ſit cõtrarium. Sed hoc proprium non eſt ſubſtantiæ: quinetiam in pleriſque aliis hoc cernitur, ueluti in Quantitate: rei enim duorum cubitorum, aut trium, nihil contrarium eſt, neque decem, neque cuiquam rei generis eiuſdem. Sed hoc Subſtantiæ eſt proprium maximè, una eademq; cùm ſit numero, uim habere contraria accipiendi: ueluti unus, idemq; Homo aliâs ægrotat, aliâs ualens eſt: unaq; atque eadem Anima eſt quandoque bona, quandoque mala. At arbitraretur quiſpiam, contraria accipere & orationem poſſe & opinionem: (Videtur enim eadem uera, & falſa oratio ut ſi uera eſt oratio ſedere aliquem, cùm is ſurrexerit, hæc ipſa oratio falſa erit, atque etiam opinio) attamen magna eſt diſsimilitudo: quoniam oratio, & opinio manent ipſæ quidem immobiles ex omni parte, ſed ea re, quæ ſubiecta eſt, immutata, in eis contraria naſci uidentur. Quare proprium Subſtantiæ, pręter cætera ſumma genera eſt, ut cum unum, & idem numero maneat, immutatione ſui uim habeat accipiendi contraria.

DE QVANTITATE.

QVANTORVM aliud diſiunctum eſt, aliud coniunctum. Diſiunctum autem eſt, ut numerus, ut oratio. Continuum, ut linea, extremitas, corpus, locus, & tempus. Nam quantam eſſe orationem ex hoc perſpici poteſt, quòd ſyllaba breui, longaq; ponderatur. Præterea Quantorum aliud ex partibus conſtat, quæ habent ſitum inter ſe: aliud ex iis, quæ non habent. Prioris generis ſunt, linea, ſuperficies, corpus, & locus: poſterioris uerò numerus, oratio, & tempus. Et hæc propriè quanta ſunt, ex quibus ea, quæ coniuncta ſunt, infinitam diuiſionem ſuſcipiunt. Præterea Diſiuncta habent multa & pauca: Cohærentia uerò magna & parua. Dicitur aûtem res multum alba: ſed alba, quantitas non eſt, uerùm ita forma quadam loquendi dicitur. Longam quoq; actionem dicimus temporis cauſa, quod quantum eſt. Quantorum etiam maximè proprium eſt, ut paria, uel imparia dicantur.

DE IIS, QVAE SVB EANDEM CADVNT RATIONEM.

EA autem ſub eandem rationem cadunt, quorum uis omnis aliorum eſſe dicitur, ut eſt apud Platonẽ, uel ut poſtea definiuit Ariſtoteles, quorum uis omnis aliorum eſſe dicitur, aut quoquo modo ad alia refertur. Ac prima quidem definitio talis eſt, ut ſubſtantia omnis uix poſsit uitare, quin cum hoc genere, quo de agimus, coniuncta ſit: ſecunda uerò omnes ſubſtantias ab hoc genere diſiungit. Cùm enim omnes ſubſtantiæ uel communes ſint, uel ſingulorum propriæ, uelut homo, & Socrates, qui etiam quidam homo dicitur, aliæq; ſint uniuerſa quædam, & aliæ partes, ut homo, & ipſius manus abſolutè, & uniuerſe, & Socrates & ipſius manus, quæ & quædam manus dicitur, perſpicuum eſt ex aliis non induci ea quæ cum aliquo conferuntur illius definitionis cauſa, qua ita explicabantur, quorum uis omnis aliorum

rum eſſe dicitur, cùm neque aliquis homo alicuius aliquis homo dicatur, neque manus quædam alicuius quædam manus: eſſet enim id ualde leue, ac nugatorium. Sed neque uniuerſus homo, alicuius homo eſt: atque uniuerſa manus, quæ cùm uniuerſa ſit, illud nomen Aliquis non habet adiunctum: nam ſi ad eam nomen illud adderetur, parum abeſſet, quin ex iis eſſet, quæ cum aliquo comparantur: eſt enim manus cuiuſdam manus. Atque hæc quidem ita ſe habebunt, ſi prior definitio huius generis, quod pertractamus, ualeat. Quòd ſi poſterior definitio magis idonea uideatur eſſe, non item: propterea quòd is, qui manum uiderit, ſtatim cuius ſit norit, ſiquidem manus ſolis hominibus à Deo ſunt tributæ. ſecus enim nihil neceſſarium eſſet, quippe cùm poſſet quiſpiam manum non ignorare, licet totum corpus tegeretur. Qui item maius quid ſcit, quo maius ſit habebit exploratum: uerùm ſi infinitè maius minore dicatur, non ſcientia erit illa quidem, ſed coniectura: nam ſi aliud ſibi conſimile nactum ſit, nullo maius erit: quiq; id, quod melius eſt, cognouit, quo melius ſit, itidem nouit. Si uerò non definitè nouerit illud aliquo peiore melius eſſe, ſcientiam non habebit: nihilo enim melius eſt, ſi cum nullo, quod ipſo melius ſit, comparetur.

DE QVALITATE.

QVALITAS eſt, ex qua aliqui quales nominantur. Longè uerò facilius quales, quam qualitates ſub cognitionem cadunt. Eſt item Habitus, atque Affectio: atque Habitus, ut ſcientiæ, atque uirtutes: Affectio, ut morbus, ut bona ualetudo. Quæ autem longinquiora, & permanentiora ſunt, Habitus dicuntur: quæ uerò facile commutari, celeriterq; euelli poſſunt, & diſtrahi, Affectiones appellantur. Vis quoque naturalis, & Imbecillitas. Duritia, & Mollities, Valens, & Aegrotum corpus. Quod enim ualens eſt, habet bene ualendi facultatem, morboſum uerò ad id ineptum eſt. Ex quo genere alios ad curſum ualere, & ad cæſtibus contundendum: idq; non ex ui, ſed ex habitu ualentes ſcilicet currere, & cæſtibus contundere, non quòd affecti ſint quodam certo genere, dicimus.

Affectio item: & Patibilis qualitas atque Affectio fortuita eſt, & facilè euelli poteſt: Patibilis autem qualitas ortum habet ab affectionibus, ſiue à morbo, nec facilè corrigi poteſt, aut per omne tempus ætatis ualet. Sed non ex affectionibus, aut motionibus Quales nominamur: neque enim qui erubuit, ob eam cauſam, quòd ſit pudore affectus, Ruber nocatur: nec qui metu expalluit, Pallidus: uerùm à patibilibus qualitatibus nominamur, ut Iracundi, & Lenes dicuntur, non qui ob aliquam commotionem caſu, & temerè ira commoti tunc iracundi ſint, aut metu perterriti, tum manſuefacti exiſtant, ſed quòd illa affectio eis ſemper ineſt. Quartum qualitatis genus eſt Figura, & Forma. Figura quidem in iis quæ inanimata ſunt, dicitur, ut eſt apud Euripidem: O` ædium figuræ. Forma in iis, quæ animata ſunt, ex qua Formoſi homines appellantur. Quales autem ex qualitatibus aliqui dicuntur, quæ ortæ ab uno uariè commutantur. Interdum etiam cùm id, quod quale dicitur, ab ea qualitate nomen non mutuatur, ut à uirtute, Virtute præditus. Sunt autem paronyma, quæ ab uno habent ortum, & diuersè mutantur, uarietasq; illa, qua mutantur, finis uerbi eſt, ut Grammatica Grammaticus.

Euenit quandoq; ut ambiguè quippiam ex qualitatibus quale dicatur, ut à Grammatica, Grammatica mulier. Sunt autem quidam, qui propterea quòd nulla nomina qualitati impoſita ſunt, nomina ſua ab eis non ducant, uelut Curſor, & Pugil, qui ex ui innata nominatur, nomen ab ulla qualitate non traxit. neque enim impoſita ſunt rebus iis nomina, quod ſi eſſent, non eſſent hæ affectiones, ſed ſcientiæ, à quibus hi pugiles, & curſores nominantur non ex ui inſita, ſed propter affectionem: nam à pugillationis ſcientia pugil appellatur is, qui ea præditus eſt, non propter uim, ut ſiquis maximis corporis uiribus poſſit pugnis certare, nunquam uerò, uel fortaſſe aliquando certauerit. Illud quoque de patibilibus qualitatibus ſcire debemus, ex eis alias eſſe, quæ ex affectionibus oriantur, ut candor, & nigror, quæq; ſunt eiuſdem generis: alias, quæ ipſæ in ſenſibus motum quendam, & affectionem efficiant, ueluti Dulcedo, Amaror, itemq; Calor, & Frigus. Poſtremo qualitatis proprium eſt, ab ea aliquid ſimile, aut diſsimile nominari.

AGERE, ET PATI.

AGERE, & pati repugnantiã recipiunt, nam & calefacere, & refrigerare ſunt inter ſe contraria, caleſcere item & frigere. Atque etiam magis, & minus, licet enim magis, & minus calefacere, minusq; caleſcere, & magis: & maiorem, ac minorem dolorem percipere.

SITVM ESSE.

SITVM eſſe, à ſitu nomen habet. eſt autem Ingreſſus, Curſus, Accubatio, Inclinatio, Seſsio. Quo fit, ut ingredi, currere, accumbere, inclinare, ac ſedere ſub hoc genere conſtituantur.

DE HABENDI GENERIBVS.

HABERE idem declarat, quod ueſtitum eſſe, & armatũ eſſe: cuius genera ſunt plurima. Aut enim habere aliquid quiſpiam dicitur, ut qualitatem, nam ualetudinẽ, aut Grammaticẽ habere dicimur:

uel ut quantitatem,ut dicitur quis habere magnitudinem trium cubitorum:uel ut ea,quæ ad corpus pertinent,ut habere ueſtem:uel in parte,ut in digito annulum:uel tanquam partem,ut manum:uel tanquam in uaſe,ut amphora uinum:uel ut poſſeſsionē,ut domum,& agrum:atq; etiam mulierem habere dicimus, qua ſignificatione dictum eſt à Poëta,

Quiq; habuere Phylacen.

Et VBI, ut in Lyceo: QVANDO, ut anno ſuperiore,hodie,cras,cæteraq; omnia generis eiuſdem.

DE CONTRARIIS.

CONTRARIORVM genera ſunt quatuor: Vnum eorum,quę ſub eandē cadunt rationem,nam maius minori cōtrarium eſt: Alterum eorum,quæ aduerſa ſunt,ut bonum malo: Tertiū eorum,quæ priuantia dicūtur,ut cæcitas,& aſpectus:ſcientia,& ignoratio: Quartum eorum,quorum alterum ait quid, negat alterū,ueluti Socrates ſedet,Socrates non ſedet. Cumq; prima tria genera uerū, & falſum nō diſtinguant,quartū diſtinguit:neq; enim in eo,quod eorū eſt,quæ cum aliquo conferūtur,mihi dices, Maius eſt, Minus eſt,quippe cum hæ ſint affirmationes,nec ſub eandē rationem omnino cadant:ſed maius & minus, uidelicet ſine uerbi alicuius adiūctione,& cōiugatione.idq; maius,& minus nec uerū , nec falſum ſignificabit. Simili quoq; modo liquet in Bono & Malo,Priuatione,atq; Habitu : quòd hoc abſolutè uerū nō ſit,& illud falſum, quemadmodū in Affirmatione, & Negatione liquidò apparet.nam bonum & malum ſi per ſe nuda proferantur,nihil quicquam ueri,uel falſi ſignificabunt. Quòd ſiquis,Eſt,addat,itaq; aiat, Hoc uiuens eſt, hoc mortuum eſt, uelitq; alterum uerum eſſe, & alterum falſum : ſciat is, effici illud poſſe,modò Socrates ſit , & horum neutrum uerum eſſe , ſi Socrates non exiſtat. In Affirmatione uerò & Negatione ſiue id quo de uerba ſiunt,ſit,ſiue non ſit,partim uerum,partim falſum dicimus:ueluti,Socrates uiuit : Socrates non uiuit:uel loquitur,aut non loquitur:alterum enim horum & cum Socrates ſit,atque etiam non ſit,uerum eſt,falſum alterum.

DE MODIS PRIORIS.

PRIVS quadriſariam dicitur : primùm genus eſt temporum ordine, ex quo aliud alio antiquius eſt. Alterum quod non retro dicitur,cùm rei ſtatus indagatur:in quo genere unum eſt duobus prius:nam ſi duo ſint,continuò ſequitur unū eſſe,unum autem ſi ſit,duo quoque ſint,non eſt neceſſe. Tertium ordine, quodā prius appellatur,id quod in ſcientus uidemus.elementa enim priora ſunt ordine iis,quæ deſcribuntur. Aliud eius genus eſt eorum,quæ reciprocantur,cùm rei ſtatus tractatur.id enim quod cauſa eſt,cur ſit alterum,ordine naturæ prius dicitur.nam ſi homo ſedeat,uera erit oratio, ſedere hominem. atque illud ſedere cauſa eſt,cur oratio uera ſit. at oratio uera minime cauſa eſt,cur res ſit. Quæ ſane Prioris genera cum tot ſint,totidem Poſterioris eſſe dicentur.

SIMVL.

QVAE ſimul ſunt, tripartita dicuntur , quorum ortus eodem eſt tempore , quæ uiciſsim retro commeant in tractanda ſtatus argumentatione:neutrum enim cauſa eſt ortus,& ſtatus alteri,ſicut in duplo,& dimidio dicebatur : cum enim duplum ſit,dimidiū itidem erit,dimidium cum ſit, erit etiam duplū, hicq; neutrum ortus alterius cauſa eſt. Et quæcunque inter ſe ex eodem genere diuiduntur : nam id quod rationis compos,& quod rationis expers eſt,animal ſimul diſpertiunt. Regula enim quædam eſt,qua dicitur,In quibus prius quid eſt,ac poſterius,id quod de iis communiter dicitur,genus eſſe nullo modo poteſt.

DE GENERIBVS MOTVS.

GENERA motus ſex ſunt : Ortus,Interitus,Acceſsio,Deceſsio,Commutatio,& Loci mutatio. Ac Generatio quidem & Interitus ad ſubſtantiam pertinet: Accretio autem & Diminutio quantitatis ſunt : Alteratio in qualitate uerſatur : Loci mutatio , ubi. Videbuntur fortaſſe accretio & commutatio eædem eſſe,attamen non ita ſe res habet. Quadratum enim ſi ei additamentum accedat , augebitur illud quidem ſed non commutabitur.

DE INTERPRETATIONE.

DVAE uoces ex libro, in quo de ſummis generibus agitur, ad hanc doctrinam aſſumuntur, ut propoſitio componatur, non ſecus ac duabus è literis ſyllaba coniungitur: ueluti Socrates ſcribit: nam Socrates à ſubſtantia eſt, Scribit uerò ſub ipſum agendi genus teducitur. Ex iis uocibus altera ſubiicitur, altera de illa ſubiecta dicitur: præterea altera nomen eſt, & altera uerbum. Non homo, nominis uim non obtinet, ſed nomẽ infinitum appellatur, quemadmodum etiam Non graditur, Non appello uerbum, ſed uerbũ infinitum. Ex duobus igitur terminis ſubiecto uidelicet, & eo, qui de ſubiecto dicitur, propoſitiones fiunt: atque ex ſubiecto termino ſiue is ſit definitus, ſiue etiam infinitus. Determinationes autem, quæ ſubiecto copulantur, quatuor ſunt: ex quibus duæ Omnis, & Aliquis aiunt: duæ Nullus, & Non omnis negãt: quibus hoc nomen impoſitum eſt, quòd orationem noſtram determinent, ac definiant, utrum uniuerſè, an præcipuè habeatur: & num ſit aiens, uel negans. Sunt uerò & tres Materiæ: Neceſſaria, quæ uidelicet cohibet in ſe naturalem efficientiam: ut, Homo reſpirat. Fortuito antegreſſa, quam Contingentem uocãt: qualis eſt, Homo lauatur. Et quæ fieri non poteſt: ut, Homo uolat. Tria demum Tempora ſunt, Inſtans, Præteritum, ac Futurum. Ex determinationibus autem duæ Aientes ſunt, duæ Negantes: quibus ad terminos adiunctis quæritur repugnantia. Repugnantia enim oratio contraria eſt: ut ſi affirmatio ſit uera, negantia ſalſa ſit: ſiq; negatio uera ſit, affirmatio falſa exiſtat, ita tamen ut utræque ſimul ueræ, uel falſæ in tribus temporibus, & tribus materiis non ſint. Materiæ ex eo dicuntur, quòd ſimul ac dictæ ſunt, ſe nobis obiiciunt: Si, uerbi gratia, Lebetem dixero, exterior materia uidebitur, quæ uel aurea ſit, uel argentea, uel ænea: ita cùm Reſpirare hominem dico, neceſſaria materia ſit manifeſta: illud enim Neceſſarium eſt, quod alio modo ſe habere non poteſt. Cùm enim dicimus, Homo rationis expers eſt, illa materia intelligitur, quæ fieri non poteſt: quæ ſic appellata eſt, propterea quòd nunquam fiat. Cùm uerò hominem ambulare dicimus, materia fortuita explanatur. Fortuitum appello, quod eſſe, & non eſſe poteſt. In ſingularibus igitur duæ repugnantiæ fiunt, ſi determinationes utriſque terminis non coniungantur: ueluti, Socrates cogitat, & reſpirat, uel reſpirauit, uel reſpirabit: Socrates non reſpirat, non reſpirauit, uel non reſpirabit. Hæq; ſunt in tribus temporibus, atque in ea materia, quæ naturalem efficientiam in ſe cohibet, affirmatioq; uera eſt, & negatio ſalſa. Eodem etiam modo Socrates uolat, uolauit'ue, aut uolabit: Socrates non uolat, uel non uolauit, uel non uolabit. Idq; fit in tribus eius materiæ temporibus, quæ fieri non poteſt, cuius affirmatio falſa eſt, ueraq; negatio. Similiter quoque Socrates lauatur, uel lotus eſt, uel lauabitur: Socrates non lauatur, uel non lotus eſt, uel non lauabitur, in tribus temporibus eius materiæ dicitur, quæ eſt ſortuitò antegreſſa: alteraq; uera eſt, altera falſa. Id tamen in præterito atque inſtanti ita ſe non habet, quoniam in illis alterum propoſitum ſine dubio falſum eſt, alterum uerum. In ſuturo uerò, ut ſors tulerit: ſi enim unum uerum ſit, aliud ſalſum erit. quo ſanè modo nobis eſt comparatum, ut fatum tollatur. Hæc de ſingularibus ſint nobis dicta. Singuli enim ſunt, Socrates, & Plato. Illæ uerò, quæ uniuerſæ ſunt, ſi abſque determinatione efferantur, infinitæ, & uniuerſæ tanquam non uniuerſæ dicentur, propterea quod cum homo uniuerſalis ſit, non utimur repugnantia tanquam uniuerſali cum determinatione. Hæ itaque propoſitiones in materiis neceſſaria, & quæ fieri non poteſt, in tribusq; temporibus uerum, & falſum diſtinguunt. Homo enim reſpirat, reſpirauitq;, ac reſpirabit: uel non reſpirat, & non reſpirauit, ac non reſpirabit. Item homo uolat, uolauitque, & uolabit: uel non uolat, non uolauit, non uolabit. Nam in materia fortuita affirmatio cum negatione uera eſt: ut, Homo lauatur, uel lotus eſt, uel lauabitur: homoq; non lauatur, non lotus eſt, & non lauabitur. Vtræque enim ueræ ſunt: quippe quæ ſine determinationibus cùm ſint, utranque rationem ingrediuntur, ſimulq; uerum dicunt. Ea re fit, ut illæ quæ determinatæ non ſunt, non ſemper uerum & falſum diſtinguant. Nunc eſt de ipſis Determinationibus diſſerendum, ex quibus nonnullæ uniuerſæ ut uniuerſæ dicuntur, ſiquidem & determinatio uniuerſa, & nomen uniuerſum inuenitur, ut hoc exemplo planum fiet, Omnis homo reſpirat: illa uox, Omnis, ſingulos homines complectitur, & nullum omnino omittit. Duæ igitur uniuerſæ determinationes Omnis & Nullus excellentiores ſunt, quoniam uerum, & falſum in omni tempore, omniq; materia diſiungunt. Quod ſi ita ſe res habet, negantes uocabuntur: ſi ſecus, aliud quoddam nomen ſortiantur oportet. Hæ quidem ita componuntur, Omnis homo reſpirat, reſpirauit'ue, aut reſpirabit: Nullus homo reſpirat, uel reſpirauit, uel reſpirabit. Et hæ ſunt in tribus temporibus in materia neceſſaria, & affirmationes ueræ ſunt, ac negationes falſæ. Omnis item homo uolat, uolauit, aut uolabit: Nullus homo uolat, uolauit, aut uolabit, in tribus temporibus negationes ueræ, & affirmationes falſæ ſunt. Præterea Omnis homo lauatur, uel lautus eſt, uel lauabitur: id fit in tribus temporibus in fortuita materia, & utraque propoſita ſimul mentiuntur. diſparatæ tamen non ſunt. Quonam igitur nomine appellabuntur, ſi negantia dici non poſſunt? neque enim ubique uerum & falſum dirimunt, neque omnino Aduerſa

ſunt: quanquam hoc nomen his propoſitionibus duobus Aduerſorum modis conueoire uideatur. Aliqua enim Aduerſa ſunt, inter quæ nihil intermedium interiectum eſt, uelut inter lucem & tenebras: uitã, & mortem. Aliqua ſunt, quæ medium quid habent, euiuſcemodi ſunt calor & frigus, quorum medius eſt tepor: itemq; candor, & atror, quorum medium eſt fuſcum: cæteriq; colores, qui ex iis Aduerſis ſunt, inter quæ medium quiddam intercedit. Eſt enim illis aduerſis ita natura comparatum, ut utrunque deficere poſsit, ut ad medium illud ſeſe adiungat: ob eamq; cauſam hæ repugnantiæ Aduerſæ dicentur, propterea quòd ſi utræque in materia contingenti deficiant, ſupererit illarum medium: euenit enim aliquem hominem & lauari, & lotum eſſe, ac lotum iri: id enim erit in contrariis medio uacantibus, quoniam in eo, quod recipit, neceſsitate quadam alterum ineſt. ut in animali uita uel mors inerit, uel etiam morbus, uel bona ualetudo. Hæcq; Aduerſa dicentur ob eam cauſam, quòd in ea quoq; materia, quæ fieri non poteſt, altera ex propoſitionibus neceſſariò adſit, hoc eſt uerum dicat, ſecus omnino Diſparata nocarentur, eo quòd diſparata apta ſint, ut ab illis abſint, quæ Aduerſa recipere nullo modo poſſunt: in eo autem, quòd Aduerſa recipit, ſimul adeſſe non queunt. Simili quoque modo propoſitiones abeſſe poſſunt, ueluti ſimul falſum aſſerentes: adeſſe non omnino poſſunt. Cum igitur uniuerſæ ad repugnantiam efficiendam adhibeantur, ſingulorum propriæ in omni tempore, & in omni materia in repugnantiam nõ ſatis conuenienter coibunt: illæ tamen non item. Quod uel maximè fit, quòd in neceſſaria materia in omni tempore uerum, & falſum diſtinguunt. Quidã enim homo eſt animal, propterea quòd omnem hominem animal eſſe uerum eſt, fuitq;, & erit. At Non omnis homo eſt animal, in tribus temporibus eſt falſum. Haud ſecus in materia, quæ fieri non poteſt: ſi enim dicatur, Aliquis homo eſt lignum, in tribus temporibus falſum erit: Non omnis uerò homo lignũ eſt, in tribus temporibus uerum cenſetur, quòd nullus homo lignum ſit. Quemadmodum autem in materia neceſſaria Aliquis cum Omni uerum dicit: ſic in ea etiam, quæ fieri non poteſt, Non omnis cum Nullo uerè dicetur. Etenim in ſortuita utræq; ſunt ſingulares, qua quidem in materia in tribus temporibus ſimul ueræ ſunt cum & quidam homo, & non omnis lauetur, lotusq; ſit, atque etiam lauandus ſit. cum itaque aientes ſemper non ſint, & in ſortuita materia ſimul uerum dicant, quonam nomine uocabuntur? nam Aduerſæ non dicentur, uel ob eam cauſam, quod ſimul ueræ exiſtant. Appellabuntur igitur Aduerſis contrariæ, & altera alteri ſubiecta in uniuerſis, & contrariis: propterea quòd ſub illis conſtituuntur. Atque his ſingularibus illæ pares ſunt, quæ determinationes non habent, quoniam eas in materia fortuita ſimul ueras eſſe affirmauimus, & uniuerſas tanquam minimè uniuerſas appellauimus: uelut, Homo deambulat, homo non deambulat. Idq; ualde meritò factum eſt, propterea quòd ſi determinatione uacantes ſimiles determinatis futuræ ſint, ſemper peioribus coniungentur: ſiquidem hæc determinatio Aliquis, peior eſt hac Omnis: itemq; hac Nullus, peior eſt Non omnis. Quibus quidem rebus cùm Plato repugnet, conatur rationibus affirmare eas, quæ determinatæ non ſunt, negantes eſſe: cumq; illæ peioribus determinatis ſimiles ſint, ipſe quoque pares utraſque facit: idq; etiam ob eam cauſam, quòd Aliquis, deterior eſt quàm Omnis: non ſecus, quàm ſingulæ res uniuerſis. Duæ præterea determinationes ſunt, de quibus dubium eſt, utra deterior ſit: eæ ſunt Non omnis, & Nullus. Nos tamen hanc Nullus, hac Non omnis, deteriorem eſſe cenſemus: quoniam Nullus nihil adiungit iis, quibus adhæret, ſed omnibus rebus priuat: Non omnis uerò tum infert, quicquam, tum extra relinquit. Et hac ratione is, qui hanc Nullus deteriorem dicat eſſe, negationem eius, cui nulla determinatio adiuncta eſt, ei ſimilem faciet ita, ut hæc, Homo non deambulat, cum hac, Nullus homo deambulat, eadem ſit. Cæterùm quæ determinatæ non ſunt, in materia neceſſaria, & quæ fieri non poteſt, falſum uerumq; diſtinguunt. id quod in fortuita materia itidem faciunt, ut traditum eſt à Platone: præſertim cùm hæc Homo non ambulat, huic Nullus homo ambulat, æqualis ſit: haud ſecus etiam, Homo deambulat, huic Aliquis homo deambulat. Quod ſi eſſet in utriſque, minime dubium, illæ, quæ determinatæ non ſunt, diſparatæ eſſent, quemadmodum ſcripſit Plato. Has enim, Aliquis & Nullus, diſparatas eſſe deinceps demonſtrabitur. Non aliter ſanè aduerſæ ſunt, quàm Omnis, & Non omnis, quas uniuerſas ut uniuerſas Ariſtoteles uocat, licet altera tantum uniuerſa ſit: tamen propter uniuerſæ illius dignitatem & decus (hoc enim ſignificare τὸ ἀξίωμα hoc loco puto) alteram celebrat, & laudibus extollit. Hæc Non omnis, hanc Omnis, negat perinde, ac Aliquis Nullum affirmat. Sed quomodo hæ repugnantes erunt? Nimirum quia in tribus temporibus, tribusq; materiis uerum & falſum dirimunt: ut in neceſſaria Omnis homo eſt animal, fuitq;, & erit, uerum dicitur: Non omnis homo animal eſt, in tribus temporibus eſt falſum. Præterea in ea, quæ fieri non poteſt, omnis homo penniger eſt, & fuit, eritq;, falſum eſt: Non omnis homo penniger, in tribus temporibus eſt uerum: quam propter Non omnis, in hac materia ex hac Nullus, conſequitur: ut dictum eſt nobis. In fortuita quoque materia Omnis homo iuſtus eſt, fuit, & erit, falsò dicitur: Non omnis homo iuſtus eſt, fuit, eritq; uerè dicitur. In his, Quidam uidelicet, & Nullus, ſimili modo. ac primum in neceſſaria, ut Quidam homo animal eſt, uerum eſt: quoniam omnis etiam homo eſt animal. Qua ſanè in materia Quidam ex omni conſequitur: ergo ſequitur, ut dicamus hanc propoſitionem in tribus temporibus ueram eſſe: Nullus enim homo animal, ſi dicatur, erit in tribus temporibus falſum. Pari ratione fit, in ea, quæ fieri non poteſt: Quidam homo uolat, ex omni æternitate falſum eſt: Nullus homo uolat, ex æternitate uerum eſt.

Quod

Quod æquè ſit in ſortuita: Quidam homo deambulat,ſemper uerum: Nullus homo deambulat, in tribus temporibus eſt falſum:quæ res effecit,ut repugnantes dictæ ſint. Omnes enim hæ propoſitiones ex determinato ſubiecto conſtant:ex quo conficitur,ut cùm duę,affirmatio inquam & negatio ſingulares ſint,duę autem determinationibus careant, duæq; uniuerſarum rerum tanquam uniuerſarum ex Omni, & Non omni,& duæ præterea uniuerſæ ut uniuerſæ ex Quodam,& Nullo,omnes octo efficiantur:quæ ter in tribus temporibus ductæ numerum quatuor & uiginti conficiunt. Eas præterea tribus in materiis ter accipias,& duæ ac ſeptuaginta fient,quę omnes ſunt ex definito ſubiecto. Totidem quoq; ſunt ex nominibus infinitis,ut Non Socrates,Non homo: & hæ omnes unà coniunctæ erunt centū quadraginta quatuor: fiuntq; omnes hæ ex ſubiecto termino,& eo,qui de ſubiecto dicitur, in quibus infinitum uerbum nullum habet locum. Fit enim negatio propoſitione nō definita,ut affirmatio ex infinito fiat uerbo. Quare de his ſatis multa.de illis uerò,quæ fiunt,cùm uerbum Eſt,in oratione tertium ponitur,deinceps dicemus.

DE ENVNCIATIONIBVS INFINITIS.

CVM uerbum Eſt,in propoſitione tertium locum ſortitur,tum,ut inquit Ariſtoteles,duę pronunciationes contrario nomine oppoſitæ naſcuntur,ita ut cum ſuperioribus conduplicentur. At quomodo biſariam oppoſitæ Enunciationes fiunt?Hoc ſane modo:Homo iuſtus eſt,homo iuſtus nō eſt:quoniam & Iuſtus,& uerbum Eſt,ſuſcipere negatioocm poteſt, ut poſtea uerbū infinitum ſit:quas etiam propoſitiones ex nominibus & uerbis traiectis & commutatis(uulgò ex trāſpoſitione)philoſophus appellat: ut Nō, in affirmationem ſi mutetur,fiet altera oppoſita ex negatione enunciatio,hoc modo: Homo nō iuſtus eſt, Homo non iuſtus nō eſt:parum enim altera eſt affirmatio ex nominibus,& uerbis commutatis,altera negatio.Sunt igitur quatuor,quod ex hac deſcriptione intelligi poteſt.

Homo iuſtus eſt.	Huius negatio.	Homo iuſtus non eſt.
Homo non iuſtus eſt.		Homo non iuſtus non eſt.

Atq; hæc,Homo iuſtus eſt,unum ſignificat,hominem uidelicet ſolum iuſtum eſſe: cuius negatio, quæ eſt, Homo iuſtus non eſt,tria ſignificat: quæ quoniam ad ea etiam,quæ nulla ſunt,porrigitur, quatuor ſignificabit.Dicimus enim Anytum iniuſtum,infantemq; & lignum,& quæcunq; ſunt præter hominē:ea enim neq; in hominum,neq; in iuſtorum numero habentur: cùm priſci homines ſint non tamē iuſti,ſed partim iuſti,partim iniuſti:partim nec iuſti,nec iniuſti,& quod in rerum natura nō reperitur, quod nec hominis, nec iuſti nomen obtinet,ſed omnino nihil eſt:nam negatio etiam in eo ualet,quod penitus non eſt.Pręterea hæc,Homo non iuſtus eſt,duo ſignificat, iniuſtum uidelicet, & infantem:illa uerò, Homo non iuſtus non eſt,tria complectitur,Socratem iuſtum id eſt,hominem,qui non ſit,non iuſtus, lignumq;, & excepto homine omnia reliqua,quæ nec homines ſunt,nec iuſta:tum quod nullo in loco penitus eſt:quod etiam in ſingulari dicitur,& non in multitudine:quod enim non eſt,quonam pacto ſub numerum cadet?In infante hæc propoſitio non efficitur,quoniam eſt homo non iuſtus.Hæq; enunciationes infinitæ quatuor cū ſint, poſſunt ueræ ſimul eſſe, ſi determinationes ad eas addātur hoc pacto:Omnis homo iuſtus eſt, Non omnis homo iuſtus eſt, Aliquis homo iuſtus eſt,Nullus homo iuſtus eſt:atque id in externis temporibus tum uerum eſt,tum falſum:ex quo conficitur, ut repugnanter negantes ſint. Sunt pręterea aliæ propoſitiones, quæ ex ſubiecto minime determinato conſtant:id quod etiam in iis, quæ determinata ſunt, atque etiam non ſunt,reperitur:ut,Non homo iuſtus eſt,Non homo iuſtus non eſt, Non homo non iuſtus eſt, Non homo non iuſtus non eſt:itemq;,Omnis non homo iuſtus eſt, Omnis non homo iuſtus non eſt, Omnis non homo non iuſtus eſt,Omnis non homo non iuſtus non eſt.Hæc enim,Non omnis homo iuſtus eſt,uel non iuſtus,cum hac,Omnis homo iuſtus non eſt, uel non iuſtus,eadem eſt. (Nam id quoque in negationem ingredi poteſt.) In propoſitionum conſecutione norma quædam obſeruatur, ut idem aliter,atque aliter dicatur:ea eſt huiuſmodi. Vt determinationis quantitas ſeruetur, qualitas tamen minuatur,uerbum ſi definitum ſit,in infinitum mutetur:ſiq; infinitum,in definitum commutetur:ut,Nullus homo ſapiens, Omnis homo non ſapiens:Aliquis homo non ſapiens,Non omnis homo ſapiens:atque ita propoſitiones cōmutabuntur,& idem ſignificabunt.

DE ENVNCIATIONIBVS MODORVM.

AMODIS quoque propoſitiones oriuntur. Modos appello hos: Pulchrè, Iuſtè, Sanctè, Sedulò, & id genus: ut, Hic inter homines ſedulò uerſatur: cuius negatio fit, ſi Non ad modum adiungatur ſic.Hic non ſedulò inter homines uerſatur. Alii quoque modi ſunt, Quod fieri poteſt, Contingens. Impoſsibile,& Neceſſarium:& Materiæ modi fiunt,nam ſi non dicantur,materiæ ſunt, declarantur enim cùm alia dicta ſint:ſi uerò dicantur,modi erunt:ut, Hic neceſſariò reſpirat. Quod autem fieri poteſt,& Fortuitum,ſiue Contingens,latius manant. Quod enim fieri poteſt, & neceſſarium & contingens: ſimili modo contingens,& neceſſarium:& quod fieri poteſt, fiet, uel non. Ex iis igitur quatuor modis ſexdecim propoſitiones fiunt:quarum quatuor aientes ſimplices:quatuorq; ſimplices negantes:quatuor ex nominibus, & uerbis commutatis, aientes: & quatuor eiuſdem generis negantes, in quibus modus, & non

uerbum propoſitionis uim habet:ut, fieri poteſt ut lauetur, Non fieri poteſt, ut lauetur, Cõtingens ut lauetur, Non contingens ut lauetur, Impoſsibile ut lauetur, Non impoſsibile ut lauetur, Neceſſarium ut lauetur, Non neceſſarium ut lauetur:hæq́; ſunt ſimplices negantes, Fieri poteſt ut nõ lauetur, Non fieri poteſt, ut non lauetur, Contingens ut non lauetur, Non contingens ut non lauetur, Impoſsibile ut non lauetur, Non impoſsibile ut non lauetur, Neceſſarium ut non lauetur, Non neceſſarium ut non lauetur:hæq́; affirmationes & negationes ſunt nominibus & uerbis traiectis, & commutatis:nam, Fieri poteſt ut non lauetur, & eius generis permulta, negationes ſunt non ſimplices, quarum negationum momẽtum non uerbum habet, ſed modus:idem enim lauari poteſt & non lauari, quarum repugnantia ſimul uera erit. Hæc autem, Non fieri poteſt, ut non lauetur, atque aliæ quamplurimæ negationis non ſimplicis nomine appellantur, ex quibus conſequentiæ fiunt hoc pacto. Hanc, Fieri poteſt ut lauetur:hæ, Contingens ut lauetur, & Non impoſsibile ut lauetur, & Non neceſſarium ut lauetur, conſequuntur. Hanc uerò, Non fieri poteſt ut uolet:hæ, Non contingit ut uolet, & Impoſsibile ut uolet, & Neceſſe eſt ut non uolet, conſequuntur. Item hanc, Fieri poteſt ut non lauetur:hæ, Contingens ut nõ lauetur, Non impoſsibile ut non lauetur, Non neceſſarium ut non lauetur, conſequuntur. Hanc etiam, Non fieri poteſt, ut non reſpiret:hæ, Non contingit ut non reſpiret, & impoſsibile ut non reſpiret, & neceſſarium ut reſpiret, conſequuntur. Quare in ſimplici eius, quod fieri poteſt affirmatione, atque in iis, quæ illam conſequuntur, contingens conſequentiam facit. in ſimplici uerò eius negatione, illamq́; conſequentibus, conſecutionem facit id, quod fieri non poteſt. Pręterea in non ſimplici eius, quod fieri poteſt, affirmatione, atque adeo illam conſequentibus, contingens iterum facit, inq́; illius negatione, & conſectantibus, neceſſarium. Et ita de propoſitionibus finem dicendi faciam.

PRIORES RESO-LVTIONES.

EX PROPOSITIONIBVS argumentatio fit perinde, atque ex literis ſyllabæ, ex ſyllabis uerba, ex uerbis oratio conficitur. Ratiocinationum formæ tres ſunt, Prima, Secunda, ac Tertia prout medium erit in iis collocatum. Quòd ſi directè medium ita ſit conſtitutum, ut alter terminorum de eo dicatur, ipſumq́; de altero, prima fiet. Si uerò ſuprà ſit, quàm utræque extremitates, deq́; ambabus dicatur, ſecunda figura euadet. Si inferius, ut utriſque ſubiiciatur extremitatibus, tertia conficietur. Ac prima quidem & perfecta ipſa eſt, & perfecta in ea fit ratiocinatio:quandoquidem in nulla alia perfectionem ſortitur ſuam, quemadmodum ea facit, quæ in ſecunda & tertia conflatur:quæ & per primam, & ex reciprocatione, ac demonſtratione, qua quis efficitur incommodo, atque adeo per expoſitionẽ perfici poteſt, ut poſt aliquanto dicemus. Determinationes autem figuras in materia inſtanti (quam meſſe uocant) neceſſariaq́; ac fortuita conſtituit. Inſtans eſt cõtingens quod iam euenerit. Quod autem fieri non poteſt, in materia neceſſaria continetur. Quod enim ſit neceſſe eſt, id non fieri poteſt, non quidem ut ſit, ſed ut non ſit:ueluti reſpirare hominem neceſſe eſt, & fieri non poteſt, quin reſpiret.

PRIMA FIGVRA.

PRIMA quidem in figura maior terminus de medio dicitur, atque ab eo maior ſumitur propoſitio: minor medio ſubiectus eſt, & ab eo minor propoſitio ducitur. Cum itaque determinationes ac ſigna quædam, de quibus ante dixi, quatuor ſint, Omnis, Nullus, Aliquis, Non omnis, unum eorum quodque ad ſeſe & ad cætera tria adiunctum quatuor coniugationes facit:haſq́; bifariam, pręterquam eas, quæ inter ſe coniunguntur, componit, ita ut omnes conſpirantes, ac penè conflatæ, duæ de triginta fiant, Omnis Omnis, Omnis Nullus, Omnis Aliquis, Omnis Non omnis: hæq́; præter primas Omnis Omnis reciprocantur:ut, Nullus Omnis, Aliquis Omnis, Non omnis Omnis:quæ ſeptenarium numerum conficiunt. Præterea Nullus Nullus, Nullus Omnis, Nullus Aliquis, Nullus Non omnis fiunt:quæ præter Nullus Nullus, retro dicuntur:Omnis Nullus, Aliquis Nullus, Non omnis Nullus:ſunt hæ quoque ſeptem. Deinde Aliquis Aliquis, Aliquis Omnis, Aliquis Nullus, Aliquis Non omnis conflantur, Poſtea Non omnis Non omnis, Non omnis Omnis, Non omnis Nullus, Non omnis Aliquis, quæ ſi ut ſuperiores uicisſim retro commeent, quatuordecim euadent, & ita omnes octo & uiginti erunt. Sed regula quadam primæ figuræ conſtituta quatuor tantum eliguntur:ea regula ſe habet ad hunc modum. Maior propoſitio aliquid de rebus uniuerſis aiat, uel neget:minor ſeu de uniuerſis, ſeu de ſingulis rebus aiat quippiam. Aſſumitur igitur Omnis Omnis, altera ut de rebus uniuerſis, altera ut aiens:Nullus Omnis, uno & eodẽ modo:altera uidelicet, uniuerſa negãs, aiens altera:Omnis Aliquis, & Nullus Aliquis. cæteræ omnes ad hanc figurã inutiles ſunt. Qua quidẽ re factũ eſt, ut cũ hæ ſolæ ratiocinatiuæ ſint, reliquæ nõ ratiocinatiuæ ſint appellatæ: ſuntq́; ratiocinatiuæ, quæ eodẽ modo cõcludũt, ſi tales quidam termini cõſtituãtur:Nõ ratiocinatiuæ, quæ

partim

partim Omnis,partim Nullus,prout termini poſiti ſint:nam ex his Omnis Omnis , concluditur Omnis, licet quiuis termini ſint conſtituti:ut,Subſtantia in omni animali,animal in omni homine, ſubſtantia igitur in omni homine dicitur.Id quod etiam fit in his , Nullus Omnis : Lapis nulli animali , animal Omni homini,lapis igitur nulli homini ineſt.Efficitur id quoque in his, Omnis Aliquis : Animal omni homini, homo alicui candori,animal igitur alicui candori attribuitur.In Nullo quoque & Aliquo eadem ratio eſt: Lapis in nullo animali,animal in aliquo candore,lapis igitur in nō omni candore. Quid uerò cauſæ ſit,cur Alicui non ſit concluſum,ſed Non omni,dicendum reſtat:nam ſi dixiſti,Lapis alicui candori , in ſuperiori ratiocinatione,de quo aliquo candore animal dictum eſt,diceretur quoque lapis:& ita de quodam animalis candore lapis diceretur,quod fieri nullo modo poſſet.Reliquæ coniugationes , utpote quæ regulæ ſubiectæ non ſint,nulli uſui ſunt:cuius rei exemplo Omnis,Nullus,ponatur: Animal omni homini ineſt,homo nulli olori,animal igitur omni olori.Itemq; Animal omni homini , homo nulli lapidi , animal igitur nulli lapidi.In cæteris etiam eodem modo,ſiquis ſingulas percurrat . Sæpenumero pro hac Aliquis,ſumitur non definita in minori propoſitione. Atque ita omnes modi unà cum his,quos modo propoſui, ſex fiunt.Nec quenquam fugiat in coniugatione Omnis , Non omnis , non concludi per ſeſe Omnis, & Nullus,ſed uariam concluſionem ex ipſa expoſitione inferri:ut , Animal omni homini conuenit , homo non omni candori,illi deinde candores capiantur,in quibus homo non dicitur , Olor inquam & Nix. quæ res effecit,ut homo non omni candori inſit:quoniam propter illos candores,quorum particeps homo non eſt, Non omni ineſſe dicebatur.Si aliquis candor ſumatur,cuius particeps homo ſit,Alicui concludetur.Sequitur igitur,ut ex cygno animal Omni ineſſe concludatur : ex niue, Nulli:quemadmodum à Nullo Non omnis efficitur.Quod enim inanimatum eſt,nulli homini conuenit: homo non omni ei , quod album eſt: poſtea alba ſumantur,de quibus homo nequaquam dicitur,cygnus uidelicet, & nix:inanimatumq; omne de omni niue,& de nullo olore dicetur,& concludetur.Ea re fit , ut omnia hæc inutilia ſint, & ſub ratiocinationem cadere non dicantur. Eſt autem prima figura , perfecta , quatuorque quæſtiones continet,ac concluſiuæ ſunt,Omnis,Nullus, Aliquis,Non omnis.Præterea concluſio ex deteriore propoſitione conſequitur,quod ſanè ignorandum non eſt.Ex Nullo & Omni , Nullus concluditur: Nullus enim deterior Omni eſt. Atque ex Omni,& Aliquo, Aliquis,propterea quòd Aliquis ſi cum Omni conferatur,deterior inuenietur.Ex Nullo autem,& Aliquo, cum Nullus (utpote quæ determinatio de uniuerſis rebus quid enunciet)melior ſit,deteriorq; quia negans eſt:& Aliquis,quia aiens eſt,melior ſit , & deterior quia de ſingulis effertur:illud quod deterius ex utriſque conflatum eſt,inducitur , & Non omnis fit , & concluditur: quæ ſanè uox & negans,& ſingularis eſt,& minor ſiue ad affirmationem Alicuius,ſiue ad negationē Nullius ſpectemus.

SECVNDA FIGVRA.

IN Secunda uerò figura medius terminus eſt extra extremitates,deq; utriſque dicitur:maior terminus ad medium propius accedit,quantum ipſe in concluſione enunciatur:minor à medio longius abeſt,non tamen loci ratione,ſed facultatis,ac poteſtatis,quantum ipſe ſemper in propoſitione, & concluſione ſubiicitur.Regula ratiocinationum,quæ in hac figura fiunt,eſt,Vt maior propoſitio uniuerſa ſit , ſiue aiat,ſiue neget:minor uerò diuerſa ſit,ita,ut cum hæc aiens ſit,illam negantem,uniuerſalemq; , aut ſingularem habeat:Siq; illa negans fuerit , hæc ſit aiens de uniuerſis , uel ſingulis rebus. Ratiocinatiuæ coniunctiones in hac figura ſunt quatuor . prima ex Nullo & Omni , altera ex Omni & Nullo , quarum concluſiones ex Nullo ſunt:tertia ex nullo & Aliquo,cuius concluſio eſt Non omnis:quarta ex Omni & Non omni conſtat,atque eius concluſio eſt Non omnis. Quibus quidem fit rebus , ut hæc figura tantummodo negantia concludat.Sed ut res clarior fiat,exempla ſupponemus: Animal nulli lapidi ineſt , animal omni homini, lapis igitur nulli homini. Animal item omni homini, in maiori propoſitione , Animal nulli lapidi in minore,igitur Homo in nullo lapide comperietur . Lapis itidem nulli animali , lapis alicui candori, animal igitur non omni candori.Id quod propterea fit,quòd ille lapidis candor ſumptus eſt cuius animal non eſt particeps. Tum, Animal omni homini , animal non omni candori , homo itaque non omni candori.In illo enim candore dicitur homo,cuius animal particeps non erat,cuius quidem candoris ſi animal particeps non erat,quonam modo homo particeps erit,ut homo alicui candori ineſſe dicatur?fieri id quidem nullo modo poteſt.Hi ſunt , ratiocinatiui modi : quòd ſi non determinati his accedant , unus inquam aiens huic Nullus,alter negans huic Omnis,ſex omnes fient:cæteri omnes ad ratiocinationem efficiendam nulli ſunt adiumento,quippe qui & Omnis,& Nullus cōcludant,ut in Omni & Omni in hac,qua de agimus,figura liquido apparet: Animal omni ei,quod rationis cōpos ſit,animal omni homini,quod rationis cōpos eſt omni homini conuenit. Subſtantia quoque omni animali , ſubſtantia omni lapidi ineſt , animal nulli lapidi concluditur.In ea autem , quæ ex Omni , & Aliquo conſtat , eſt animaduertendum , Aliquem non eſſe definitum , in materiaq; neceſſaria cum Omni parem uim habere . & quemadmodum Omnis Omnis ratiocinatiua non eſt , ita quoque Omnis Aliquis erit : propterea quòd Aliquis infinitus ſit. In ſecunda tamen hac figura , in qua ratiocinationes imperfectæ ſunt , non ita ſe res habet . quoniam illæ per primam figuram , reciprocationemq; , & id,quod fieri nequit , perficiuntur . Sed prius

quàm

quàm ad hæc declaranda aggrediamur, paulũ requieſcamus, & loco magis opportuno de iis dicemus, cùm ſcilicet de Reciprocatione loquemur.

FIGVRA TERTIA.

POSTREMA in figura medius terminus extra extremitates eſt, atque utriſque ſubiicitur. maiorq́; terminus in eo eſt qui poteſtate longius à medio abeſt: quoniam ſi medius ſemper ſubiicitur, maior dicitur ſemper: minor uerò in propoſitione enunciatur, in concluſioneq́; ſubiicitur, proximusq́; medio eſt eo, quòd nonnunquam ſubiiciatur. Huius quoque figuræ ratiocinatiuorum modorum regula quędam obſeruatur, quæ iubet, ut minorem aientem habeat, & nihil ſupra: & propterea tanquam non multa interualla ſint, modi plures ſunt. Sex enim numerãtur: ad quos ſi addãtur ii, qui determinationibus uacant, qui ſingularibus ſimiles ſunt, decem omnes fient: Omnis Omnis, Nullus Omnis, Aliquis Omnis, Nullus Aliquis, Non omnis Omnis. Ex illis uerò, qui nullam babent determinationem, ſiquis aiens ſit, in loco huius Aliquis, conſtituetur: ſin negans fuerit, huius Non omnis, locum occupabit: in eo enim, qui ex Omni & Aliquo conficitur, Aliquis & Non omnis continetur: in Nulloq́; & Aliquo, Aliquis: & in Non omni Omni, Non omnis ineſt. Eſt autem in more poſitum, ut infinitus modus ſine articulo pronuncietur, propterea quòd articulus eandem uim habeat, quam determinatio, niſi quòd uniuerſi nominis determinatio omnia comprehendit, & nihil omittit: articulus uerò prætermittit, ueluti hoc exemplo perſpicuum fiet: Omnes Lacedæmonii homines ſunt, hi Lacedæmonii fortes ſunt. modus igitur infinitus ſine articulo profertur, ut homo albus, homo non albus. Hęc figura ſingulas res concludit, aientes ut Aliquam, negantes, ut Non omnem: quinetiam poteſt uniuerſas concludere, ut Subſtantia de omni homine, animal de omni homine, ſubſtantia igitur de omni animali dicitur. Item, Lapis de nullo homine, animal de omni homine, lapis igitur de nullo dicitur animali. Sed quoniam ex reciprocatione perficiuntur, ut poſt demonſtrabo, Omnis cum Aliquo reciprocabitur: propterea in ſingulis ritè uerſatur. Singularis enim, ut Aliquis, in neceſſaria materia ex Omni conſequitur: Non omnis uerò in ea, quę fieri nequit, ex Nullo. Ex quo conficitur, ut ſæpe res ſingulæ de uniuerſis uerè dicantur. Hæc ſunt, quæ ad ratiocinationẽ efficiẽdam adhibentur, cætera nulli uſui ſunt. Nam uelut in omni arte uel ſtudio, uel quauis ſcientia optimum quicque rariſsimum eſt, malorum numerus eſt maximus: ſic hic pauca admodum ſunt, quæ ad ratiocinationẽ efficiendam afferant adiumentum, & quæ inutilia ſint, plurima.

Propria tribus Figuris attributa.

IN unaquaque figura hæc inſunt propria. Sunt autem figuræ tres, nec plures, propterea quod nullus alius, præter tres antedictos, medio poteſt locus attribui. His omnibus tribus commune eſt, ex duabus ſingularibus propoſitionibus nihil concludere: neque enim neceſſe eſt, ſi quid ſolum non ſit, non eſſe concludamus: ſed ſi hoc quippiam non ſit. Præterea hoc eſſe hoc concluſionem non eſſe, cùm ex ſingulis concludi ſingula non queant: nam ratiocinatio omnis ex uniuerſis ſingula concludit: quod in homine clarum eſt. Homo enim animatus eſt propterea quòd animal eſt animatum, homoq́; animal eſt. Inductio uerò ex ſingulis uniuerſa concludit, ueluti poſt dicetur.

DE RATIOCINATIONIBVS
PERFECTIS, ET IMPERFECTIS.

PERFECTAE ratiocinationes in prima figura fiunt, imperfectæ in aliis, quę & ipſæ uel per primã figuram ex Reciprocatione, uel ex Demonſtratione ad id, quod fieri nequit, deducente, uel ab Expoſitione uerborum perfici poſſunt. Sed hæc omnia prius declaranda ſunt, ac primum de Expoſitione dicemus. Expoſitione itaque perficitur ratiocinatio cùm ea, quæ dicimus, iis probamus, quæ ſub ſenſum cadunt. ut ſi aliquod animal album dixero, uelimq́; id probare, id ex uno aliquo, quod ſub ſenſum cadat, probabo: & ſi hæc plura ſunt. acquieſcit enim animus uno ad unius certi demonſtrationem: demonſtratur enim unus olor, qui percipi ſenſibus poteſt. Et hoc eſt, quod expoſitione perfici dicebam. Ex demonſtratione uerò, per quam quis incommodo urgetur, ratiocinatio abſoluitur, cùm diſperatum conſtituimus id, quod etiam non admiſſum ſit: ex quo, & altera propoſitione clara, fidemq́; faciente, quiddam inducitur, quod fieri nequit. Cumq́; ex iis propoſitionibus concluſio, quæ fieri non poſsit, ſecuta ſit, unaq́; propoſitio, & perſpicua, & rei dubiæ faciens fidem fuerit, illud ipſum, quod fieri nequit, propter aliã propoſitionem ex neceſsitate concluſum erit. & ita priorem orationem, quæ uera erat, confirmo. Huiuſmodi autem demonſtratio fit hoc pacto: Homo alicui candori ineſt, (non admitte, ſitq́; nulli: hæc enim uox Nulli, eſt, quæ Alicui contrario nomine opponitur) candor autem omni Scythæ, homo igitur nulli Scythæ. Vnde enim inuectũ illud eſt, quod fieri nequit? nã ex eo quod dicebamus, candorẽ omni Scythæ ineſſe, inductũ non fuit, quoniã id uerũ erat: ſed propterea quòd hominẽ nulli candori ineſſe affirmauimus, id fuit cõcluſum:

ſum:ea re fit,ut homo alicui candori inſit. Reciprocatio multifariam dicitur. Eſt enim Reciproratio in ratiocinationibus ei demonſtrationi, de qua recens dicebam, ferè perſimilis : quæ fit , cùm argumentationis concluſio reciprocatur illa quidem,ſed non ſolùm repugnanter,uerùm etiam contrario nomine , alteráque propoſitio ſumitur,& altera aufertur:ut, Animal omni ei,quod ratione utitur, quod ratione utitur omni homini,animal igitur omni homini.hæc eſt ratiocinatio. Differt ab ea demonſtratione reciprocatio,quod in reciprocatione ratiocinatio prius fit , concluſióque reciprocatur , ac ſi repugnanter id fiat, Omnis in Non omnis, ſi contrariè in Nullus reciprocabitur. Fiat id prius repugnanter hoc modo , Animal non omni homini , particeps rationis omni homini , in tertia figura,animal igitur non omni rationis participi , quod quidem omni inerat. Contrario nomine ſimili modo. Animal nulli homini , rationis particeps omni homini , in tertia figura,animal igitur non omni rationis participi ineſt, quod ſanè omni attribuebatur . hæcque eſt in ratiocinationibus reciprocatio. Secunda dicitur cum collatione , quam *ἀντίθεσιν* uocant.ea fit, cùm antecedens conſequens , & conſequens antecedens cum reciprocatione efficitur. Quòd ſi alterum negans ſit , erit aiens alterum : ſíque aiens alterum ſit,alterum negans erit : id quod in ratiocinationibus connexis fieri ſolet , ut poſt à nobis declarabitur . ut ſi homo animal eſt , non animal non homo eſt . homo enim prius antecedens erat , & animal conſequens. Tertia reciprocatio eſt communio duarum propoſitionum ad utroſque terminos qualitate mutata , & terminorum ordine conſeruato:eáque Fortuita appellatur:ut,Lauari nulli homini contingit:nam nõ contingit, ut nullus, ſed ut omnis lauetur:& ob eam cauſam retro dicitur hoc pacto,Lauari omni homini contingit:atque ea ratione in duobus terminis,lauari ſcilicet,atque homine,duæ propoſitiones fiunt:qualitas uerò immutatur, quippe quæ Nulli cùm eſſet , Omni facta eſt : at terminorum ordo ita manet;ut is qui dicebatur , nunc quoque dicatur:quíque ſubiectus erat,nunc itidem ſubiiciatur : idque in fortuita materia fit , propterea quòd fortuita ad utruoque accommodatur,ad Lauari uidelicet,& Non lauari. Vel etiam manat latius:ueluti euenit , ut homo ſeneſcens caneſcat. In paucis autem fieri nequit. Anguſtius uerò ut ſe habeat , poteſt , quemadmodum euenit,ut theſaurum inueniat quiſpiam : raro enim id fit,& quia hoc & alio modo euenit, propterea huiuſmodi fit reciprocatio : quam honoris cauſa de induſtria definitione explicauimus, definitionemque ex ſimplici reciprocatione ad hanc certo ordine aſſumpſimus. Supereſt nunc ipſa ſimplex reciprocatio, quam ita definiunt:Reciprocatio eſt communitas duarum propoſitionum , quæ utrique termino conueniant,qualitate quidem ſeruata,ſed inuerſo terminorum ordine.Hac nobis opus eſt ad ratiocinationes abſoluendas:fit autem hoc modo: Quatuor ſunt determinationes, materiæ tres Inſtans,Neceſſaria,Fortuita. Inſtans uerò nihil aliud,quàm fortuitum cum euenit.Fortuitum in futuro dicitur,ut Euenit ut is,qui nuſquam deambulat,deambulaturus ſit.Illud uerò inſtans,quod iam euenerit,fortuitum appellamus,ut candorem in olore. Porro cùm hæc dicta ſint prius,ad primæ determinationis,quæ Omnis eſt,in omni materia reciprocationem aggrediamur. Scire itaque debemus,hanc Omnis,in hanc Aliquis , in omni materia reciprocari:ut,Si omnis homo animal eſt,aliquod animal eſt homo:id quod in neceſſaria fit, In inſtanti uerò ſic:Si omnis coruus niger eſt,aliquid quod nigrum ſit,coruus erit. In fortuita hoc pactò : Si omnem hominem deambulare contingit , aliquid etiam deambulans hominem eſſe contingit. Simili quoque modo Aliquis,in ſeſe in omni materia uertitur:ac primum in neceſſaria, Si aliquod animal eſt homo,aliquis itidem homo animal eſt.deinde in inſtanti,Siquis homo albus eſt,quid album eſt homo.poſtremò in contingenti, Si efficitur ut aliquod animal lauetur , ut aliquod etiam animal lauans ſit,efficitur. Hæc ſunt quæ de aientibus propoſitionibus erant nobis dicenda : deinceps de negantibus diſſeremus. In neceſſaria quidem,atque inſtanti materia,Nullus, in ſe reciprocatur.Non omnis,uerò nihil efficit.Nullus quoque in fortuita nihil quicquam facit , nihilque reciprocatur : at Non omnis maximè propriè in ſeipſam reciprocatur. Sed qua ratione , Nullus , non reciprocetur, ex terminis clarum eſt , & perſpicuum. Non enim propterea quòd lauari nulli homini contingit,(contingit enim nullum lauari) ideo reciprocando dicemus, & Homo nulli lauanti contingit:quia in quibuſdam rebus id nulli ineſt neceſſario : iam enim lapis non lauatur:atque homo nulli lapidi nõ fortuitò,ſed neceſſariò ineſt:quoniam ſi Nulli fortuitu eſſet,ſtatim Omni quoq; eſſet:quod fieri nullo modo poſſet:Cùm igitur reciprocatio terminorum ſe habeat ad hũc modum, ratiocinatio ex Nullo & Omni in ſecunda figura cõflata,per unam reciprocationem in prima figura perficietur:Animal nulli lapidi,animal omni homini , Lapis igitur nulli homini ineſt. Quo enim modo animal nulli lapidi , eo etiam Lapis nulli animali ex reciprocatione conueniet . Eſt præterea animal omni homini:ex nullo uerò & Omni,in prima figura Nullus concluditur. Eadem in ſecundo modo ſecundæ figuræ,qui ab Omni , & Nullo conficitur , habenda ratio eſt.animal omni homini animal nulli lapidi, & homo nulli lapidi.Vellem hunc modum perficere in maiore propoſitione reciprocanda, & efficere id non poſſum,propterea quòd in Aliquis reciprocaretur , & in prima figura nullus modus eſt , qui ab Aliquo initium ſumat.Minor itaque reciprocabitur hoc modo , Animal nulli lapidi ineſt,& lapis nulli animali: animal autem omni homini inerat:concluditurq;,Lapis nulli homini ineſt. Verùm in ſecunda figura Lapis nulli homini cõcluſum nõ eſt,ſed Homo nulli lapidi.quare id etiã reciprocatur, & illa etiã, Nullus inquã,quæ in concluſione erat,atque ex altera reciprocatione ſequetur,ut hominẽ nulli lapidi ineſſe cõcludamus.Fit uno & eodẽ modo in Nullo,& Aliquo:perficitur enim ex una reciprocatione in prima figura, ſi Nullus reciprocetur.In Omni uerò,& Non omni,fieri nequit reciprocatio,uel maximè ob hãc cauſam,

quòd

quòd Omnis in Aliquis mutata maior in prima figura propoſitio eſſe non poteſt.& Non omnis, non reciprocatur:& ob eam cauſam ex demonſtratione, per quam quis urgetur incommodo, perfectionem habet ſuam:uelut in ſecunda figura ſi dixero, Animal omni homini, animal non omni albo, non admitte. Nō omni,& eius loco dicito, Omni, quod ei repugnat, eritque Animal omni homini.(ex Omni uero & Omni in prima figura Omnis concluditur) Ita fit, ut animal omni albo inſit, ſed in propoſitione Non omni, poſitum erat, Omni igitur ut inſit fieri non poteſt: quare nullam aliam ob cauſam illud, quod fieri nequit, inductum eſt, niſi quòd hominem omni albo ineſſe conſtitueramus. Id ergo non bene habet. Rectè quidem ſe res habebit, ſi Non omni dixerimus:atque ita modi ſecundæ figuræ perficiuntur. Iam illi quoque tertiæ haud ſecus faciunt:ut, Animal omni homini, ſubſtantia omni homini, animal igitur alicui ineſt ſubſtantiæ:uerùm non ponatur Alicui, ſed Nulli repugnanter, inerat enim omni homini ſubſtantia, ſequetur, ut animal nulli inſit homini. Ex Nullo quidem & Omni in prima figura, Nulli, idq́ue ex eo, quod fieri nequit, concluditur. Ex reciprocatione autem ſic:Subſtantia omni homini, & homo alicui ſubſtantiæ, ſiquidem animal omni homini inerat: quod fit, quoniam ex omni & aliquo, ut prius quoque eueniebat, Aliquis concluditur. Per Expoſitionem hoc modo: Dico animal alicui ſubſtantiæ ineſſe, aliquod animal ſub ſenſum cadens, Socratem fortaſſe, expono, illudq́ue eſſe ſubſtantiam probo, ex hoc deinde alicui ſubſtantiæ animal ineſſe demonſtro, ac Nulli ineſſe auſero: quandoquidem non Omni, ſed Nulli contrarium eſſe Alicui conſtitui:quoniam ſi Omni ſit, ſiquis Alicui dicat, uera fatebitur. Atque ita ratiocinationum perfectio in reliquis tertiæ figuræ modis efficitur.

De Ratiocinationibus connexis.

DEmonſtratio, per quam quis urgetur incommodo, duabus ratiocinationibus connexis, quas ὑποθετικὰς uocant, utitur. Ex Ratiocinationibus aliæ Demonſtratiuæ ſunt, de quibus ante diximus, aliæ Connexæ, quæ apertæ, & claræ quinq; ſunt, quæ antecedens habent, & conſequēs. Prima enim confirmans eſt, propterea quòd probans antecedens, conſequens quoque confirmat: ut, Si homo eſt, animal itidem eſt: Homo antecedens eſt, Animal conſequens: ſed homo eſt, animal igitur eſt. Secunda eſt, refellens, Si homo eſt, animal etiam eſt: ſed animal non eſt, neque igitur homo. Ea enim ratione, qua confutatum eſt conſequens, eadem etiam antecedens fuit reprehenſum. Tertia, & Quarta fiunt in coniunctionibus disiungentibus, atque iis, quæ medio uacant. Nam, Vel ualet, uel ægrotat: ſed non ualet, ægrotat igitur: ita enim fit, ut ſi unum infirmetur, aliud confirmetur. Contrà, Vel ægrotat, uel ualet, ſed ægrotat, ergo nō ualet. Vnius confirmatio alterum refutat. Quinta efficitur in multis, atque disiuncta eſt. ut, Hoc uel frigidum eſt, uel calidum, uel horum inter medium tepidum: ſed neque frigidum, neque calidum eſt, igitur tepidum. Ex his quinque demonſtratio, quæ ad id, quod fieri nequit, deducit, duabus, tertia inquam & ſecunda utitur, dicimus enim uel Aliquis, uel Nullus, ſed non eſt Aliquis, ut dictum eſt nobis, igitur Nullus: ac ſi Nullus, ut inquiſti, hæc ſequetur concluſio. Sed id fieri non poteſt: fieri igitur nullo modo poteſt ut Nullus concludatur. Ea re fit, ut cùm ſublatum ſit conſequens, antecedens etiam tollatur.

MISTIONES.

Quomodo propoſitiones fiant, & quænam concluſio ex miſtionibus inferatur.

RATIOCINATIONES ſimplices, & ex duabus materiis inſtantibus, & ex duabus neceſſariis, & ex duabus fortuitis, atq; ex harum materiarum in tribus figuris miſtione, ex neceſſaria, & inſtanti, ex neceſſaria & fortuita, ex inſtanti, & fortuita: denique ex harum reciprocatione, ex inſtanti & neceſſaria, ex fortuita & neceſſaria, ex fortuita & inſtanti conficiuntur. Poſtremò in his omnibus concluſio maiorem propoſitionem conſequitur: quòd ſi maior propoſitio inſtans ſit, concluſio quoque inſtans erit: ſi illa fortuita, concluſio itidem fortuita: ſi uerò neceſſaria, concluſio etiam neceſſaria erit illa quidem, ſed non omnino, & propriè, ſed ex conditione, & pactione: uelut cùm dicimus, Si domū ædificaturus es, neceſſariò lapides, & ligna erunt. Sic hic, Moueri omni animanti attribuitur prout ineſt, animans omni homini neceſſariò, moueri igitur omni homini, ut ineſt, atque etiam neceſſariò: ita tamen ut cum ſubiectione intelligatur: nam ſi moueri inſit omni animali, homini quoque neceſſariò inerit: Non ſecus præterea animal omni homini neceſſariò, homo alicui albo, ut ineſt quippiam: ita fit, ut animal alicui item, quod album ſit, neceſſariò inſit, ſed coniunctim, cùm præſertim homo alicui, quod ſit album, inſit: in aliis uno, & eodem modo.

Quomodo ad Ratiocinationem efficiendam magna nobis propoſitionum ſuppetat copia.

SVmptionum copia ad ratiocinationes conficiendas nobis hac uia, & ratione ſuppetit. In unaquaque quæſtione quidam ſubiicitur, uel de ſubiecto dicitur. Homo animal eſt, an non? atqui uoluptas bona eſt, ſubiic

eſt,ſubiicitur uoluptas,bona de uoluptate dicitur.Quæſtio eſt,quonam pacto in his medium inueniamus, & nobis abundanter ſuppetat,ut duas propoſitiones io omni ratiocinatione efficiamus. Quærimus igitur tria quædam,quæ terminum de ſubiecto dictum,& tria, quæ ſubiectum conſequuntur, ideſt quæ magis pateant,quæq; ipſum ſubiectum conſequantur, ideſt minus ſerpant, alienaq; ſint.Hotum in negantibus ratiocinationibus uſus eſt maximus:ut exempli cauſa quæſtio hæc proponatur, Num animal de omni homine dicitur? Hęc omnia erunt conſideranda:ac primùm quidem animalis conſequentia ſunt,id quod animatum eſt,ſenſus particeps ſuſtantia:ex quibus uerò cõſequitur,ſunt,id quod rationis compos eſt, mortaleq;,& ad riſum natum eſſe:aliena uerà,id quod inanimatum eſt,quod ſine ſenſu eſt,quod nõ mouetur. Hominis item conſequentia hæc ſunt,quòd rationis compos eſt,quòd mortale eſt:quæ conſequitur,Socrates, Anytus,aliena,equus,aſinus.Cùm itaq; nobis propoſitum ſit ratiocinationẽ facere, medium in promptu eſt: dicimus enim Animal de omni homine: deinde ea ſumimus, ex quibus antecedens ſiue animal conſequitur:tum ea,quæ ſubiectum,ſiue hominem conſequuntur.ſunt autem hęc,quod rationis particeps eſt,& mortale:alterum uelut id,quod animal ſequitur,alterum ut hominem conſequens:hæcq; coniungo, & medium facio,efficiturq; ut animal de omui eo,quod rationis cõpos eſt,& mortale:Quod rationis compos & mortale eſt de omni homine,animal igitur de omni homine dicatur. Præterea lapidem nulli homini ineſſe demonſtrare animum induxi,accipiam ea,quæ à lapidis termino,qui dicitur,aliena ſunt: ea ſunt, animatum,& ſenſus particeps:aſſumam etiam,quæ hominis ſubiectum conſequuntur,uidelicet animal,& rationis particeps:atq; duo ex iis componam,& medium efficiam: id erit animal, quod à lapide alienum erat:& rationis particeps,quod hominem cõſequebatur:& dicam hoc modo,Lapis de nullo animali,quod rationis compos ſit,dicitur:Ratione præditum animal de omni homine: Lapis igitur in nullo homine. Si item demonſtrare uelim id,quod rationis compos eſt,alicui animali ineſſe,accipiam ea,quæ utrunq; conſequuntur:animal enim,& rationis compos hominem,& ad riſum natum eſſe conſequuntur: efficiturq; hoc pacto in tertia figura argumentatio,Rationis compos omni homini,animal omni rideuti, rationis igitur compos alicui animali. Fiet id quoq; in prima,Rationis compos omni homini ridenti,homo ridens alicui animali,rationis igitur compos alicui animali. Velim etiam demonſtrare Bonũ non omni ineſſe uoluptati:pro qua re confirmanda accipio id,quod à bono,quod de uoluptate dicitur, alienum eſt,deficiens dico. uoluptatis autem,quæ ſubiicitur,conſequens:uoluptas enim cupidos,& appetentes ſequitur, atq; in tertia figura ita conficio:Bonum ineſt nulli à bono deficienti,& appetenti.uoluptas omni deficienti,& appetenti, (Nam ex Nullo & Omni in tertia figura Non omnis concluditur) bonum igitur non omni uoluptati. Id in prima pariter,& ſecunda conficiam,propterea quòd Non omnis in tribus figuris inducitur. Sex igitur ſunt ea,quæ hic inueſtigantur:tria quæ terminum,qui enunciatur,conſequuntur,& quæ ipſe cõſequitur,quæq; ab eo ſunt aliena:& tria ſubiectum conſequentia,& ex quibus conſequitur, & quæ aliena ſunt. Cumq; nunquã omnia inter ſe cohæreant,(quandoq; enim duo ex iis,quę termini illius,qui dicitur, ſunt: uel duo illius,qui ſubiicitur,non conueniunt,ſed unum ex eo,qui dicitur,& unum ex ſubiecto coniunguntur)oon plures,quam nouem coniugationes,& tractationes efficiuntur, Ex conſequentibus & utriſq;:ex alienis & utriſq;:ex quibus conſequuntur,& quæ utraq;:ex conſequenti illius termini,qui dicitur,& alieno ab eo,qui ſubiicitur:ex conſequenti ſubiecti,& alieno ab eo,qui dicitur:ex alieno ab eo, qui dicitur, & ex iis,quæ ſubiectus conſequitur:ex alieno à ſubiecto,& ex iis,quæ terminus,qui dicitur, ſequitur:ex conſequenti eius,qui dicitur,& iis,quæ ſubiectus ſequitur:ex conſequenti eius,qui ſubiicitur,& iis,quæ is, qui dicitur,ſequitur.Suntq; hæ omnes coniugationes nouem,quarum ſex utilitatem ad ratiocinationum perfectionem afferunt,cæteræ tres nullum adiumentum præſtant:ea uidelicet, quæ eſt ex conſequentibus & utriſq;,fit enim in ſecunda figura ex duabus aientibus Omnis Omnis:quęq; ex alienis,& utriſq;:ex Nullo Nullo in tribus figuris nihil concluditur:& quæ ex iis,quæ terminus de ſubiecto dictus conſequitur, & ex alieno à ſubiecto:fit enim in prima figura Omnis Nullus,in ſecunda uero Aliquis Nullus, in tertia item Omnis Nullus. Et ob hanc cauſam hæ tres tractationes ad propoſitiones pro ratiocinationibus colligendas nulli ſunt adiumento.

De Ratiocinationum diſſolutione.

SEquitur ut de Ratiocinationũ reſolutione dicamus:ea eſt è cõpoſitis ad ſimplicia reuerſio.Cumq; orationes in libris inueniantur,illæq; orationes ratiocinationes ſint,ipſaſq; omnino reſoluere oporteat: nõ iniuria prius quęrimus figurã,ſub qua oratio illa cõſtituatur.Quòd ſi in oratione ſit Omnis,neq; in ſecunda,neq; in tertia,ſed in prima dabimus operã,ut reducamus:ſi uerò Nullus,in prima,atq; in ſecũda: ſi Aliquis,in prima & in tertia:ſi Non omnis,in omnibus,Id quod medii collocatio nòs docebit: ſiquidem in prima & ſubiicitur,& enunciatur,in ſecunda ſemper dicitur,in tertia ſemper ſubiicitur. Poſtea propoſitiones diligenter inueſtigabimus,ut quę maior,quæ minor ſit,compertum habeamus:& ſi qua deſit, nos non fugiat,ſed eam adiungamus.Sæpenumero enim ſcriptores unam neceſſariam propoſitionẽ omittunt, & alia quædam in controuerſiam adducunt:idq; uel maximè,ut diſtinguant, & frequentent omnem orationem luminibus uerbotum,& ſentẽtiarum, uel ut rhetorice ornent,uel ut occultent,uel ut aliquid inducant,uel ut occulta,& quaſi inuoluta aperiant.Hæc igitur cognoſcenda ſunt omnia, id adeo,ut ſi neceſſariam indagare deberemus:ex duabus enim neceſſariis propoſitionibus concluſio ſit. Deinde propoſitiones diuidendæ ſunt,

dæ ſunt,& quis maior,quiúe minor,& melius ſit terminus,indagãdum:tum in ipſis terminis inſiſtendum, propterea quòd termini ſunt principia,atq; elementa.Idq́; eſt philoſophi, qui in diſſerẽdi facultate uerſetur,robur,& firmamentum,ut cum aliquibus loquatur,& cõgrediatur,quomodo ab illis interrogetur, intelligat,& omnia in oratione prudenter poſsit,intexere,& nullo ducatur errore. Efficitur enim & dicitur Ratiocinatio cùm de omni genere,uel de nullo,tum in toto,uel non in toto:nam ſi dixeris, Homo eſt animal,animal eſt ſubſtantia,homo igitur eſt ſubſtantia:in toto dixeris, quòd initium à ſubiecto ſumpſeris.Quod ſi dicas,Subſtantia de omni homine,lapis de nullo homine, homo igitur de Omni Paulo: de Omni dices,& nihil inter ſe diſcrepabunt, quinetiam eadem erunt:& ſi qua differentia eſt, ea erit, qualis eſt inter aſcenſum,& deſcenſum in ſcalis. Hæc igitur omnia ſciamus oportet, ſuperuacaneaq́; amputemus, & neceſſaria inueſtigemus,ac cognoſcamus,utrũ ea,quę ſuperſunt,ornatus gratia ſint adiuncta,an ut occultetur quippiam,an propter inductionem, an illa propoſitio ex antecedenti ratiocinatione confirmetur. Si quis(uerbi cauſa)probare uelit,Omne animal inferiorem oris partẽ mouere:id omittet, & ex inductione cõficiet:dicet enim,Homo inferiorẽ oris partẽ mouet,itemq́; leo & aſinus,canisq́;,& equus,atq; ita uniuerſam propoſitionem confirmabit: & id eſt quod Inductionem appellamus. Sæpe etiam euenit ut maior propoſitio dicatur,& minor ſilentio inuoluatur:ſæpe item,ut ex ratiocinatione antecedenti maiorem demonſtrare conemur.Nonnulli quoq; inueniuntur,qui ad oratorũ imitationẽ enthymemata conficiunt,& maiorem propoſitionẽ ſilentio tranſeunt,minoremq́; pronũciant:aiunt enim,Hic noctu uagatur,igitur fur eſt.Maiorem quidẽ prætermittunt tribus de cauſis:uel ut auditores in fraudem illiciant,neq; enim propoſitum illud uerũ eſt,neq; omnis noctu uagans fur eſt:multas enim alias ob cauſas efficitur,ut nocturno tẽpore uagemur:uel ut iudicibus gratum faciant,ut ipſis iudicibus maiorem cogitandã relinquant: uel quòd ad clepſydram dicebant,multa præteribant.Sed iis cauſis prior probabilior eſt. hæc omnia qui obſeruant, ita orationẽ in ſimpliciora reſoluere debent,nec quæcunq; ad definitionẽ pertinẽt, in ratiocinationẽ adducere,ac ſi in aliis ſe recte habebit,reſolutio & infirmatio in eo ſolũ facienda erit, quòd nõ propoſito conducat:ut quendam feciſſe uidemus,qui aquam elementum eſſe humidũ ad potũ aptũ definiuit,deq́; elemẽto humido uerba nõ fecit:propterea quòd elementũ,& humidũ de omni aqua dicatur:de facultate uerò aquæ inſita ut potari poſsit,orationẽ habebit:& in ratiocinationẽ adducet, atq; inquiet id quod ad potandũ aptũ eſt,de omni aqua nõ dici,quòd uelit id rationibus affirmare,quemadmodum ſupra in aquæ definitione docuerat.Omnia enim,quæ ad definitionẽ adhibẽtur,de uniuerſa re,quæ definitur,dicuntur.Ratiocinationis terminos in tertia figura ad potum ſcilicet aptum eſſe,& aquam,& mare medium efficiet:ac ex Nullo, & Omni in tertia figura Non omnis,concludetur hoc modo,Id quod potatu bonum eſt,de nullo mari, aqua de omni mari,id igitur,quod potatu bonum eſt,de non omni aqua dicetur: atq; ita aquæ definitio ſublata eſt.Hoc quoq; modo ſiue ſcribamus,ſiue loquamur,erit in aliis faciendum.

Quomodo,ac quando ex falſis propoſitionibus uerum concludatur.

QVIA Demõſtratiua ratiocinatio philoſophiæ inſtrumentũ eſt,propoſitum eſt nobis de omni ratiocinatione diſſerere:ac prius eam tractabimus,quę ſimplici quodã modo fit:poſtea uerò eam,quę magna diligentia adhibita cõficitur.Imitabimur hac in re eos,qui pingunt:qui primo admodũ ſimpliciter pingunt,deinde rhinocerotem,aut oxyrrinchũ piſcem depingunt:idem nos hoc loco faciemus. Polliciti enim de Ratiocinatione demõſtratiua docere,prius de ea,quæ quoquo modo fit,uerba facimus: id quod agimus ob eam cauſam,ut omnia impedimẽta reiiciamus,& ad demonſtratiuã poſtea ſcientiam deueniamus. Primum quidem impedimentum eſt,ut ex falſis propoſitionibus uera inferatur concluſio:atq; hæc ratiocinatio dicitur Quia,non Propter quid.Cauſæ enim propoſitionũ nõ ſunt ueritatis cõcluſionis cauſæ:propterea quòd id ſolùm ad demonſtratiuã pertinet,quòd propoſitiones neceſſariæ cùm ſint,neceſſaria quoq; erit cõcluſio.In aliis uerò ita eſt cõparatũ,ut ex falſis uera concluſio efficiatur : nam ſi propoſitiones ueræ ſint, concluſio uera erit neceſſariò:at ſi concluſio uera ſit,nõ neceſſe eſt propoſitiones ueras eſſe: ſed euenit etiã, ut falſæ ſint:uerùm ſi concluſio falſa ſit,propoſitiones ex neceſsitate falſæ erunt, propterea quòd ipſæ ſunt, ex quibus efficitur cõcluſio.Propoſitiones uel omnino,uel aliqua ex parte falſæ ſunt:ſi enim Omnis Nullus dicatur,ut ſi quis aiat, Animal nulli homini:uel contrà,Nullus Omnis,ut ſi dicat quiſpiã, Lapis omni homini,propoſitio in uniuerſo falſa exiſtet.Si uerò Alicui,uel Non omni dixeris,Nulli uel Omni,aut contra,erit in parte falſa propoſitio:nõ enim dicitur aliqua ex parte uera, cùm uirtus id non admittat,ut quadam ex parte uirtus ſit.Omne quodcunq; à bono deficit,malum eſt. Verum autẽ in tribus figuris ex falſis cõcludi perſpicuũ eſt iis,qui experiuntur:ut, Animal de omni ligno,lignũ de omni homine,animal igitur de omni homine dicitur.Idẽ fit ab una falſa:ut,Inanimatũ de omni ligno, lignũ de omni lapide, inanimatum ergo de omni lapide.Candor item de omni animali,animal de omni niue, cãdor itaq; de omni niue.Quin maior quoq; propoſitio quadã in parte falſa eſt, & minor tota falſa, atq; etiã aliter. Si igitur euenerit,ut maior tota falſa,& minor uera ſit,cõcluſionẽ uerã efficere non poterũt:nihil enim in medio aduentitium de minori extremitate uerũ eſſe poteſt.Euenit quidẽ,ut maior omni ex parte falſa ſit,& altera uera,ut ex hoc patebit:Candor omni ei,quod animatum ſit,animatũ omni olori, candor igitur omni olori.

Fit id quoq; in ſecunda,& tertia figura:niſi ſi in ſecũda utręq; ſint omnino falſæ:uerùm ſi alterutra tantum,uera concluſio efficietur:ut, Animal omni lapidi,animal nulli homini, lapis igitur nulli homini. Ad

hæc,

hæc,Inanimatũ omni lapidi,inanimatũ nulli ligno,lapis igitur nulli ligno. Præterea animal nulli homini, animal omni equo,homo igitur nulli equo.Idem fiet,cum propoſitiones aliqua ex parte falſæ ſint.

Quæ ſit,& quomodo fiat Demonſtratio,in qua retro dicuntur omnia.

DAMNATVR à philoſophis hæc mutua Demõſtratio,ut pote quæ idẽ ex eodẽ obſcuro clarũ ſaciat.ea alio nomine Per circulũ dicitur,ueluti quædã per ſua ueſtigia propoſitionũ, & concluſionis replicata cõuerſio.Fit autẽ hoc modo:à duabus propoſitionibus efficitur cõcluſio,deinde accipitur concluſio,& altera è propoſitionibus reciprocãdo,& altera demonſtratur, hoc pacto: Ridens omni homini,homo omni rectè ambulanti,ridens igitur omni rectè ambulanti.Quòd ſi probare uoluero Ridens omni homini, accipiam concluſionẽ,& minor reciprocabitur,& dicam,Ridens omni rectè ambulanti, rectè ambulans omni homini,ridens igitur omni homini.Sed quonam modo homo omni rectè ambulanti ineſt? Reciprocatur maior,& dicitur,Homo omni ridenti:accipitur deinde concluſio Ridens omni rectè ambulanti: atque ita minor in concluſionẽ conducitur,Homo omni recte ambulanti:fitq́; hoc modo mutua demonſtratio. Eſt autem animaduertendum huiuſmodi demonſtrationẽ in illis tantum uerſari,quæ uiciſsim retro commeant:ut ſunt,Ridẽs,Homo,Recte ambulans:in iiſq́;,quę ſibi ex altera parte nõ reſpõdẽt,nihil ei loci eſſe.

QVID SIT INDVCTIO.

DE Inductione,quia ipſa quoq; philoſophiæ inſtrumentũ eſt,uerba ſacimus:ea uerò eſt probabilior ratiocinatione,& magis ad perſuadendũ accommodata. Oportet enim ex ſingulis rebus uniuerſa inferre,ſiq́; fieri poſsit,ab omnibus: ſed propterea quòd id in multis fieri nequit, cùm ſingulæ res infinitæ ſint,inuenta eſt uia quædã,& ratio,qua ex paucis quoq; poſsimus inducere.Dicimus enim omnia, quæcũque poſſumus:ex quibus cogimus aduerſariũ demonſtrare,aliquid ita ſe nõ habere.Quod ſi demonſtrarit, uicerit:ſi uerò ſecus,inductionẽ tunc perficimus.Ita enim in tertia figura fit: Prima ſumptio in hac figura efficitur.Quòd ſi minor propoſitio reciprocetur ita,ut medium de omni in minori extremitate ſit,quẽadmodum erat extremitas de omni medio,tunc nõ Aliquis,ſed Omnis concluditur:ſiquidẽ ex reciprocatione prima figura conficitur.Si minoris propoſitionis reciprocatio in Omnis,non item in Aliquis reciprocetur.Fit in tertia figura ſic,ut cùm omne animal inferiorem oris partem mouere demõſtrare uelimus,terminos quidem cõſtituimus,ac maiorẽ,inferiorẽ oris partem mouere,minorẽ,animal, mediũ uero, & inferiorem,omnia,quæ ſub animali ſunt.Ea re fit,ut ſi illa omnia cũ omni animali reciprocentur, in prima figura cõcludatur,ſingula animalia inferiorẽ oris partẽ mouere:hæcq́; omnia de omni animali dicẽtur. Concludetur igitur,inferiorẽ oris partẽ mouere de omni animali dicitur,& hoc pacto inductio conficietur.

Quid ſit Demonſtratio, per quam quis urgetur incommodo.

DEMONSTRATIO, per quã quis urgetur incõmodo,in aliis eſt ſubiectio, quæ repugnãter ponitur,ut dictum eſt nobis:quæq; in ipſis etiam determinationibus ponitur itidem repugnanter. Vel enim Omnis,uel Non omnis,& uel Aliquis,uel Nullus eſt:neq; unquam affirmatio cum negatione uera erit:hocq́; eſt philoſophorũ effatum,ac notio per ſe ipſa fide digna,in eadẽ re affirmationẽ, & negationem effici nunquã poſſe,niſi in fallacibus concluſiunculis,quibus Sophiſtæ utuntur. Aut propter ambiguitatẽ; ueluti ſiquis dicat.Coruus animatus eſt,coruus animatus non eſt:animatus quidem coruus animal eſt,inanimatus uerò ianuæ eſt affixus.Vel in diuerſo tempore:ut ſi dicat quiſpiam, Socrates intelligens,Socrates non intelligens:quod accipiendũ eſt perinde,ac ſi dicatur,cùm ſtultus eſſet, intelligens non erat:cumq́; uir eſſet,ſapientiamq; acquiſiſſet,intelligens erat. Vel actu & potentia,ut ſi dicatur,Infans ſciens & ignorans: re ipſa ignorans,facultate ſciens erit. Vel ex partium differentia:ut,idẽ lignum ad aliquod lignum ęquale, & non æquale erit:æquale inquam in latitudine,non æquale in longitudine.Hæ enim omnes & eius generis permultæ concluſiunculæ ſunt contorta,& aculeata ſophiſmata:nec alia ulla ratione affirmatio,& negatio ſimul ueræ ſunt.In Demonſtratione igitur ex eo,quod fieri nequit, affirmari aliquid,uel negari poteſt non ſecus,quàm in cæteris modis facimus.In Inſtanti enim quoniam inſtat,atque ineſt,exiſtit,atque etiam ſola determinatio uidetur,quæ uim habet inferendi uel Omni,uel Non omni,uel Alicui,uel Nulli: in aliis uerò modis Neceſſario uidelicet,ac Contingenti, negatio affirmationi repugnat:ut huic, Neceſſarium eſt reſpirare,hæc Non neceſſarium eſt reſpirare:& huic,Contingit lauari,hæc Non contingit lauari. Hæ ſane repugnantiæ ſunt.Quòd ſi in paribus propoſitionibus quicquam, quod ipſum fieri non poſsit, enuncietur:non fatendum erit,Neceſſarium eſſe Omni.Sit igitur Non neceſſariũ Omni, quod idem cum hoc eſt,Contingit non omni:quod ſi inciderit,non admittas Neceſſariũ eſſe omni,ſed hanc, Contingit non omni,quæ repugnanti par eſt.Nam hæ,Neceſſarium eſt omni,& Non contingit non omni, æquales ſunt: atq; hæ,Neceſſarium eſt Nulli,Non contingit alicui:itemq́; Neceſſe eſt Alicui, Non contingit Nulli: &, Neceſſe eſt Non omni,Non contingit Omni:præterea hæc,Non neceſſe eſt Non omni,huic Contingit Omni,par eſt:& huic,Contingit Nulli,hæc Non neceſſe eſt Alicui:huic,Contingit Alicui,hæc Non neceſſe eſt Nulli:huic,Contingit Non omni,hæc Non neceſſe eſt omni. Atq; ita eſt ex eo, quod fieri nullo modo poteſt demõſtratio:nam uel Neceſſarium eſt omni,uel Non neceſſarium Omni,atq; huic, Non neceſſariũ eſt omni,hæc Contingit non Omni æqualis eſt. Aequalis enim fit in huiuſmodi materiis. illa Non neceſſa

ria,hæc Contingit,illa Omni,hæc Non omni.Si enim non neceſſe eſt omne animal rationis particeps eſſe, cõtingit non omne animal eſſe rationis particeps,Ita fit,ut hæc Neceſſarium eſt Omni,in iis,quę fieri non queunt,his Non neceſſarium eſt Omni,& Contingit non omni,repugnet.In cæteris eadem ratio eſt.

Quid ſit, Non ex hoc falſum effici.

NON ex hoc effici falſum in præcedenti demõſtratione poſitum eſt:hoc fit,cùm quis inferre aliquid uelit,quod fieri non queat,captioſo argumentatioois genere utens,cauſam eius,quod fieri nõ poteſt, omittit,& aliud quicquam conſtituit:ac tum quidem diſſerenti licet dicere,id non ex eo,ſed ex alio quodam fuiſſe illatum:ut ſi quis aiat,Animal non omni homini, diſſerens id non admittat : ille ſtatim Omni ſubiiciet,dicetq́; Animal omni homini,homo omni ridenti, ridens omni ligno, animal igitur omni ligno: hoc fieri nullo modo poteſt.Conabitur aduerſarius demonſtrare cauſam,cur id cõductũ ſit,eſſe, quod animal omni homini ineſſe ſubiecerat:& id quod cauſa non eſt , cauſam efficere:tunc quidem non ex eo falſum effici dicitur.

Quid ſit Repetitio eius,quod initio dictum eſt.

REPETITIO atq; aſſumptio eius,quod initio dictum eſt,ſub eo genere cõſtituitur, quod non demonſtrat:accipit enim id,quod in controuerſiam uocatur,pro conceſſo:fitq́; id quinq; modis. Ac primo omnium,ſi quis id quod demonſtrare debeat,petierit, idq́; per ſe non facilè lateat. Sed hoc in ſynonymis facilius fiet:ut ſi uelit quis demonſtrare homioem animal eſſe,animal ridens pro conceſſo accipiat. Secundò,quando quiſpiam ſingulas quaſdam res demonſtrare debeat, uniuerſas poſtulet : ut probare uolens eandem eſſe aduerſorum ſcientiam,omnium omnino contrariorum unam eſſe ſcientiam cenſeat,ac poſtulet:nam ſi contrariorum una erit,eadem quoq; erit aduerſorum. Tertiò , ſi quis uniuerſum probaturus ſit, ſingula poſtulet:ueluti ſi omnium aduerſorum unum eſſe ſenſum uelit affirmare,dulcis & amari eundem eſſe ſenſum petat,& pro conceſſo accipiat.Quartò,ſi quis diuidens illud petat , quod eſt in controuerſiam uocatum:ut ſi demonſtrandum ſit medicinam ſcientiam eſſe ualentium,& ęgrotorum,utrunq; ſeparatim petat,medicinam uidelicet eſſe ualentium ſcientiam,& poſtea medicinam eſſe ſciẽtiam ægrorum.Quinto ſi ex iis,quæ ſeſe neceſſario conſequuntur,alterum poſtulet quiſpiam:ueluti ſi eſſet demonſtrandum latus quadrati non eſſe eiuſdem menſuræ cum media linea:petat is,& aſſumat tanquam conceſſum,& exploratum,latus non eſſe eiuſdem menſuræ cum linea media:uelitq́; ex hoc demonſtrare,latus non eſſe eiuſdem menſuræ cum media linea:ex neceſsitate ſequitur,ut ſi latus commetiens non ſit,linea quoque cum latere non ſit æqualis.

Quid Deductio ſit.

DEDVCTIO fit,quãdo propoſitio ęque abſtruſa eſt,ac concluſio.tunc enim à concluſione ad propoſitionẽ deducitur oratio:nam oratio & clara eſſe,& concluſionem cõfirmare debet:ſi quidem concluſio ab illa demonſtratur. At quando illa obſcura eſt,ad cõcluſionem curritur,ut illa demõſtrata,& perſpicua reddita,ex ea clara fiat.Id autem eſt, quod Deductionem appellamus . Vt ſi uelimus demonſtrare, hominum animas nullo mortis fato perimi,haoc propoſitionem conſtituemus, Animæ apud inferos ſunt: quæ nec cognita eſt,nec inter omnes conſtat.Propterea ex concluſione ad propoſitionẽ argumentationem deducimus,eamq́; ex multis ueram,& credendam eſſe demonſtramus.

Quid Exemplum,quid Signum,quid Argumentum.

PHILOSOPHVS duobus utitur inſtrumẽtis Ratiocinatione,& Inductione:ex quibus Ratiocinatio ex uniuerſis rebus ſingulas demõſtrat : quod rationis particeps animal nobis declarat:homo enim rationis etiam particeps eſt,homo igitur animal itidẽ eſt.nam quod rationis eſt particeps latius,quàm homo patet:Ioductio uerò ex ſingulis,ut dictum eſt,uniuerſa cõfirmat. Orator ad horum imitationem inſtrumentis ipſe quoq; utitur Eothymemate,cui etiam ratiocinationis,quę una ſumptione conſtet,nomen eſt,atq; Exemplo:ſed Exemplum non ita ex omoibus ſingulis rebus uniuerſas demonſtrat,ut facit Inductio:uerùm ex ſingulis ſingulas cõfirmat:quippe cùm orator ſingulis magis nitatur,& philoſophus uniuerſis:ut ſi uellet orator demõſtrare Socrati utile eſſe ſeſe in orationibus exercere,acciperet (exempli gratia) Demoſthenem,& in orationibus ſe exerceret : exponeretq́; quantam ſit ille ex orationibus gloriam conſecutus. Enthymema uerò eſt ratiocinationi perſimile,in eo tamen differt , quòd ratiocinario duabus è propoſitionibus eſt conflata, uel ad minimum unam maiorem habet , illud autem unam tantũ minorem, ut dictõ eſt nobis. Fit Enthymema aut à ueriſimili,aut à ſigno,aut ab iudicio,ſeu argumento. A` ueriſimili hoc modo:Pericles in multorum admiratione eſt,à multisq; amatur,tyrannidem igitur occupabit: Veriſimile à perſona ſumitur. A ſigno autem ſic:Hic noctu uagatur,igitur fur eſt.Signũ enim à re ducitur. Ab argumento,quod & certiſsimum eſt,hac pacto:Mulier hæc habet lac,igitur peperit.

De Natura pernoſcenda, & quomodo in argumentationem cadat.

MORES Naturamq́; cognoſcimus, quando ab aliquo corporeo ſigno animæ proprietatem formamus, ut angues lati pinguem Mineruam indicant:& mali ſunt, quibus ſupercilia iunguntur: bonæ indolis, qui frontem latam habent. Corporeum igitur ſignum pro medio conſtituimus, & ex illo animæ ſignum demonſtramus. unum enim unius affectionis ſignum eſt. ſiq; unum ſignũ ſit, & duæ animi affectiones, ut in leone uidetur, qui habet extremitates magnas, & duas animi affectiones fortitudinẽ dico & amplitudinem, tunc nulla alia ratione cuius affectionis ſignũ ſit, cognoſcere poterimus, niſi illam affectionem in alio genere conſideremus:& cuius affectionis in eo genere ſignum exiſtat, uideamus, & ita in illo quoq;, quod pertractetur, cuius ſit, cognoſcemus. Id commodè in hominibus fieri poterit: ex quibus qui magnas extremas partes habent, fortes ut plurimum ſunt: non tamen ampli, & largi, niſi aliud illius affectionis ſignum exiſtat, atq; ita non quieſcimus, donec eiuſmodi certę notæ argumentum inuenerimus, unaq́; animi affectio, id eſt fortitudinis, in hoc ſignum eſt, nec tamen latitudinis: ita igitur in leone quoq; ſe res habet.

POSTERIORES
RESOLVTIONES.

QVID DEMONSTRATIO.

QVAE res cauſa eſt, re effecta præſtantior eſt: nam ſera propter ianuam efficitur, & propter nauim clauus, atq; adeo, propter demõſtratiuam ratiocinationẽ omnia, quæcunq; diximus: ſiquidem ea Ratiocinatio eſt philoſophiæ inſtrumentum. quod ſi efficiat, ac confirmet in prima forma ex Omni Omni: ſi confutet, in ſecunda ex Nullo Omni, uel Omni nullo cõſtabit. Omnis enim doctrina, ac diſciplina de cognitione præcedenti oritur: qui quidem habitus, & cognitio in demonſtratiuis argumentationibus & neceſſaria, & maxime credibilis eſſe debet, uel foris habere demonſtrationem, uel à ſeipſa per ſeſe. Neq; enim ita principium inquirendũ eſt, ut exitus nullus reperiatur, quandoquidem ea ratione nulla unquam haberetur ſcientia. Nunc uero nõ modò ſcientia eſt, ſed etiam ſcientiæ, & demonſtrationis principiũ. Etenim Demonſtratio eſt ex propoſirionibus medio uacantibus, quæ per ſe ueræ, & claræ ſint: Propoſitiones autem medio uacantes à ſingulis ſenſibus proficiſcuntur: cùm enim omnia animalia ſenſum habeant, aliis tamẽ ſunt manſiones in ipſis ſenſibus, alia uerò ſimul atq; ſenſerint, ſenſum abiiciunt, cuiuſcemodi ſunt muſcæ, culices, apes, pulices, & eius generis permulta: ex illis uerò, quæ manſionem habent, homo præcipue eſt: atq; ex iis rebus, quæ ſæpenumero fiunt, efficitur experimentum, ex hoc experientia, & cognitio ſtabilis, & immutabilis: nam cùm ſæpiſsime uiderimus ignem calefacere, neq; unquam quicquam igne frigeſcere, propoſitionem medio, cauſaq́; uacantem conficimus hoc pacto: Ignis calefacit:& ita fit propoſitio, quæ nullum medium habeat, quemadmodum in bello ſeditione coorta cùm unus ſtet, alius item, atq; etiam alius, & ita exercitus iterum in antiquum ſtatum reſtituatur. Demonſtratiua igitur ratiocinatio alia quędam eſt, atq; ſimplex: quoniam omnis ratiocinatio eſt uel Dialectica, quæ ex ueris, & probabilibus conſtat: uel Fallax, qua ſophiſtæ utuntur, quæ ex iis, quæ probabilia uidentur conflata eſt: uel ex ueris, & primis, & neceſſariis, & medio carentibus, & quæ concluſionis cauſæ ſint, efficitur, & ea eſt demonſtratiua: in qua dictum quidem eſt ex ueris, propterea quòd plerunq; uerum ex falſis quoq; concluditur, ut in illis clarum eſt, quæ ſupra dixi. Veruntamen hęc ratiocinatio nõ Propter quid, ſed Quia concludit. Additum deinde eſt, Et primis, quoniam qui ex poſterioribus ratiocinatur, non rectè, nec ita ut decet probat, propterea quòd cauſam minime nouit. Tum adiũctũ eſt, Et neceſſariis, quòd demonſtrationis concluſio neceſſaria eſt: neq; fit in demonſtratione, perinde ac in ſimplici ratiocinatione, in qua ex falſis uera efficitur concluſio: atq; in demonſtratione ex fortuitis propoſitionibus, & alio quouis modo ſe habentibus neceſſarium non concluditur: ſed & propoſitiones neceſſariæ ſunt, & concluſio item neceſſaria. Ita fit, ut ex poſterioribus, & effectis cauſæ, & priora demonſtrentur: non quòd ea ſit demõſtrationis uis & natura, ſed quòd concluſio, & propoſitiones neceſſariæ ſint. ita etiam fieri poteſt, ſi ratiocinatio Quia, non Propter quid, efficiatur. Quia enim, & hoc pactu fit, & ex iis, quæ nobis explorata ſunt ea, quæ naturæ ſunt cognita, nobis patent. Proponatur ratiocinatiu Lunã deficere, propterea quòd incurrat in umbram terræ: illa enim incurſio cauſa eſt, ipſaq́; defectio, res effecta: atq; hæc ratiocinatio erit Propter quid, id eſt cauſæ: nos uerò cum magis cognitam defectionem habeamus, rem effectam, defectionem dico, conſtituimus, & cauſam, incurſionem uidelicet, cõcludimus hoc pacto, Luna incurrit in umbram terræ, propterea deficit. Hæc ratiocinatio eſt Quia, id eſt ex effectis: nam quia nũc incurrit, ſcimus quid cauſæ ſit, cur deficiat: quomodo uerò incurrat, nos latet. Præterea, aſtra errantia non nitent, propterea quòd prope ſunt: id autem cauſa eſt, cur illa non luceant:& eſt cauſæ ratiocinatio, quia ex cauſa effectum demonſtramus. Nos uerò, quibus magis cognitum eſt illa nõ ſplendere, ex eo quod efficitur, uidelicet quia prope ſint, de eis facimus ratiocinationem hoc modo: Stellæ errantes quią prope ſunt, propterea non ſplendent. hæcq́; ratiocinatio eſt ex effectis: nam quia prope ſunt, non lucere cognoſcimus: cauſam uerò, cur propinqua ſint, ignoramus.

ramus. Sed quia, ueluti ſupra dixi, Prius bifariam dicitur, natura ut uniuerſalis homo, & nobis, ut Sorrates: demonſtratio ex iis quæ ordine naturæ priora ſunt, debet eſſe: ex iis uerò, quæ nobis priora ſunt, non item. Cauſæ enim ſunt Effectis antiquiores, licet quædam ſimul fiant, ueluti Sol, & eius lux, ac radius: ſed Sol ut lucis, ac radii cauſa prius agnoſcitur. Propria demõſtratio ex propoſitionibus medio uacantibus efficitur, prǽterquam quòd ex aliis contemplationibus collectæ non ſint, quæ ipſæ ab aliis oriantur, id quod demonſtrari nullo modo poteſt. Atq; in hoc Demonſtratio uerſatur: ſiquidem Demõſtratio eſt, per quam res ea, & non alia eſſe demonſtratur: ut Triangulum tres angulos duobus rectis pares habere, quatenus triangulum uniuerſe acceptum, non autem quia figura ſit, erit demonſtratio. quod autem Iſoſceles huiuſmodi ſit, nõ quia iſoſceles exiſtat, ſed alterius primi trianguli ratione, non propriè erit demõſtratio: ſunt enim quædam uniuſmodi, quæ ſingulare quicquam non habent, in quibus licet ad ſingulas res ſpectent, ſcientia, ac demonſtratio fit, uelut cum de Cœlo, de Sole, de Luna, uel de Mundo uerba facimus, qui uniuſmodi ſunt: neq; tanquam res uniuerſæ de ſingulis dici commode poſſunt.

Quid De omni, Per ſe, & Vniuersè ſignificent.

COMPERTVM iam habemus Demonſtrationem eſſe cauſarum, & ex propoſitionibus uniuerſis Vniuerſum eſt, quod ex eo, quod De omni, & quod Per ſe dicitur, conſlatum eſt. In prioribus autem id eſſe illud, quod De omni dicitur, aſſeruimus. Eſt enim De omni, extra quod nihil relinquitur eorũ, quæ ſub ipſo comprehendũtur: ut, Animal de omni homine dicitur. Per ſe, quatuor modis dicitur. Primùm Per ſe eſſe dicuntur ea, quæcunq; in re inſunt in rei natura inquirẽda, ut in homine animal, & rationis compos. Secũdò ea, in quorũ ratione quid res ſit aperiente ipſa inſunt: ut, in numero par, & impar: ac ſimum & repandum in naſo: in quo alia multa inſunt, cãdor uidelicet, longitudo, & latitudo, atq; alia plurima: ſed naſus in horum ratione ac definitione non aſſumitur: uerùm naſus in aduncitatis definitione capitur: dicimus enim, Aduncitas eſt naſi curua quædam pars: quemadmodum etiam numerus impar in numeros nõ æquales diſtributus: efficitur enim, ut hæc affectio in nulla alia parte conſiſtat, niſi naſus ſit: at longitudo, & latitudo in multis aliis inſunt, quæ naſi non ſunt. Tertio id Per ſe, dicimus, quod de nulla ſubiecta re dicitur, ſed ſubſtantia eſt. Ambulans enim cùm aliud quippiam ſit, ambulans eſt: at homo, cùm aliud quicquam non ſit, homo eſt. quare illud accidens eſt, homo uerò & per ſe, & ſubſtantia. Quartò, quod Per ſe unicuiq; conuenit: quod autem per ſe non eſt, accidens eſt: ut, quodam ambulante ſi corruſcauerit: nõ enim propterea quòd ambulauerit quiſpiã, flamma inter nubes corruſcauerit, ſed accidiſſe id dicimus, cùm ambularet. Si uerò ob id ipſum fiat, per ſe eſſe dicetur: ut, ſi quis iugulatus mortuus ſit, nam mors euenit propter occiſionem, & extrinſecus non euenit. Scire autem Quia, & Propter quid, multis modis differt, ac primum in una & eadem ſcientia dupliciter interſunt hæc inter ſe. Primùm quidẽ ſi ratiocinatio ex propoſitionibus medio uacantibus fiat, erit Propter quid: ſi uerò ex iis, quæ medium habent, erit Quia. Deinde in iis quæ ſibi quaſi ex altera parte reſpõdent, ut de incurſione, & luna dicebamus: ſiq; ex cauſa effectus cõcludatur, fiet Propter quid ratiocinatio: ſi uerò ex effectu tanquam notiori, cauſa cõcludatur, erit Quia, ratiocinatio. In iis item, in quibus mediũ extra collocatur, non Propter quid, ſed Quia ratiocinatio componetur: ut, Quid cauſæ eſt, cur murus non reſpiret? Quia animal non eſt. Sed ſi quis dicat, hanc ratiocinationem eſſe Quia, dici poſſet, nõ propterea murũ non reſpirare, quòd animal non ſit, cum multa animalia ſint, quæ etiam nõ reſpirent, ueluti ſunt culices, uermes, & eius generis multa: dicendum itaq; eſſet murum non reſpirare, quia pulmonem non habeat. In alia uerò, atq; alia ſcientia Quia, à Propter quid, differt hoc pacto. In iis enim, quæ aliæ ſub aliis ſunt cõſtitutæ, qualis eſt Optice, quæ ſub geometria eſt, & Muſica ſub arithmetica, in quarũ altera ſi id quod perſpici poteſt, ex perſpiciendi principiis demõſtretur, in altera id, quod ad concentum pertinet, ex muſicis, erit Quia ratiocinatio. Si uerò illud ex geometricis, hocq; ex arithmeticis principiis demonſtretur, ratiocinatio Propter quid, efficietur. Sed multæ quoq; ſcientiæ, quæ ſeſe non referunt, ita ſe habent: nam uulnera rotunda diutius ſanari, medici intereſt ſcire, quid uerò eius rei cauſa ſit, geometræ: nam circulus eſt omnibus figuris latior, & plures angulos continet.

Quomodo prima figura magis ſub ſcientiam cadat.

TRES Figuræ ſunt, ex quibus Prima eſt magis ad ſcientiam accommodata, propterea quòd ea ſola De omni concludit. ac propterea quatuor quęſtiones concludit: & quòd in hac definitionis partes, uidelicet De omni inducuntur, ac definitio principium demonſtrationis eſt, ut poſt declarabimus, cumq; duplex demonſtratio ſit, rerũ uniuerſarum altera, & altera ſingularum, ea quę uniuerſarum rerum eſt, potior eſt, & maius ad demonſtrationem affert adiumentum: ſiquidem demonſtratio & neceſſaria eſt, & rerum uniuerſarum. Atq; cùm Demonſtratio ſit partim aiens, partim negans, partim oſtendens, partim ex eo, quod fieri nequit, concludens, aiens melior eſt negante, propterea quòd aiens, quippe quæ per ſe ex aientibus propoſitionibus ſiat, non indiget negante: at neganti ad ſe efficiendam aiente opus eſt: quandoquidem ex ſolis negantibus, ut docuimus, demõſtratio nunquam fiet. Oſtendens uerò, ſeu Demõſtratiua antiquior eſt ea, quæ ad id deducit, quod fieri nequit: propterea quòd ipſa per ſe quæſtionem demonſtrat: at ea, per quam quis urgetur incommodo, ex aliarum rerum ſubiectione quæſtionem demonſtrat.

De Defi

De Definitionibus.

DEFINITIONEM principium demonſtrationis,& propoſitionē medio uacantem eſſe diximus: ſed fieri non poteſt ut ipſa rei natura ad ſubſtantiā accommodata demōſtretur. Definitionū genera ſunt tria,unum à forma,alterū à materia,tertium ab iis utriſq; aſſumitur,id quod exemplorum appoſitione perſpicuum & planū fiet.Omnis enim ars,atq; ſcientia ſubiectū habet,& finē, qui forma eſt, ex quibus omnis ars triplici modo definitur, ut in arte nauiū exædificandarū clarè paret:ea eſt ars , quæ in lignis uerſatur,atq; hæc definitio ex materia ſumitur:eſt item ars nauium fabricandarum, atq; hæc definitio ex fine,id eſt forma eſt:(Sæpe enim forma & finis ſunt communitate quadam inter ſe coniunctę,ut nihil differre uideantur)fit poſtremò ex utriſq; definitio ſic,Eſt ars,quæ in lignis uerſatur, naues efficiens. Definitio uerò,quę ex materia ſumitur communis appellatur, nihilq́; proprium habere dicitur:quemadmodum Poculum uitreum, & Vas æneum nominatur. At quæ ex forma elicitur,propria eſt illa quidē,ſed non explicat id,ex quo finis efficiatur:quæ demum ex utriſq; ſumitur,& perfecta eſt, & uitio caret. Ea autem, quæ à materia naſcitur,auxilio illius,quæ à forma eſt,demonſtratur, hæcq́; eſt demonſtrationis concluſio. Quæ uerò à forma traditur,eſt demonſtrationis principiū,non tamē demonſtratio:propterea quòd hæc ab ea non confirmatur,quæ à materia fit,quemadmodū ea,quæ à materia ſumitur,ab ea probatur, quæ à ſpecie eſt.Nemo enim probat hanc eſſe nauiū effectricem,propterea quòd in lignis uerſetur:ſed potius eam in lignis uerſari,quod naueis efficiat.Et re fit,ut definitio,quæ ex forma ſumitur,& medio uacans,& demonſtrationis ſit principiū:& quæ à materia,concluſio demonſtrationis exiſtat:quæ ex utriſq;,demōſtratio ſit, propoſitionum tamen diſpoſitione differat:uelut in Ira uideri poteſt. Ira eſt ſanguinis ardor in corde.Hæc definitio à materia traditur:nam ille ſanguinis feruor in corde perlatè patet:cōmunis enim eſt irato,ægroto,currenti,epulis ſaturato,& ei,qui in hyeme friget. Tum,Ira eſt ulciſcendi libido : hæcq́; definitio eſt ex forma,& ſoli ei conuenit,qui eſt iracundia incitatus.Poſtremò,Ira eſt feruor ſanguinis in corde propter libidinem puniendi : atq; hæc eſt ex utriſq; definitio. At quomodo hæc definitio demonſtratio eſt collocatione differens?propterea quòd in Definitione prius ponitur materia,deinde forma,ita enim dicimus, Sanguinis feruor in corde propter ulſciſcendi libidinē:in Demonſtratione uerò cū forma cōſtituta ſit, materia poſtea ponetur,& ob hāc cauſam ordine differt à demōſtratione:in qua ita dicitur,Iratus ulciſei ardet,eius qui ulciſci ardet ſanguis in corde ebullit, irati igitur ſanguis in corde ebullit:& ita diſpoſitio diuerſa efficitur.Quòd ſi dixeris,Irati ſanguis in corde efferueſcit,qui habet ſanguinē in corde efferueſcentē ulciſci deſiderat:falſum dixeris, eo quòd omnis qui in corde habeat efferueſcentē ſanguinē, non iam ulciſci deſideret: fit enim ille ſanguinis feruor multis etiā aliis de cauſis.Nec quenquā moueat,quòd in ratiocinationis expoſitione in recto caſu dixerim , Iratus ulciſci deſiderat in propoſitione : & dixerim in concluſione,Irati ſanguis in corde efferueſcit,in ſecundo caſu:quoniam etſi habemus in mandatis, ut terminos in recto exponamus,in complexione tamen ratiocinationis pronunciandi ſunt ita,ut locutionis concinnitas poſtulat.

TOPICORVM
LIBER PRIMVS.

QVAE cum dixerimus,ſequitur, ut de ratiocinatione dialectica, in qua omnes humanæ res in diſceptationē uenire poſſunt , perinde ac ciuiles in dicendi rationem, diſſeramus. Dialectica argumentatio ex probabilibus concluditur. Probabile eſt, quod uel omnibus,uel quāplurimis,uel ſapientibus,hisq́; uel omnibus,uel plurimis, uel iis, quorū ſpectata eſt,& perſpecta ſapientia,probatur : ut ſi dicat quiſpiā,Ratio bona eſt,gloria uitæ utilitatē affert. De his uerò diſſerimus , quæ ita,& ſecus ſe habere poſſunt. Nemo enim diſputandū proponit,utrū æquum ſit Deum colere,neq; utrū Sol clarus ſit:quod ſiquis fortaſſe faceret:puniendus eſſet,ac ſenſu indigeret. Quæſtio à Propoſitione ratione quadā intereſt : nam ſi dixeris hoc pacto, Anima intelligentia prædita eſt, an non? quæſtionem feceris , deq; ea ſermonem habebis. Si uerò ſic, Igitur anima intelligentia prædita eſt:propoſitionem effeceris, ex qua aliam quandam quæſtionem firmabis: nam propoſitio alterius cuiuſdam quæſtionis cauſa profertur:res enim,de qua habetur oratio, quæſtio eſt.

Inſtrumenta,quibus utimur in diſputandi, & loquēdi ratione ſunt quatuor. Primum ut propoſitiones aſſumamus. ſunt enim dialecticæ propoſitiones probabiles & ueriſimiles.Secundum, ut ea,quæ ambiguitatem habent, cognoſcamus, ne alter diſſerens de quadam re loquatur , alter de alia reſpondeat : quemadmodum ſiquis de cane piſce loquens dicat , canis latrat'ne?alter de terreno cane intelligens, etiam reſpondeat.Interrogandū igitur erit in ambiguis,quo de quis loquatur, ut de eodem reſpōdere poſsimus. Tertiū eſt,ut unamquanq; cuiuſq; differentiam cognitam habeamus , ut quid Senſus à Scientia differat : Senſum uidelicet ex iis eſſe,quæ nobiſcum naſcūtur,Scientiam uerò cum tēpore acquiri à ſtudioſis uiris:atq; Scientiam ſi amiſſa ſit rurſus comparari,Senſum ſemel amiſſum,non poſſe : Senſumq́; inſitum eſſe & innatum, Scientiā acquiri. Quartum eſt,ut ſimilitudines intelligamus,ut res inter ſe cōiungere, & cōparare poſsi-

mus:ut ſciamus Tranquillitatem Placationi ſimilem eſſe : utræq; enim ad quietem referuntur ; ſed altera in mari,altera in aëre intelligitur.In aliis etiam eodem modo.

De quatuor Dialecticis quæſtionibus.

QVAESTIONES dialecticæ quatuor ſunt,Definitiua,quæ ad definitionẽ pertinet:Generis,quæ in generibus uerſatur:Propria,quæ ea,quæ ad propriũ ſpectant,aſſumit:Accidentis,qua de accidentibus diſſeritur. Ac præterea Quæſtiones,quæ alterius ſunt,cum definitiuis coniunguntur:nam ſi definitio probata ſit,idem quoq; confirmatum erit:quia ſi demonſtratum ſit definitionem illud ipſum eſſe,iure hoc idem,quod illud, eſſe demõſtrabitur:id tamẽ non reciprocabitur ita,ut ſi demonſtratũ ſit,hoc idẽ cum illo eſſe,cõtinuo hoc definitio illius ſit:propterea quòd multa ſunt,quæ eadẽ inter ſe exiſtant,non tamẽ ſtatim & definitio,& res definita eædem ſunt. Gaudiũ enim idem eſt quod Lætitia, ſed neq; gaudiũ lætitiæ,neq; lætitia gaudii definitio eſt. In Cõſutatione uerò id uiciſsim retro cõmeat:etenim ſi fuerit confutatũ hoc cũ illo idem non eſſe,hoc quoq; illius definitionẽ non eſſe probatũ erit. Verùm ſi ſublatum ſit,hoc illius definitionẽ non eſſe,ſtatim hoc cum illo idem non eſſe,non tollemus:propterea quòd Decorũ non eſt Honeſti definitio, idem tamẽ eſt. Idem tripartito deſtributum eſt:aut enim Genere idem ſoliti ſumus dicere, ut omnia animalia eadẽ inter ſe eſſe generis ratione dicũtur:uel Specie,ut omnes homines eiuſdẽ ſpeciei ſunt: uel Numero,ut Socrates cùm eius definitione,uel cum ſuo proprio, uel ſuo accidente. A qua enim,quæ ab eodẽ ſonte manat,eadẽ genere non erit,ſi in duobus uaſis cernatur:quin etiam eadẽ numero non erit,quòd ſi numero eadem eſſet,ſequeretur,eum qui ex una unius uaſis bibiſſet,ex altera quoque adbibiſſe:erit uerò potius eiuſdem ſpeciei : ſed ea ab aliis,quæ eadem ſpecie ſunt,differt,quòd maximam habeat ſimilitudinẽ, quemadmodum nõnulli homines iidem ſpecie multam ſimilitudinẽ habent,& ſimiles ſunt in omnibus.

Quæ ſint Dialecticæ quæſtiones.

QVAESTIONES quarum in quærendo opus eſt,cùm ſcilicet quærimus hoc ſit,nec'ne,ſub genere conſtituuntur,& ipſæ Quæſtiones generis appellantur:eæ ſunt, quãdo propoſitæ rei genus inquiritur,utrum hoc,an hoc ſit.Quæſtiones uerò cõparatiuæ ad accidens referuntur:ueluti,utrum magis eligẽda ſit,gloria,an ratio:&,utrum maiore honore dignior ſit,ſenectus,an iuuentus prudẽs.Reducũtur enim comparatiuæ ad accidens,propterea quòd omnes amplificantur,& imminuuntur, accidentiaq; contentionem, & remiſsionem capiant. In una igitur quaque quæſtione loci differentes inſunt. Ex quo conficitur, ut hic liber , in quo de ratione diſſerendi agitur , Topica inſcribatur , atque hæc Dialectica uel exercitationem uel uictoriam finem habet,inueſtigatq;,& perſcrutatur omnia.

LIBER SECVNDVS.

De Quæſtionibus accidentis.

QVAESTIONES partim Communes ſunt , partim ſingulorũ Propriæ. Communes ſunt hæ,Omnis uoluptas in bonis eſt : Nulla uoluptas in bonis eſt. Propriæ hæ, Quædam uoluptas in bonis eſt : Quædam uoluptas non eſt in bonis. Vniuerſæ autem confirmant, & infirmant, & utrunq; quæſtionum genus uniuerſis cõtinetur:propterea quòd ſi docuerimus aliquid in totum genus cadere,etiã in aliquam partem cadere demõſtrauerimus:ſiq; in nullam rem cadere,demonſtratum quoq; erit,non in totum genus conuenire. At illę,quæ ſingularum rerum ſunt, non refellunt,uel aiunt,& nunquã in uniuerſis dicuntur. Infirmatur igitur accidens,ſi aliud ex duobus fuerit uel genus,uel propriũ,potius genus tanquã accidens tradiderit : ſi enim in natura inueſtiganda dicatur, uel ſoli ſpeciei inſit,& reciprocetur,accidens non erit : ſi uerò non ſoli inſit,& in quæſtione,qua inquiritur qualitas dicatur, aptumq; exiſtat, ut ſit uel non ſit, accidens confirmabitur. Deinde inſpiciendum erit , in quibuſcunque ineſſe dicatur:quòd ſi Nulli inſit,tollitur accidens:ſi Omnibus,uel Alicui, confirmatur accidens:ueluti dicitur,Scientia mala eſt:cui nomini ſi Nulla adiungatur,infirmatur : ſi Omnis,uel Aliqua, ſcientia mala eſſe affirmatur. Tum conſiderare debemus definitiones accidentis , & eius rei cui accidit : ut ſi quis dicat,philoſophum inuidum eſſe,& quid philoſophus, & quid inuidus ſit explanet. ſiq; altera definitio cum altera non conueniat,accidens ſublatum erit:ſi conueniat, confirmabitur. Præterea ambiguis ſi obſcura ſint,utendum erit : ſiq; in aliqua re conueniant, accidens confirmabitur : & ſi in aliquibus minime conueniant , infirmabitur : ut ſi dicat quiſpiam , Tragœdias ſcribere ſuaue eſt , hoc enim uerbum τραγῳδῶ , ambiguum eſt,quippe quòd canere, plorare, ac tragœdias ſcribere ſignificet : is uerò qui confirmabit,uti debebit ea illius uerbi ſignificatione,qua multi utuntur : qui uerò infirmabit,ea qua utuntur docti,& intelligentes uiri. Erit præterea io notius nomen commutandum , affirmandumq; , atque infirmandum. Dicat enim aliquis , Voluptas commoda eſt : commutabitur commoda , & utilis dicetur deinde ſi inciderit , refellendum erit : ſin minus , confirmandum. A genere item , & formis accidentis refutamus , & confirmamus. ut ſi dixerit quiſpiam,animam moueri, motus ueluti quoddã accretionis

& dimi

& diminutionis,immutationiſq;, ac loci mutationis genus ponatur : quòd ſi nulla moueatur, tollitur accidens:ſi quædam,aut Omnis cōfirmatur. Tēporis etiā ratio eſt habenda, propterea quòd ſi in aliqua eius parte non conueniat,infirmabitur:ſi in omni cōgruet,confirmabitur.Quemadmodū ſi dicatur,Id quod nutritur,augetur:niſi enim rationibus affirmetur id,quod aletur augeſcere,(Nā ſenes nutriūtur illi quidē,ſed nō augentur,)infirmabitur:ſiq; omnia,quæcunq; nutriuntur,augeri demonſtratū ſit,accidens confirmabitur.Iam uerò omnis,qui quiduis dixerit,multa quodā modo cōplexus eſt. Sunt igitur hæc animaduertenda:refellemus enim,ſi aliquibus non inſit:confirmabimus,ſi inſit. Quippe qui hominē dixit,animal quoq;, & rationis compos,& ridens dixit.Quòd ſi propoſita res hæc non habeat omnia,quod dictū eſt refellitur:ſi habeat,affirmabitur:ueluti ſi aurum bonū eſſe dicat quiſpiā,utile quoq; & frugiferum,& alia multa dixerit.Si itaq; hæc,uel ex eis nonnulla ineſſe fuerit demonſtratū, accidens confirmatur:ſi demonſtratum non ſit,infirmatur. Ex nomine etiam in orationē mutato ducuntur argumenta, affirmanturq;, & infirmantur:ut,ſiquis aiat,Regnum felix eſſe,& Regem felicem:nomē in definitionem commutabimus,& ſelix id eſſe dicemus,cuius animus bonus,& bonæ fortunæ particeps ſit:in regno autem accidens confutatur, quòd nullum animum regnum habeat:at in rege confirmatur, eo quod rex animum habeat. Cùm præterea res aliæ neceſſariò eueniant,aliæ plerunq;, aliæ raròo, aliæ prout ſors tulerit : in accidentis infirmatione uidendum erit,ſi quis ea,quæ raròo eueniunt,plerunq; fieri ponat, uel contrà:uel ſi neceſſariò fieri:ut ſi quis inglorios neceſſariò malos eſſe diceret,non enim neceſſariò mali hi ſunt,ſed plerunq; : alius etiam dicat, eos qui uerberantur dolere : plerunq; id fieri ponet, quod neceſſariò fit:itemq; alius dicat,eos qui meditationibus operam innauant,ut plurimum lætari,illud dixerit quod raròo,& in paucis euenit:hęc autem omnia ad accidens infirmandum pertinent.Si uerò proprio modo accidens ad rem adiungatur,magnum ad confirmandum afferet adiumentū.Quoniam autem Aduerſa ſex modis coniunguntur,quatuor ſolùm modis iuncta repugnantiā faciunt:nam Amicis benefacere,& inimicis malè,aduerſorū numero non habetur : ſunt enim hæc humani ingenii,manſuetiq; animi officia, unum enim & idem hæc habebit:nec illud De inimicis male mereri,huic repugnat,Benè de inimicis mereri : eundem enim hæc ſtatum decent, & unus atq; idē in iis ſeſe exercebit.Sed illud,De amicis bene mereri,illi contrarium eſt,De inimicis bene mereri : hocq;,Amicis male facere,huic Inimicis malefacere:atque hoc,Amicis benefacere,huic Amicis malefacere:poſtremò hoc,Inimicis benefacere,huic Inimicis malefacere:quippe quæ à contrariis moribus proficiſcātur. Ex quo perſpicuū eſt eidē data eſſe multa contraria:huic enim,Benefacere,duo ſunt cōtraria,uidelicet Amicis malefacere,& Inimicis benefacere:in unaquaque etiā coniugatione,ſimili modo fit.Erit igitur inſpiciendū,ex quo ex utriſq; oratio noſtra cōfirmetur,& ex quo infirmetur:ut quidā ait,Hic amicos diligit. Etenim inimicos quoq; odit:uel,Etenim inimicos quoq; diligit,accidēs is cōfirmat:infirmat uerò,ſi amicos amādo,uel eis malefacit,uel inimicis benefacit. Qui enim nō cognoſcitur dum inimicum odit,quonā modo in amico amādo dignoſcetur? Si præterea aliquod contrariū accidenti ſit, conſiderandū erit, an ſubiecta res illius ſit capax:nam ſi illius capax nō fuerit,neq; etiam accidentis capax erit:ſed ſi illius,cōfirmabitur quoq; huius capacē fore:non tamen quod ei rei acciderit, ſed quod accidere poſsit,ac res illud ſuſcipere queat:ueluti dicat quiſpiā,Virtutē albam eſſe, propterea quòd candor ſit nigrori cōtrarius : nam uirtus capax nigroris nō eſt,neq; igitur alba erit.Alius aiebat,Hunc lapidē album eſſe, lapis nigroris quidem capax eſt,ſed non ob eam cauſam albus erit,uerū probabitur tantūmodo candoris eſſe capacē. Ex Cōtrariis etiam ſumuntur argumenta ſic,Si ſcientia opinio eſt,quod ſub ſcientiam cadit,opinabile eſt : quòd ſi illud non ſit, neq; hoc erit.Id ex iis eſt,quæ cum aliquo cōſeruntur.Ex aduerſis aurē hoc modo:Si bonū utile eſt,malum noxium eſt:ſi illud non eſt,neq; hoc quoq;. Ex Priuationibus, & Habitibus hoc pacto:Si cæcitas nobis maculam inurit,aſpectus laudē tribuit:ſed ſi neq; cæcitas dedecus,neq; aſpectus ornamentū affert. Ex Aiētibus,& Negantibus ſic:Si diſcere bonū eſt,non diſcere non bonum eſt:quòd ſi illud nō ſit,neq; hoc erit. A Coniugatis & Caſibus. Coniugata dicuntur,quæ orta ab uno uariè commutantur:ut,Iuſtus,iuſtitia,& iuſtum: Caſus uerò eſt,iuſtè.Fortis.fortitudo,forte:caſus fortiter.Si igitur iuſtitia bona eſt,iuſtus quoq; & iuſtum, & iuſtè bona erunt:quòd ſi illa non ſit,neq; hæc erunt:atq; id reciprocatur. Simili quoq; modo in Fortitudine,& aliis uirtutibus liquet eſſe faciendū. Ducuntur etiam argumenta ab Ortu,& Interitu rerum, & ex Cauſis efficientibus,& corrumpētibus:quarū enim ortus in bonis eſt,eæ etiam in bonis ſunt : quarū uerò interitus in bonis ſint,res ipſæ in malis erunt.Atq; id retro dicitur:Si res ipſæ in bonis ſint,earum origo in bonis erit : ſi ipſæ in malis ſint, & earum euerſio in bonis erit. Si uerò ipſæ ſint in bonis , obitus & cauſæ euertentes in malis ſunt numerandæ. Ex his poſſumus accidens confirmare, & infirmare : ut ſi dicat quiſpiam,Virtus mala eſt : infirmandum id erit , ut uirtus non mala eſſe dicatur , nam eius ortus in bonis eſt: effectio enim bonorum uirtutis eſt origo. Deinde addemus uirtutis efficientia , & poſtea uirtutem non malam eſſe dicemus , propterea quòd uirtutis occaſus & euerſio , atque obitus in malis habentur. Eſt enim uirtutis interitus malorum effectio. Virtutem uerò corrumpunt malorum hominum familiaritates : atque horum confirmatio erit malorum hominum deſpicientia : propterea quòd hæc eſt familiaritatis interitus , & eorum , quæ bona uitiant,euerſio.eſt enim ſtudium interitus contemptionis, & deturbant illud ſtudium bona uerba , & adhortationes bonorum uirorum. A ſimilibus hoc modo : Si una ſcientia multorum eſt , ut medicina quæ & ægritudinis , & bonæ ualetudinis eſt ſcientia : una quoque opinio multorū eſt : cogitat enim aliquis uerum,& falſum,quæ multa ſunt. Valet id quoq; ad confutandū,Si una

non ſit

non ſit contrariorum ſcientia,neq; una erit contrariorū opinio. Scientia enim & Opinio quandam ſimilitudinē habēt:utræq; enim animi affectiones ſunt.& cognitionis uim nobis ſuppeditãt. Ex Maiore item & Minore ſumuntur argumenta,ſuntq́; ex maiore quatuor loci. Vnus,ſi maius ex maiore ſit conſequens, ſimplexq́; ſimplici ſubiecto accidat.ac ſi id ſit,illud etiam : ut ſi maiorem iniuriã facere maius malū eſt , & ſimpliciter iniuriã facere,ſimpliciter malum erit. Alter locus eſt, cùm una res ex duabus dicitur ſubiectis:infirmabitur enim ex maiori,& ex minori cōfirmabitur:ut Ratio magis laudanda eſt,quàm Diuitiæ. Si ratio celebrari laudibus nō debeat,nec multo magis diuitiæ.Ex minori uero cōfirmabitur ſic:Si diuitiæ laudãdæ ſunt,multo magis eſt laudãda ratio. Tertius eſt cùm duæ res cū una cōferuntur:ut,Ratio magis probãda eſt,quàm ad animã utilis:ſiq; probanda non eſt,id quod ad animã utile eſt, multo magis probandū non erit:ſiq; utilis propter animã ſit,multo magis laudanda erit. Extremus locus eſt,cùm duę res duabus cōparantur:ut Virtus magis utilis eſt,quàm Oratio laudanda ſit:uerùm ſi neq; uirtus utilis ſit,neq; oratio laudanda erit:ſi uerò laudanda erit oratio,longe maiorē utilitatē uirtus afferet. Ab iis, quæ eodē modo cōueniunt,tribus modis argumēta eliciuntur,prout expoſui de locis, quos ex maiore poſterius aſſumi dixi. Vel enim unū aliquid accidens duobus eodē modo cōueniet,eritq́; alterū uel refellens, uel confirmans,ut laudabile,& rationi & uirtuti eodē modo cōueniet,uel magis cōuenire uidebitur:quòd ſi uni, etiã alteri:ſi uerò unū laudabile non ſit,neq; alterū erit. Vel duo accidētia uni ſubiecto ſimiliter cōuenient:& ſi alterū conueniet,etiam reliquū:quòd ſi alterū non conueniat,ne alterū quidem conueniet: ut Ratio & bona & utilis ſimiliter uidetur:ſi bona,etiã utilis:ſiq́; utilis,etiã bona:quòd ſi bona non ſit,ne utilis quidē erit: ſiq́; utilis non ſit,nec etiam in bonis habebitur. Vel duo accidentia duobus eodem modo cōuenient, uniq; alterum ſi conueniat,reliquū quoq; reliquo conueniet:quod ſi alterū uni non conueniat,reliquū etiam reliquo non conueniet:ut orationi laus,& uirtuti utilitas conuenire uidetur:ſi oratio laudãda ſit, uirtus quoq; utilis erit.ſiq; uirtus utilis ſit,oratio itidem laudanda erit: quòd ſi oratio non ſit laudãda,ne uirtus quidem utilis erit:ac ſi uirtus nullam utilitatem afferat,oratio quoque nullas laudes merebitur.

LIBER TERTIVS.

De Comparatiuis quæſtionibus.

DIXIMVS ſupra Comparatiua ſub accidentibus conſtitui : ut Quid optabilius diuitiæ'ne, an oratio?Quid uenerabilius ſenectus inſana,an iuuentus prudens? & cætera generis euſdē: quorum hi loci ſunt. Ac primùm quidē diuturniora breuioribus anteponenda ſunt, ut eulogia ſtatuarum uictoribus,qualia ſunt apud Pindarum. Item quòd prudentes, aut uiri boni,aut leges rectæ anteponant,magis erit eligendum : ut Loquendi norma magis eligēda ſit, quàm licentia. Deinde anteponenda ſunt ea,quæ in genere ſuo inſunt iis,quæ non ſunt:ut,Iuſtitia iuſto uiro:Iuſtitia enim in genere bonorum eſt,iuſtus autē uir non eſt.Quod etiam propter ſe expetitur eo, quod propter aliud anteponitur : ut Valetudo uenæ inciſioni, quoniam illa propter ſe, hæc propter aliud expetenda eſt. Et quod propter ſe eu,quod caſu : ut,Amicos iuſtos eſſe : huic, Inimicos iuſtos eſſe. nam amicos iuſtos eſſe per ſe optamus, ſunt enim amici , quibus omnia bona cupimus euenire. Inimicos uerò ob aliud quippiam iuſtos eſſe optamus , ut uidelicet , ne nobis noceant. Magis etiam eligendum erit quod in re meliore ineſt : ut , in homine uirtus,& in equo curſus: Virtus igitur curſu præſtantior eſt,propterea quòd homo eſt equo longe melior. Fines item iis, quæ ad finem conducunt : ut, Valetudo medicamentis : nam ex duobus , quod ad finem propius accedit , anteponendum eſt : ea enim , quæ ad finem pertinent , partim propinqua ſunt , partim longinqua : ut in iis , quæ purgationem præcedunt , & ipſis medicinis liquido apparet. Medicina igitur iis,quæ purgationem præcedunt,pręponetur. Quæq́; ad uitæ finem pertinent,iis quæ ad alium aliquē præponenda ſunt:ut Virtus diuitiis. Beatitudo enim humanæ uitæ finis eſt,ad quam uirtus refertur. Diuitiæ uerò ad uagam uolubilemq́; fortunã. Ex duobus etiam efficientibus,cuius finis melior ſit,id erit præſtantius:Medicamentū enim bonæ ualetudinis efficiens eſt, & Exercitatio firmę corporis affectionis,firmaq; corporis affectio ualetudine melior eſt,& exercitatio medicamēto melior erit. Ex efficiētibus,& finibus proportione concludendū eſt ſic: Cùm finis pluribus partibus fini præſtat,quàm illæ ſuæ efficienti cauſæ: ut ſi beatitas pluribus partibus ualetudinē ſuperet,quàm ualetudo id,quod ualens eſt : ſequitur,ut efficientia beatitudinis ualētia & ſalubria uincant. Habeat enim beatitudo ad bonum partes duodecim,beatitudinis autem efficiens octo partes ad bonū habeat,partes boni beatitudinis partiū boni efficientis beatitudinem,erunt ſeſquialteræ : ualetudo quoq; ſex boni parteis habeat,quod ſi finis ad finē,beatitudoq́; ad ualetudinē comparetur,bonū ex ratione duplum erit:efficiens præterea ualetudinis , hoc eſt ſalubris cibus quatuor boni partes contineat ita , ut ualetudo ſit efficientis ſeſquialtera. Comparamus uerò ualetudinem & beatitudinem efficiens : cumq́; beatitudo pluribus partibus ualetudinem,& finis finem,quam ipſa beatitudo propriū efficiens,ſupereſt(huius enim erat ſeſquialtera,& ualetudinis dupla,)efficiens beatitudinis erit ualetudine melius. Illud etiam magis eligendū eſt, quod maius bonum conſequitur:nam uirtutē fortitudo,& opinio orationē ſequitur : Virtus igitur magis eligēda eſt, quã oratio. Quod itē per omne tēpus ętatis plus poteſt,eo quod aliquãdo,utilius eſt,ut panis peponibus : ſiquidē pepones in hyeme inutiles ſunt. Quod magis inſigne eſt,minus inſignibus anteponitur,ut diuitiis ratio.

Antepo

Anteponũtur etiã ea,quæ difficulter parãtur.illa enim ſunt nobis chariora,quæ nõ facilè acquirimus.Suũ quoq; cõmunibus eſt præſtantius,ut diuitiæ,uel opinio,uel ratio ſortitudine in bello:hæc enim magis propria ſunt.Si uero ſtrenuè in bello ſe gerat quiſpiã,id habebit ſorſitã cõmune cum multis. Quæq; cũ amicis cõmunicare licet,iis quæ nõ licet.Quæ in amicos pręſtare magis cupimus,iis quę iu quęuis,ut officioſi eſſe, & bene mereri ab amicis optamus , quàm officioſi uideri, & benemereri. Non neceſſaria ſunt Neceſſariis meliora,& quãdoq; magis expetenda:nam benè uiuere præſtat,quàm uiuere:propterea quòd bene uiuere neceſſariũ non eſt,& uiuere neceſſariũ.Interdum etiã meliora non magis experũtur:non enim ſi quid melius,propterea id neceſſe ſit magis eſſe expetendũ.Philoſophorũ enim uita cũ eo genere uitæ, cuius omne opus eſt in pecuniis quęrẽdis,eſt melior,ei tamẽ,cui res ad uictũ neceſſariæ nõ ſuppetunt,non eſt magis expetenda.Non neceſſaria ſunt,cùm retũ neceſſariarũ ſuppetit copia,& alia præterea quędã honeſta comparantur:ac forte quidẽ neceſſaria magis eligenda ſunt,non neceſſaria uero meliora. Quę itẽ ſine aliis expeti poſſunt,iis quæ niſi aliis coniuncta non expetuntur : quemadmodũ uires corporis ſine prudẽtia non expetuntur,prudẽtiaq; ſine uiribus expetitur.Si è duobus unũ in nobis eſſe diſsimulemus,ut alterũ in nobis uideatur eſſe,illud erit præponendũ,quod in nobis eſſe uideri uelimus:ut negamus nos eſſe laborioſos, ut bono ingenio præditi eſſe uideamur.Ex iis,quæ in eodẽ genere ſunt,quod propriã uirtutẽ habet,alteri, quod ea caret,anteponitur:ut ferreus gladius,ei qui inauratus ſit,quiq; nõ ut oportet,incîdat. Ex iis autẽ,quibus utriſq; ineſt,id,in quo maior eſt uirtus.Quæ bonũ efficiunt eum,in quo ſint,iis quę nõ efficiunt:ut calidius id eſt quod calefacit,eo quod nõ calefacit.Ratio quoq; diuitiis anteponenda eſt:quippe quæ meliorẽ eum, in quo eſt,efficiat.quàm diuitię:nam diuitię eos,in quibus ſunt,& iniurioſos,& perpugnaces efficiũt. Ex caſibus etiã & uſibus,actionibus,& operibus loci ſumuntur,& quæ ab illis orta ſunt,concluduntur:ut ſi id, quod iuſtè fit,eo quod ſortiter fit,anteponendum ſit,iuſtitia fortitudini præponetur:ſiq; uſus,atq; actio huius melior ſit,id erit hoc melius,ut pictura gladio,propterea quòd picturæ opus eſt in pingẽdo,gladii uerò, in trucidando. Diuiſio etiam rerum expetendarum nobis argumentandi copiam ſuppeditabit. ut res omnes utilitatis uel honeſtatis,uel uoluptatis cauſa expetendas eſſe:quibus enim ad plura utimur,iis quæ ad unum utimur,anteponenda ſunt : ut potio medicinæ dulcis,potioni amaræ præponitur.

LIBER QVARTVS.

De quæſtionibus quæ ad genus pertinent.

QVAESTIONES, de quibus diſſeruimus , earumq; confirmationes , & infirmationes ex accidente ſunt:deinceps eas,quæ ad genus pertinent,ac quomodo reprehendantur,& confirmentur,dicemus. Primùm omnium cognata ei quod dictum ſit,uidenda ſunt, an de aliquo eorum genus conſtitutum non dicatur:nam ſi de illo non dicatur,genus non erit : ſi uerò de illo dicatur,genus erit illud quidem,ſed in quæſtione,qua quid ſit res exquiritur, non dicetur:ut quidã Voluptatis genus Bonum conſtituit : quod ſi aliqua uoluptas nõ ſit in bonis,certè uoluptatis Bonũ non eſt genus. Deinde ſi in quæſtione, qua quid quicq; ſit,exquiritur, nequaquã dicatur,non erit genus:ſi dicatur,erit:ut,dixit quiſpiã Ridens hominis genus eſſe,ſed propterea quòd in hominis natura inueſtiganda nõ dicitur,genus nõ eſt:ſi uerò Animal dixeris,quia dicitur in natura hominis indagãda,genus hominis erit:Præterea ſi non in eadẽ diuiſione genus & ſpecies numerata ſint,id quod poſitũ fuit,genus nõ eſt:ſi in eadẽ ſint,erit:ut,dictũ eſt à quodam:Scientiã eſſe hominis genus:ſed ſcientia ad Qualitatẽ,& homo ad Subſtantiã pertinet. Tum poſitũ genus eſſe ſpeciei,quæ poſita eſt, particeps:definitio autẽ participandi eſt,eius quod cõmunicatur recipere definitionẽ:ueluti,Homo eſt animalis particeps,eo quòd animalis recipit definitionem:homo enim eſt natura animata ſenſus particeps.Animal uerò hominis particeps non eſt. Spectare igitur debemus,particeps'ne ſit genus id,de quo agitur,ſpeciei,quę ei ſubiecta ſit:hinc enim genus infirmatur.ſi uerò particeps minime ſit,ſpeciesq; magis,quàm genus particeps exiſtat,quod poſitũ erit, genus erit : ut,quidam eius quod eſt,Aliquid genus tradidit. Neceſſe igitur eſt, ut illud eius quod eſt, particeps ſit : illud enim quod eſt, in rebus,quæ ſunt, intelligitur : ita ſit, ut infirmetur genus. Quòd ſi id, quod inferius eſt,eius quod ſuperius eſt,particeps ſit:quod ſuperius eſt,genus erit, propterea quòd eius definitionem recipit. Præterea ſi ſpecies propoſita in aliqua re uerè dicatur, genus non dicetur : de eo enim , in quo ſpecies dicitur,genus quoque dicetur,non tamen reciprocatur enunciatio, cùm de eo,in quo genus dicitur, ſpecies minimè dicatur:Animal enim de equo dicitur,homo uerò non item. Conſiderandũ igitur eſt,num quidnam tale quippiã eueniat,ut genus infirmetur. Dicet enim fortaſſe aliquis, id quod eſt opinabilis genus eſſe:ita fieret,ut opinabile de iis,quæ nulla ſunt,diceretur.Sed id quod eſt,de eo quod non eſt, nõ dicitur:de eo enim,quod non eſt,opinabileq; eſt,opinionem habemus,non ut ſit,ſed ut non ſit : nam quod non eſt,nullo modo eſſe poteſt id quod eſt. Si uerò & homo de Socrate , & animal de Socrate dicitur, Animal hominis genus erit. Præterea, num id quod in genere poſitum ſit, particeps eſſe nullius formæ huiuſmodi generis poſsit?ut,quidam Motum uoluptatis genus conſtituit:quòd ſi uoluptas neq; accretionis, neque diminutionis , neq; immutationis , neq; loci mutationis , neq; ortus , neq; interitus particeps ſit, (hæc enim ſunt motus ſpecies.)quonã modo uoluptas ſub motu cõſtituetur? fieri enim non poteſt, ut generis ſit particeps id,quod nullius formatũ eſt:quemadmodũ quia homo animalis particeps eſt, unius etiã ſpeciei ani-

malis

malis particeps erit:eiuſq; uel animalis ratione utẽtis,uel rationis expertis. Ex eo igitur,quod ratione utentis particeps eſt. animal erit hominis genus. Præterea num ſpecies, quæ dicta eſt, in pluribus, quàm genus intelligatur:ut ſiquis dicat,id quod eſt opinabilis genus eſſe:nam opinabile in pluribus, quàm id quod eſt, dicitur.quãdoquidẽ id quod eſt,& quod nõ eſt,in opinione cõſiſtit. Num præterea genus in tot rebus,quot forma dicatur:ſemper enim ad plura genus,quàm ſpecies pertinet: ueluti ſi Id quod eſt, genus eſſe Vnius: uel Vnum eſſe genus Eius quod eſt,ponatur.utraque enim in rebus æqualibus dicũtur. Omne enim quod eſt,unum etiam eſt: & omne unum.id etiam exiſtit, quod eſt. Animaduertendum etiam eſt, an ſit aliquod genus eius ſpeciei,quæ data eſt,quod nec genus poſitum contineat,neque ſub illo ſit ſubiectũ. Corui enim genus & Animal,& Auis dicitur:ſed auis ſub animali ſubiecta eſt. Quòd ſi genus non ſit,uel nõ contineatur,uel non cõtineat propoſitum genus,ipſum genus infirmabitur:ſi uerò aut cõtineat,aut ſub ipſum ſubiectum ſit,confirmabitur: ut,ſiquis Iuſtitiæ genus eſſe Scientiam poneret:nam Virtus quoque eius genus eſt: ac ſcientia uirtutem non continet,nec uirtus ſcientiam,propterea genus infirmatur. Si etiam perſpicuum erit propoſitum genus ſpeciei conuenire,dubium autem ſit,conueniat'ne ut genus,ſatis erit docere,aliquod eorum generum,quæ ſupra ſunt,dici de ſpecie in quæſtione,qua quid res ſit,exquiritur:atq; hac ratione confirmabitur genus traditum ita dici. Sin genus propoſitum omnino conuenire in dubium ueniat,non ſatis erit docere,aliquod generum quæ ſupra ſunt,in quærenda natura dici de ſpecie:ut,ſiquis Ingreſſui genus dederit Delationem: nõ ſatis eſt docere,ingreſſum eſſe motionem,ut ingreſſum delationem eſſe probemus: propterea quòd alii quoq; motus ſint:ſed prius docendum eſt,ingreſſum nullius eorũ,quæ in eadem diuiſione collocantur, niſi loci mutationis eſſe participem: nam quod definitionis generis particeps eſt, definitionis etiam alicuius formarum, quæ prima diuiſione continentur, particeps ſit neceſſe eſt. Quod ſi ingreſſus nec accretionis,nec diminutionis,neq; aliarum motionum definitionem ſibi aſciſcat, delationis profectò particeps erit: ita fiet, ut Ingreſſus Delatio genus ſit. Iam illud etiam conſiderandum eſt,an differentiam pro genere tradiderit errore ductus, quod differentia perlatè patens dicatur: ut, ſiquis Immortale Angeli genus dixerit eſſe. Neq; enim ſolum oportet genus ſupra eſſe quàm ſpecies ſit,ſed etiã dici in naturæ quæſtione. Illud etiam , an genus in formarum numero repoſuerit: ut ſi poſuerit quiſpiã Continuationem pro contiguitate, uel Temperationem pro permiſtione. continuatio enim potius contiguitas eſt,& temperatio permiſtio,quandoquidem non omne quod aptatur, continuatur, ſed quod continuatur,coaptatur:neq, omnis permiſtio temperatio eſt,ſed omnis temperatio eſt permiſtio: ſiquidem permiſtio & in humidis,& in ſiccis latius patet. Genus etiam infirmatur,ſi cum ſpecie aliquid communicetur, quod iis,quæ generi ſubiecta ſunt,conuenire nullo modo poſsit: ut ſiquis quemadmodum Xenocrates itidem inquibat, Animam numerum diceret. anima quidem eſt uitæ particeps , & nullus numerus par , uel impar quicquam habet cum uita commune. Præterea ſiquid contrarium ſit ſpeciei, conſiderãdum erit, ſi id ſub eodem genere ſitum ſit,ſub eo etiam,quod generi contrarium ſit fore clarum eſt, modo genus habeat contrarium. Contraria enim uel ſub eodem genere ſunt,ut candor & nigror ſub colore:uel ſub cõtrariis generibus,ut iuſtitia ſub uirtute,& iniuſtitia ſub uitioſitate. Quòd ſi ita ſe res habeat, genus confirmabitur: quod ſi contrarium poſitæ ſpeciei neque ſub eodem genere , neque ſub eo, quod generi contrarium eſt,exiſtat,genus reprehendetur, A caſibus etiam & coniugatis ſumuntur argumenta:ut,ſi Honeſtè genus eſt Fortiter: Honeſtas quoque Fortitudinis genus erit: ſiq; hoc ſit, illud etiam erit: atque id à caſibus ducitur, A coniugatis uerò ſic: Si Scientia eſt Fortitudinis genus: ſciens quoque eſt Fortis genus: ſiq; illud huius genus non ſit,neq; hoc illius. A ſimilibus hoc modo: Eandem habet rationem id,quod iucundum eſt,ad uoluptatem,quam id,quod utile eſt,ad bonum:ſi quod iucundum eſt uolupratis genus eſt,utile etiam erit boni genus: ſiq; hoc illius genus non ſit, nec hoc illius erit: Eandem enim rationem habet id quod iucundum eſt ad uoluptatem,quam id quod utile eſt ad bonum, ſiquidem utrunq; utriuſq; efficiens eſt. Errant etiam ii, qui habitum eſſe uim ex habitu conſequentem ſtatuunt:ut Clementiam ſub continentia,& eam definitione explicantes,iræ continentiam eſſe aiunt: hiq; Continẽtiam pro genere,& Iram pro differentia ſumunt: dicunq; Fortitudinem & Iuſtitiam eſſe metus,& lucri continentiam: nam Fortis & Clemens uacuus à perturbationibus dicitur, & Continens is, qui in perturbatione eſt, neq; ab ea uincitur: ac fortaſſe talis uis ex utroq; conſequitur, & ſi quis ſit in perturbatione, ab eaq; non uincatur: uis tamen illa non erit genus, quandoquidem genus una ratione de ſpecie dicitur. Illi quoque errant, qui aliquid eorum,quæ duplex genus habent,ad alterutrũ referunt: quo in genere ſunt Impoſtor & Calumniator: neq; enim is impoſtor aut calumniator habendus eſt,qui uult,nec poteſt:neq; is,qui poteſt, neq; uult. Ita fit,ut ea,quę poſita ſunt in utroq; genere collocanda ſint,ne genus infirmetur. Iam uerò ſi nullius ſit genus id quod datum eſt,conſiderandum erit: genus enim duorum ad minimum eſſe debet: quòd ſi alterius genus ſit, illius quoq; quod ex propoſita ſpecie contra diſtinguitur, genus erit. Ex maiore etiam, & minore elicere argumenta poterit is,qui refellit,ſi genus acceſsionem capiat,& ſpecies non capiat,nec ipſa capiet,neq; quod ab ea deductum eſt:ut,ſi Virtus ex ſubiectione capit incremẽtum, etiam Iuſtitia & Iuſtus capient,id enim eſt quod ab ea natum eſt: quòd ſi genus acceſsionem & deceſsionem capiat, ſpeciesq; non accipiat,genus infirmabitur. Eſt etiam alius locus,ſi id quod magis,aut æquè genus uidetur,non eſt genus; uel id quod magis aut æquè uidetur ſpecies,non eſt ſpecies,neq; illud erit, quod minus uidebitur:cuius loci in iis,in quibus multa de ſpecie dicuntur in naturæ quæſtione, neq; explicatum ſit, quod genus exiſtat,

uſus

uſus eſt maximus: ut de ira,& dolor,& opinio,& contemptus. Hunc uerò locum ita tractabit is,qui infirmabit:ei autem,qui confirmandi partes tenebit,ſi traditum genus & ſpecies magis & minus ſuſcipiant,hic locus nihil ad argumentandum ſuppeditabit:nam & Candor & Honeſtas acceſsionem capiũt,nec alterum alteri genus eſt. Sed ſi fiat generum & formarum inter ſe comparatio, magnam argumentorum copiam ſuppeditabit, ut ſi huius & illius generis eadem eſt ratio,alterumq́; genus eſt,alterum etiam erit. Idem ex minore & maiore efficietur:ut ſi continentiæ uis magis quàm uirtus genus eſt: ſi uirtus genus ſit,uis etiam magis erit genus.

LIBER QVINTVS

De quæſtionibus quæ à proprio ducuntur.

QVæſtiones Generis quæ ſint,ſatis ſit dictum: quæ uerò de Propriis oriuntur, confirmantur, & infirmantur hoc modo. Ac primum quidem uidendum eſt,an rectè,necne explicatum ſit Proprium:ac ſi ex rebus notioribus expoſitum ſit, aptè:ſi ex rebus magis inuolutis,non erit commodè propoſitum: ut qui poſuit ignis proprium eſſe proximè ad animi ſimilitudinem accedere, is ſanè non ex magis perſpicuis proprium expoſuit: at qui proprium ignis eſſe dixerit,facillimè moueri,is planius proprium explicarit. Illud etiam, ſiquod uerbum eorum,quæ ad proprii explicationem adhibeatur,multis modis dicatur, minus aptè poſitum erit proprium:ſi ſecus res ſe habuerit,erit aptè explicatum:ut ſi dicatur,eſſe proprium animalis Sentire,quod plura ſignificat: unum,habere ſenſum:alterum,uti ſenſu:minus aptè proprium dicitur. At ſiquis corporis eſſe proprium diceret tribus dimenſionibus eſſe præditum,cùm neq; corpus ambiguum ſit,neq; aliquod uerbum ex iis,quæ in proprio ſunt,propriũ commodè poneret. Si pręterea ſubiectum ambiguũ ſit,ita quoq; non aptè proprium erit explicatũ. Iam illud refutanti uidendum eſt, num idem in proprio ſæpe repetatur,ita enim efficitur, ut obſcura ſit oratio:ut ſi quis dicat,Ignis proprium eſſe Corpus leuiſsimum corporũ, bis corpus dicet. Num præterea quis nomen commutet,remq́; obſcuret:ut ſiquis terræ propriũ dicat eſſe ſubſtantiam, quæ naturaliter fertur celerrimè corporum deorſum:ſubſtantię nomen iterauit,ſiquidẽ corpus nihil aliud eſt,quàm ſubſtantia. ſi uerò nullo uerbo eodem ſæpe utatur, propriũ erit rectè tributũ. Alius locus in refutatione eſt:ſi tale aliquod uerbũ in proprio conſtitutum ſit,quod rem à nulla alia re diſtinguat. quod enim in propriis traditur,debet ſeparare,ut ſi terræ propriũ tribuat,eſſe rem,quæ fertur deorſum,propriũ rectè expoſitum non erit:quòd ſi ab aliquo ſeiungat,proprium erit rectè datum. Eſt etiam locus in refutatione, ſi uel eo utatur,cuius proprium tradit,uel aliquo eorum,quę ſunt ei attributa:ſi enim eo utatur,cuius proprium explicat,eadem res erit pari modo inuoluta,propterea quòd proprium cognitionis gratia inuentum eſt: ſi eorum aliquo,quæ ei tribuuntur,eo modo non rectè proprium ponit,quoniam id eo eſt poſterius. Aliqua enim pars poſterior eſt uniuerſo: ut ſiquis proprium animalis ponat Subſtantiam,cuius Homo ſpecies eſt: is aliqua re earũ,quę animali tribuũtur,uſus eſt. Sed ſi neq; eo,neq; aliquo eorũ,quã ei tributa ſunt utatur, propriũ rectè ſtatuetur. Quod quidẽ fiet,ſi animalis propriũ ponamus,quod conſtat ex animo & corpore. Vidẽdum etiã,an quippiam contrariũ,aut quod ſit omnino ſimul naturæ ordine, ſtatutũ ſit:hęc enim rem nihilo magis aperiunt:ut ſiquis albi propriũ dicat,nigro eſſe contrariũ:& eius quod rationis compos eſt, ei quod rationis ſit expers:ſi uerò iis non utamur,propriũ rectè explicabimus. Præterea ſi ꝙ nõ ſemper ſequitur ſtatuemus propriũ, non erit proprium commodè explicatum. ut ſi quis propriũ alicuius ponat Inambulare in foro:non enim ſemper inambulat,neq; commodũ eſt,ut ſemper inambulet in foro, interdum etiam inuitus excluditur:ita fit,ut non ſemper ad id aptus naturaliter dicatur. Quòd ſi eo,quod nõ ſemper ſequitur,non utamur,propriũ rectè explicabimus:ut ſiquis Virtutis propriũ dicat,eum,in quo ſit,bonũ efficere. Refutabitur etiã ſi quis tale propriũ ponat,ꝙ conuenire aliter,quàm ſenſu perſpici non licet. Omne enim,quodcunq; mouet ſenſum,ſi extra ſenſum ſit,obſcurũ eſt:ut ſiquis Solis eſſe propriũ dicat,aſtrũ ſplendidiſsimũ,quod ſupra terram fertur:is eo proprio utitur,quod ſenſu cognoſcitur,ac propterea incommodè proprium ſtatuit. cõfirmabitur uerò,ſi eiuſmodi propriũ ſit ſtatutum,quod uel ſenſui non ſit perſpicuum, uel quod ſenſum non moueat,ſemper tamen neceſſariò conuenire non perſpiciatur,clarumq́; ſit:neq; enim cùm Sol occiderit,rectè proprium erit conſtitutum, quemadmodũ etiam extremitatis proprium quis ponat,quod primũ colore inficitur:corpus enim colore inficitur,ſed ꝓpter aliud primũ,extremitatẽ dico ſenſu:enim ſemper cognoſcitur illud quidẽ,ſed non ſemper clatũ eſt. In refutatione uidendum erit,an proprium ſtatutũ ſit,cuius nihil quid res ſit explicet:quemadmodum cum rem definitione explicamus,genus adhibemus,ita propriũ pronunciantes genus adiũgimus,quod ſanè in natura inueſtiganda dicimus:ut Hominis propriũ ſit ad riſum natũ eſſe:Genus quoq; erit dicendũ hoc modo,Animal ad riſum natũ. ita enim propriũ rectè datum erit:ut,Hominis propriũ eſt,Animal ſcientię & cognitionis capax. Vtrum autem rectè,an minus,Proprium ſit datũ,ex iis,quæ diximus,intelligi poteſt. Vtrũ uerò propriũ ſit, nec ne,deinceps conſiderabimus. Primũ quidem in refutatione conſiderandũ eſt unumquodq;,cuius proprium datum ſit:ſi de aliqua parte diſſentiat,propriũ non erit:ut ſi de Geometra dicatur,eũ nulla ratione falli poſſe:(Fallitur enim in falſa deſcriptione perſæpe)id,Nulla ratione falli poſſe,non erit geometrę propriũ Quod ſi in iis quoq;,quæ huiuſmodi ſunt,nõ diſcordet, erit propriũ quod poſitũ eſt eſſe propriũ:ut ꝗa Deorſum ferri

in omni terra uerè dicitur, eo terræ propriũ erit, Ferri deorſum. Sequitur locus in refutatione, ſi de quo oratio, non etiam nomen uerè dicitur, & cùm de quo nomen, non etiam uerè dicitur oratio: nomen enim ſubiectum eſt, & oratio proprium. Rarò enim, uel ut melius dicam, nũquam uno modo dicitur Proprium: quandoquidem ut ſuprà dixi, ſub genere cõſtituitur: ut ſi quis igni propriũ ponat, id quod ardens eſt, ignis uerò de luce uerè dicitur, & lux ſanè ignis dicitur. at ardens non uerè dicitur. Si uerò de quo nomen etiam oratio, & de quo oratio, nomen etiam uerè dicatur, quod proprium poſitum eſt eſſe, propriũ erit: ut ad ſcientiam percipiendã natum hominis proprium ſit: omnis enim homo, homo eſt: itemq; omnis ad ſcientiam percipiendam natus. Sequitur locus in reprehenſione, ſi quis per communicationem proprium tradat: nam & genus, & differentiæ per communicationem dicuntur, ut ea, quæ in ſubiectæ rei ſubſtantia cernuntur: ut ſi quis hominis proprium dicat eſſe id, quod rationis particeps eſt, nõ erit proprium: quòd ſi id dixerit, quod uiciſsim retro commeat, proprium dixerit: ut ſi dicat, animalis eſſe proprium Naturaliter ſentire, nihil enim aliud præter animal ſentit. Refutationis etiam locus eſt, cùm eorundem, quia eadem ſint, non eſt idem proprium: ut Stragulum idem quod Veſtis eſt: dicet enim aliquis, ueſtis proprium eſſe, ut calefaciat, quod ſane alicui ſtragulo hoc eſt tenuiſsimæ ueſti non cõuenit: contrà, quia Homo & Vir iidẽ ſunt, Ridens erit eorum utrorunq; proprium. Sunt præterea nõnulla, quæ & per ſe, & per aliud primùm dicuntur. Si uerò proprium dederit, quod ad aliquid aliud refertur, is qui infirmãdi partes obtinebit, inquiet hoc proprium per ſe eſſe: ſi per ſe primùm dederit, dicendum erit, hoc propriũ alterius in alio intelligi, atq; hoc pacto refellendum. quia inquã extremitatis & corporis proprium eſt, colore infici, extremitatis autem ex ſeſe, & corporis propter extremitatem, ſi extremitatis proprium ponat colore infici, etiam colore infici in corpore dicetur: quod ſi in corpore, etiam in extremitate. Siq; his utriſq, conueniat, id erit uerè proprium, ut ſcientiam adipiſci, & homini, & ſingulis hominibus. In refutatione proximus erit locus, ſi totius proprium in parte uerè non intelligatur, & proprium partis in toto uerè non dicatur, ut qui Maris proprium eſſe dicat Salſum: non de toto mari dicet, quandoquidem aquæ quæ prope littora ſunt, dulces comperiuntur. Si quis etiam aëris eſſe proprium dicat, quod reſpirari poteſt, de toto aëre non intelliget: ſed de eo ſolùm, qui eſt terræ proximus: itaq; infirmatur proprium. At ſi proprium in utroq; uere dicatur, proprium erit, ut ſectio infinita conuenit coniunctæ quantitati. Ex contrariis etiam ducuntur argumenta. ac primùm ex iis, quæ ſub eandem cadunt rationem, quia dupli proprium eſt Multum, Medii proprium erit Paruum: ſiq; illud non ſit, neq; id quidem erit. In cõtrariis uerò ſi Boni proprium eſt, Animo gaudere: Mali Dolere proprium erit: ſiq; illud minime ſit, ne hoc quidem erit. In his, quæ ad priuationem, & habitum pertinent, quia Cæcitatis proprium eſt, uehementer dolore affici: Aſpectus proprium erit, lætitia uehementer perfundi. ſiq; illud illius proprium non erit, neque id huius proprium exiſtet. In aientibus etiam, & negantibus: ut quia uiuendi proprium eſt ſentire, non uiuendi proprium erit, nihil ſentire.

Præterea à caſibus eliciuntur argumenta: ut ſi eius, quod fortiter fit, proprium eſt pręclarè fieri, id quod præclarum eſt, erit fortitudinis, & fortis genus. Caſum quoque ex iis infirmabis, ſi alterum alterius cauſa non fiat, neque huius cauſa id fiet. Loci, qui à ſimilibus ducitur, talis uſus eſt in refutatione. Si ſimile ſimilis proprium non eſt, nec ſimilis ſimile proprium erit: ut architectus eandem habet rationem ad domum conſtruendam, quam medicus ad ualetudinem efficiendam: efficere autem ualetudinem medici proprium non eſt, ne architecti quidem extruere domum erit proprium. In confirmatione uerò huius loci talis eſt uſus. Si medicus eandem habeat rationem ad ualetudinem reſtituendam, quam præfectus gymnaſii ad firmam corporis conſtitutionem efficiendam, ſitq; proprium gymnaſii præfecti uim habere ad firmam corporis conſtitutionem efficiendam, erit etiam medici proprium eſſe ualetudinis effectorem. Præterea ex iis, quæ eodem modo affecta ſunt, in reprehenſione ſumuntur argumenta hoc pacto. ſi id quod eodem modo ſe habet, eius quod eodem modo ſe habeat, proprium non exiſtat, neq; id, quod eodem modo ſe habet, eius quod eodem modo ſe habeat, proprium erit: ſiq; hoc ſit, illud etiam. ut ſi eodem modo prudentia affecta eſt ad honeſtum, & turpe, quod eorum ſit ſcientia, prudentię autem proprium non eſt ſcientiam honeſti eſſe, non erit profectò prudentiæ proprium turpis ſcientiam eſſe: ſiq; alterum ſit, erit alterum. Prę terea ſi id, quod ad naturam refertur, eſt eius quod ad naturam refertur, proprium, id quoque quod ad originem & interitum pertinet, erit eius, quod ad originem & interitum pertinet, certè proprium: ſi uerò id poſtremum ſit, illud etiam erit, quod priore loco propoſueramus: ſiq; illud non ſit, neq; hoc quidem erit: ſiq; hoc non ſit, neq; illud erit: ut exempli cauſa, quia ortus ſanguinis eſt animalis proprium, ſanguinis interitus erit animalis interitus proprium, & ſtatus proprium ſtatus: ſiq; id minime ſit, cætera itidem non erunt. Iam ex maiore & minore quatuor modis argumenta ducuntur: quorum primus tractatur hoc pacto: Si quod maius eſt, maioris proprium non eſt: neq; id quod omnino dicitur, ullius eiuſdem generis, nec deniq; quod minus eſt, erit minoris proprium: ſiq; illa ſint, hoc etiam erit: ut quia ignis proprium eſt, ſurſum ferri, eius quod magis ignis ſit, magis ſurſum ferri proprium erit: ac ſi id ſit, illud etiã: ſi uerò illud non ſit, neq; hoc etiã erit. Alter locus eſt talis: Si quod habet elationẽ alterius, eiuſdem generis proprium non eſt: quod habet ſubmiſsionem, non erit ullius, quod ſit generis eiuſdẽ, proprium. Huius loci ex minore uſus eſt in confirmatione ſic: Si id, cui illud minus adiungitur, alterius, cui idem adiũgatur, propriũ ſit: id quoq; cui magis additur, alterius cui idẽ addatur, propriũ erit: ut quia animalis magis propriũ eſt ſentire, quàm hominis ſcire: ſi ſentire non eſt animalis propriũ, neq; ſcire proprium hominis erit: quòd ſi ſcire propriũ ho

minis

minis ſit,multò magis ſentire propriũ animalis erit. Tertius locus habetur hoc modo: Si quid eius, quod magis proprium eſt,non eſt proprium:eius etiã,cuius minus proprium eſt,proprium non erit:ut ſi colorari magis proprium eſt ſuperficiei,quàm corporis,nec ſuperficiei proprium eſt,non erit corporis proprium. In cõfirmatione nullus eſt huius loci uſus,propterea quod idem multorum proprium eſſe nullo modo poteſt. Quartus locus talis eſt:Si quod magis proprium alicuius uidetur,id nõ eſt eius propriũ:nec id quod minus proprium uidetur,eius proprium erit:ut ſi magis proprium animalis eſt ſenſu percipi,quàm in partes ſecari: & animalis non eſt proprium ſenſu percipi,non erit proprium animalis in partes ſecari. Si uerò quod minus eſt alicuius proprium,id eius propriũ eſt:id quoq;,quod magis proprium eſt,eius propriũ erit.

Ex iis præterea,quæ æqualiter conueniunt, argumenta eliciuntur hoc modo:Si æquè propriũ eſt partis animi,in qua uoluptates ſunt,appetere,atq; eius,quæ rationis eſt,particeps,ratiocinari, & appetere non eſt eius partis,in qua uoluptates uerſantur,proprium,non erit etiam eius,quæ eſt rationis particeps, ratiocinari. Deinde ex iis,quæ alicui æqualiter conueniunt hoc pacto:Si unum illius proprium non ſit, neq; alterum erit:ut,ſi cernere æquè ac audire eſt hominis proprium, ſed alterum hominis proprium non eſt,ne alterum quidem erit:quod ſi alterum ſit,alterum etiam erit. Tertiò,Si id,quod duobus æquè conueniat, alterius proprium non ſit,alterius itidem non erit:ut ſi incendere æquè proprium eſt flammæ,ac prunarum:& incendere non eſt flammæ proprium,prunarum profectò proprium non erit. Atque huius loci nullus uſus eſt in confirmatione,cùm præſertim proprium duobus conuenire nullo modo poſſit.

LIBER SEXTVS.

De Locis definitionis.

VT tractationem locorum definitionis cognitam habeamus:in primis,an minus aptè,an benè res definita ſit:deinde,an definita non ſit,an definita ſit,uidendũ eſt. Primus locus eius,quod minus aptè definitũ eſt,erit,ſi obſcura interpretatione utamur:quòd ſi aperta utamur,erit bene definitum. Deinde ſi ad aliam rem definitio transferatur,ueluti ſi ad hominis definitionẽ rectè ambulare adiungeretur. Si uerò neq; abſit quicquam,neq; ſuperſit,cõuenienter definitum erit: Præterea ſi uerbum,quod in definitione eſt,ambiguum erit:ut,Ortus eſt motus ad naturã ferens: eſt enim Motus ambiguum uerbum. Idem continget,ſi res,quæ definitur,multis modis dicatur,neq; explicetur:ut,Coruus hoc & hoc eſt:Corui enim nomen ambiguũ eſt. Alia quoq; ratione id fiet, ſi per translationem definitio explicetur:ut,ſiquis Scientiam immutabilem eſſe definiat:Immutabile enim in columnis firmis,ac duris intelligitur. uel ſi dicat, Temperantiam eſſe concentum:nam in ſonis omnis Concentus cernitur. Proximus huic locus eſt,quando aliquis in definitione uerbis inſolentibus utitur:id quod Plato fecit,qui araneam σηψιδακὲς,id eſt putridorum mordacem definiuit. Deinceps locus ſequitur,quando contrarii definitio, ex ea,quæ tradita eſt,non intelligitur: qui enim dicit,Candorem colorem eſſe, quo uiſus diſpergitur: infert etiam, Nigrorem eſſe colorem, quo uiſus congregatur. Si etiam in definitione poſitum ſit quippiam, quod rebus omnibus conueniat, (alia enim ſunt differentiis diſtinguenda) id quod ſub eodem genere ſit,omnibusq; conueniat,ab iis,quæ ad idem genus pertinent,rem non diſtinguet: nam ſi definiatur hoc modo,Homo eſt animal ſenſus particeps,quod ſe ipſum mouet, ac ratione utitur:illa uerba Senſus particeps, & Quod ſe ipſum mouet, hominẽ à nullo alio animali ſeparabunt, quod erat ſanè faciendum. Alius locus eſt,quãdo aliquid eorum,quæ in definitione poſita ſunt,iis omnibus non conuenit, quæ ſub eadẽ ſpecie continentur:tunc enim erit minus aptè definitum:ueluti ſi ad hominis definitionẽ adiungatur Grãmaticum eſſe:non enim omnes homines grãmatici ſunt. Erit etiã uidẽdum,an idẽ uerbum ſit repetitum,nugabimur enim ſi ſit: ut,qui Hominẽ dicit eſſe animal ſeipſum mouens,rationis particeps, gradiens,bipes:certè Seipſum mouens idẽ eſt quod Animal:quod etiã Xenocrati uſu uenit, qui Sapiẽtiam conſtitutionem & cognitionẽ rerum omnium dixit eſſe:nam & conſtitutio & cognitio idem ualẽt. Sed horum locorum ſi hoc pacto dicantur,in reprehenſione uſus erit,ac definitionẽ rectè datã non eſſe ex iis intelligemus:ſi uerò alio modo proferãtur,confirmabunt. Nunc utrum rectè,nec ne,definitio cõſtituta ſit,ex iis locis,quos deinceps tractabimus,perſpicietur. Primũ uidendũ eſt,ſi non prioribus,& notioribus uerbis explicata ſit definitio:ac Prius,& Notius duobus modis intelligitur: uel nobis,uel naturæ. Definitio uerò ex iis,quæ naturæ ordine priora ſunt,cõſtare debet:ueluti, Animal rationis particeps,& mortale: priora ſunt hominis natura. Præterea ſi in definitione aliquid adhibeatur, quod idẽ ualeat,quod res,quæ definitione explicatur:ut ſi Solẽ aſtrum luce perſpicuũ quis definiat:cùm Lucis uocabulo utitur,Solis itidẽ utitur. Sed ut hæc aperta fiãt,definitio pro nomine ſumenda eſt,hoc pacto:Dies eſt ſolis motus ſuper terrã. Idem euenit iis,qui genus definitionis non ponunt:ut ſiquis corpus definiat,id quod tres habet dimẽſiones:dicẽdum enim erat genus,quod tres habeat dimenſiones. Idem quoq; fiet,ſi id,quod definitur,de multis dicatur,& eorum alterum dictum ſit,alterum prætermiſſum:ut ſi quis Grãmaticen definiat artem eſſe ſcribendi:addere enim debebat, & legẽdi:atq; hic locus in nõnullis eſt inutilis, cuius generis ſunt ea omnia, in quorũ utroq; res,quæ definitur,per ſe non cernitur,ſed temerè,& caſu. ut medicina in morbo, & ualetudine uerſatur:debet enim definita res ad præſtantius,non ad deterius accõmodari. Si præterea proprium genus ad

rem definiendã non adhibeatur, argumenta uerò ex elementis, quæ ad genera pertinent, aſſumuntur: uel ſi adhibitum illud quidẽ, ſed ſuperius ſit. ut, Homo eſt natura ratione prędita. debebat enim dici animal, propterea quòd hoc genus ad hominẽ propius accedit. Præterea ſi negatione expoſita ſit definitio: debet enim definitio declarare quid res ſit, non quid non ſit. Quanquã in quibuſdam definiendis negatione utimur neceſſariò: uelut in priuationibus uſu uenit: Cæcum enim id eſt, quod aſpectu caret. Illud etiam uidẽdum eſt, genus'ne definiendo pro differẽtia dixerit: ut ſi quis Virtutẽ bonum habitum eſſe definiat: magis enim uidetur bonum eſſe uirtutis genus. Illud etiã, an ſpecie ſit prior differentia: omnis enim differentia latius patet, & eſt in pluribus, quàm ſpecies. Illud etiã, an res definita ſub duo genera reducatur, quorum unum non cõtineatur ab altero: ita enim obſcura erit definitio. Prętererea cõſiderandum eſt, an alicuius eorũ, quæ cum aliquo conferuntur, differentiã conſtituerit eius, quod cum aliquo non cõferatur: ut ſi dicatur, medicinam ſcientiam eſſe, quæ in actione, contemplationeq́; uerſatur: cuius enim rei contemplatio eſſet, dicẽdum erat.

Si item res elationem, & ſubmiſsionem accipiat, definitio uerò non item: oportet enim ſi res elationem, & ſubmiſsionem recipiat, definitionem quoq; recipere: ut ſi Candor color eſt, aſpectum diſsipãs, ſuſcipitq́; candor magis, & minus, diſsipans quoq; ſuſcipiet. Vitioſa item erit definitio, ſi quanta qualiáq; ſint ea, quæ definiantur non explicetur: ut, Ambitioſus eſt gloriæ cupidus: explicandum enim erat, quantæ gloriæ ſit cupidus, cùm præſertim omnes gloria ducantur. Si uerò cuipiam ad totam definitionem infirmandam nullum ſuppetat argumentum, ad partem dirigere argumentationem debebit: reprehenſa enim parte, tota itidem definitio reprehendetur.

LIBER SEPTIMVS.

De Quæſtionibus eiuſdem & alterius.

QVoniã Quæſtiones de eodẽ, & altero ad definitiuas ſunt relatæ, de iis uidetur eſſe differendum: Ac primus quidem locus ex caſibus, Coniugatis, & Contrariis aſſumitur: ſi enim Iuſtè idem eſt, quod Fortiter: fortitudo, & iuſtitia idem erunt, & iuſtus idẽ quòd fortis: quod ſi iuſtè idem non eſt, quod fortiter, neq; fortitudo & iuſtitia, itẽq́, iuſtus & fortis idem erunt: ſiq; Iuſtũ idem eſt, quod Bonum, Iniuſtũ idem erit, quod Malum: ſi ſecus, alterũ ab altero diuerſum. Locus etiã ſumitur ex Efficientibus & Interimentibus hoc modo: Si efficiens beatitudinis idem eſt quod efficiẽs ualetudinis, interimens quoq; utriuſq;, & beatitas & ualetudo idem ualebunt. Ex Aduẽtitiis etiã, & iis, quibus hæc ipſa attributa ſunt, argumenta ducuntur hoc pacto: Si duobus propoſitis, quæ uni attributa ſunt, eadem omni alteri non conueniãt, illa duo eadem non erunt: ueluti ſiquis dicat, Penulã & Veſtem qua æſtate utimur, idem eſſe: ſed penula cùm grauis ſit, uim habet calfaciendi, ueſtis uerò illa, quia leuis exiſtat, non item: ex quo conficitur, ut eadẽ non ſint. Dicebat alter, medicinam idem eſſe quod exercitationem. ſed cùm altera ægrotos curet, altera non curet, non idẽ ualebunt. Verùm ſi attributa eadem ſint, ut ſiquis dicat, Album idẽ eſt, quod ſcientia: albũ quidem corpori accidit, & ſcientia animo, non corpori: igitur ſcientia, & albũ idem non ſunt. Hi uerò loci ad confirmandum nihil ualent: quandoquidẽ ſi aliqua idem accidens non ſuſcipiant, eadem non erunt: nam animal, & domus pulchritudinem recipiunt, ſed animal, & domus idem nõ ſunt. Præterea Socrates & calorem, & grammaticã recipit, calor tamen & grãmatica idem non eſt. Prętererea ſi utriuſq; genus idem non ſit, ſed unum bonum, alterum malum, alterum uel bonum, uel malum, alterum horum neutrum, quanam ratione fieri poterit, ut illa eadem ſint, quorum diuerſa ſint genera? Præterea ex maiori, ſi unum contentionem habet, alterum non habet: ut, Cãdor ſuſcipit elationem, Socrates uerò nequaquam. ea re fit, ut candor, & Socrates non ſint idem. Siq; idem numero quandoq; dicatur, non ratione, ſed ſubiecto idem erit. Præterea cùm Idem multifariam dicatur, genere, ſpecie, & numero, dicere licebit, Idẽ alio modo intelligi, & idem nõ eſſe. Quòd ſi idem eſſe, uel definitionẽ idem eſſe, quod res quæ definitur, probare uelimus: primùm intelligendum eſt, Neminem, aut paucos eorũ, qui diſputant, definitionem per ratiocinationem concludere, ſed eam omnes initio ſumere. Hoc quoq; ignorandum non eſt, non eſſe huius diſputationis has definitionis rationes ad tenue elimare, ſed ad primam philoſophiã pertinere. Nunc uerò quod hic locus poſtulare uidetur, tantum dicam, cùm definitio in natura rei explicanda capiatur, (dicuntur autem de natura rei genera & differentiæ) propriam definitionem rei, orationem fore. Ex contrariis etiam elicienda ſunt argumenta: nam ſi hæc huius rei definitio eſt, contraria itidem erit contrariæ, ut in albis, & nigris liquidò apparet: quorum de illis quod uim habet comparandi, de his quod uim habet diſsipandi aſpectus dicitur: Color uerò eſt ueluti commune eorum genus. Ex maiore etiam, & ex ſimilitudine quotquot modis licet confirmare. Duo cum duobus hoc modo comparantur: ſi hæc magis huius rei, quàm illa illius definitio ſit. Ea autem quæ minus uidetur, definitio eſt, etiam quæ magis uidetur, erit definitio: ut minus uidetur animæ definitio hæc, Numerus, qui à ſe mouetur: quàm hæc corporis, Natura, quæ tres habet dimenſiones. Si itaq; ea, quæ minus uidetur, animæ definitio eſt: illa etiam, quam corpori attribuimus, corporis erit. Simili quoq; modo ſi hæc huius rei, & illa illius definitio eſt, reliqua etiam reliquæ rei erit: ut pari ratione ſe habere uidentur ignis, & aëris definitiones, Ignis inquã corpus eſſe leuiſſimum, & natum, ut ſurſum feratur: Aëris uerò, corpus, cuius omnes motus ex loco ſecundum naturã ſunt.

ſiq;

ſiq; una unius definitio eſt,altera quoq; alterius erit. Si uerò una definitio cum duabus rebus comparetur, aut una res cum duabus definitionibus,loci ex maiore nullus uſus erit:propterea quòd neque una res duarum definitionum,neq; duæ unius definitiones eſſe poſſunt. Ac loci hi, quos modo expoſui, quiq; ex caſibus,coniugatis, & contrariis aſſumuntur, ſunt ex omnibus accommodati maximè : & ſiquis Vniuerſa dicat,Singula debet inſpicere,ſiue quis alius ſit communis locus.Difficilius autem eſſe confirmare,quàm refellere definitionem perſpicuum eſt : quod neq; facile eſt definitionem cognoſcere,neq; hi,quos interrogamus , libenter definitionis partes concedunt : quodq; in reprehenſione ſatis eſt unam definitionis partem infirmare, in confirmatione uerò totam definitionem affirmare neceſſe eſt. Atq; hæc de infirmatione , & confirmatione quæſtionum nunc ſummatim dicantur.Infirmare autem uniuerſum genus facile eſt, Confirmare uerò eſt perdifficile. Præterea refellere partes difficile eſt : confirmare certè facile:cùm enim quatuor ſint quæſtiones,quæ ex Omni,& Nullo,& Aliquo, & Non omni conſtant : uniuerſarum rerum ſunt duæ,Omnis,& Nullus:ſingularum duæ,Aliquis, & Non omnis:ex quibus ſi eam, in qua Nullus eſt,infirmare uelimus,nullo negotio efficiemus:nam ſiue Omnis,ſiue Aliquis concludatur,Nullus tolletur : ex iis uerò , Omnis in prima figura uno tantum modo , in tertia tribus modis concluditur. Si item eam , in qua Omnis ponitur , infirmare uelimus , facile erit , quandoquidem ſi Nulli , aut Non omni, concluſerimus. Omnis erit ſublata:quarum Nullus in prima figura uno modo concluditur, & tribus in tertia:Non omnis uno modo in prima,duobus in ſecunda, tribus in tertia inducitur. Quòd ſi uniuerſas confirmare oporteat, difficile erit ob eam cauſam,quod Omnis in prima figura ſemel tantummodo, Nullus uerò in prima & in ſecunda inferatur.Singulas uerò confirmare,facile eſt:ſatis enim erit demonſtraſſe,in una re ineſſe,quo certè modo Aliquis confirmatur.Præterea in uno non eſſe, & eo modo Non omnis affirmatur : ut ſiquis dicat,Omne animal inferiorem oris partem mouere,demonſtret quiſpiam crocodilum ſuperiorem mouere: atq; ita Non omnis confirmabitur , & Omnis infirmabitur. Cùm itaq; ſingulæ infirmationem difficilem habeant,confirmationem facilem habebunt:nam Aliquis ab alio non infirmabitur, niſi à Nullo. præterea quòd hęc & uniuerſarum rerum eſt,& difficilis ad confirmandum.ita nullo alio modo Non omnis,refelletur,quàm ab Omni:quippe quæ ipſa quoq; difficulter confirmetur.

LIBER OCTAVVS.

Quomodo Quæſtiones rogandæ ſint.

QVæ cùm dixerimus,ſequitur,ut quomodo propoſitiones interrogare oporteat,quomodoq; rem in diſputationibus defendamus,& reſpondeamus,dicendum eſſe uideatur. Ac primùm is, qui quæſtionem poſiturus eſt, locum, ex quo argumenta ſumat, inuenire debet ; deinde quærere per ſeſe,& ſingula diſponere:poſtremò hæc omnia apud alios pertractare. Ac loci quidem inuentio communis philoſopho cùm Dialectico eſt , cætera ſunt propria Dialectici. Philoſophus enim non interrogat ille quidem, ſed aſſumit omnia uera, & neceſſaria, deinde ratiocinatur : qua quidem in re diligenter animaduertet, quas propoſitiones neceſſarias , & quas præter neceſſarias acceperit : ex neceſſariis enim ratiocinationes efficiuntur.Earum uerò,quæ præter has aſſumuntur,genera ſunt quatuor.Omnis enim propoſitio ſumitur aut inductionis gratia, ut quod uniuerſum eſt,concedatur: aut augendæ argumentationis,aut celandæ concluſionis,aut illuſtrandæ orationis cauſa. Igitur neceſſariæ non ſtatim ponendæ ſunt, ſed nobis eſt ad ſummas proficiſcendum. Vt, Non eſſe eandem artem contrariorum,quæ Aduerſa dicuntur,etiam ſi id ſumere uelit,ſed contrariorum:quandoquidē Aduerſa Contrariis ſubiiciuntur.quòd ſi hanc enunciationem,Aduerſorum eadem ſcientia eſt, non cōcedat:inductione utendum erit ita, ut morbus & ualetudo , concinnum, & inconcinnum aduerſa eſſe demonſtrentur : tum concluſiones dicendæ non erunt, utpote quæ illis conceſsis,& poſitis, neceſſariò conſequantur. Præterea continuatam ſeriem propoſitionum perſequi non debemus,ſed multas omittere:ut,exempli cauſa,non dicendum erit,Homo animal eſt,animal animatum eſt,quod animatum eſt,ſubſtantia eſt:ſed hoc modo,Homo animal eſt,quod animatum eſt,ſubſtãtia eſt:deinde ſic, Animal animatum eſt, in multis propoſitis erit etiam faciendum. Vniuerſarū quoq; rerum enunciatio,in quibus conuenit,aſſumenda per definitionem eſt,ut philoſophus eſt liber. philoſophus enim is eſt,qui & ueritatis ſtudioſus eſt,& aſſentationem à ſe procul amotam uult.Præterea Neceſſariū non tanquam neceſſarium,ſed tanquam ſuperuacaneum proponendum eſt:utile etiam erit dicere,id conſuetū eſſe. Deinde extremo loco interrogare, quod maximè ſumere uelimus.Solent enim omnes primæ diſputationi diligenter reſiſtere, propterea quòd maior interrogātium pars cùm aſſumat ea,quæ aliis neceſſaria ſunt, interrogare omnino cupit. Apud nonnullos neceſſaria prius dici debēt,cuiuſmodi ſunt difficiles:ii enim prima facilius concedunt,in extremis uerò difficiles ſe, proteruosq; præbent. Poſtremò producenda oratio eſt,interiiciendaq; in argumentatione ea omnia,quæ nihil ad rem pertineant:nam cùm multa ſint,difficile erit falſum diſcernere. Atq; hi loci ſunt, ex quibus ad concluſionem celandā argumenta ducuntur. In exornanda autem oratione Inductio, atq; Diuiſio rerum coniunctarū adhibenda erit. Inductionē quidē ex ſingulis rebus uniuerſas & generales concludere ſuprà diximus. Diuiſio autem fit hoc modo: Artem arte pręſtantiorē eſſe,aut quia certior ſit,aut quia in rebus melioribus

 uerſetur:

uerſetur:ut Geometria, Grāmatica, & Medicina eo genere medicinæ, quæ in equis curandis uerſatur, ſiquidem medicinæ homines rationis participes, illi uerò alteri, equi rationis expertes ſubiecti ſunt: & aliũ alias eſſe, quæ in cognitione, alias quæ in actione uerſentur, tum quæ utraq; ſint: atq; hoc pacto oratio eſt ornanda atq; amplificanda. Ad dilucidã autem diſputationem faciendam exẽplis, & ſimilitudinibus utemur: ac exẽplis quidem propriis, & perſpicuis: in diſſerendo autẽ Ratiocinatione apud eos potius, qui ſunt docti, & intelligentes uiri, quàm apud multitudinẽ: Inductione contrà, potius apud multitudinẽ utemur. Præterea is, qui inductione utitur, in quibuſdã rebus facile poteſt explicare, id quod totũ dicitur, in aliis non facile poteſt, ſed ita ſe rem in omnibus habere dicet. Cùm autẽ multarum rerũ adhibeatur inductio, alterq́; non concedat id de toto genere, tum poſtulandũ eſt, ut demõſtret, quâ nam in re ita ſe non habeat. Proponendũ autem id eſt, uel quod omnino refelli non poſſit, uel quod in multis perſpici facile non poſſit: neq; etiam quęri debet cõcluſio: ſin ſecus, cùm alter nõ reſiſtat ratiocinationi nihil loci relinquitur. In ambiguis eum, qui diuidit, interrogare oportet, ut propoſito bono utrũ hoc, an alio modo dicatur. Igitur hoc modo bonũ pretioſum eſt. Atq; in his facilis eſt reſpõſio: non enim multæ interrogationes ſimul rogandæ ſunt, quãdoquidẽ una ſola requiritur reſponſio. Cùm uerò quęſtio difficilis probatu ſit, uel definitionẽ requiret, uel ex iis erit, quæ multis modis, aut per tranſlationẽ dicuntur, aut non longè à principiis abeſt. Quòd ſi, ex quo ſit genere cognoſcatur, intelligetur ẽtiã id aut definitione explicandum eſſe, aut adhibendã eſſe diuiſionem, ex qua declaretur ambiguitas. uel propriam dictionem inquirendam eſſe, uel mediarum propoſitionum copiam nobis ſuppetere. ex iis enim, licet media pauca ſint, probatur id, quod propoſitum eſt.

De ratione reſpondendi.

NEceſſariũ eſt, ut is, qui reſpondet, rem in diſputationibus defendat, quę conſtituta ſit tanquã uel probabilis, uel non probabilis, uel neutra. atq; probabilis uel non probabilis uel huic, uel illi definitè, uel ſibi ipſi, uel aliis, uel infinitè omnibus cõuenit. Cumq́; is, qui ſcitè ratiocinatur, id quod ꝓpoſitũ eſt, ex probabilioribus demõſtret: perſpicuũ eſt, ſi improbabile omnino ponatur, nõ debere eum, qui poſcit quęſtionẽ id dare, quod omnino non probetur, aut quod probetur illud quidẽ, ſed minus quàm concluſio: ea uerò quę probãtur omnia, & quæ minus improbabilia ſint cõcluſione, danda erunt. Simili quoq; modo ſi nec probabilia ſint, nec improbabilia, danda erunt. Si uerò non omnino probabile, aut non probabile ſit, ſed ei tãtùm, qui reſpondet, tum iudicare debet concedendum ne ſit, necne. Quòd ſi is qui reſpondet, alterius ſententiam defendat, eius mentem ſpectabit, ut quid concedendum, & quid negandum ſit, cognoſcat: ueluti, Bonum & malum idem eſſe, ut placet Heraclito: uel, Motũ non eſſe, ut Zeno inquibat: &, Id quod eſt, unum eſſe, ex Parmenidis ſententia: uel, ut Meliſſus aiebat, Id quod eſt unum eſſe, atq; immobile. Tunc enim cõcedet, & dicet, Heracliti, uel Zenonis ſententia ita dicendum eſſe. Cùm uerò hoc probabile, uel improbabile, uel ad concluſionẽ efficiendã ualeat, uel non ualeat: ſi probetur, neq; ad concluſionem efficiendam ualeat: dare, & probabile dicere debemus. Si autem neq; probetur, neq; ad concluſionem faciendam ualeat: id quidem dandum erit, ſed ita, ut non probabile eſſe ſignificemus: quò uitemus amentiam. Si uerò probabile ſit, pertineatq́; ad rem: id quidem probari dicemus, ſed ita finitimum ei eſſe, quod principio ſtatuebatur, ut eo conceſſo propoſitum tollatur. Si ad concluſionem efficiendam ualeat, & admodum improbabile ſit: reſpondebimus, eo poſito effici concluſionem, ſed ſtultum id eſſe quod afferatur. Cùm autem nec probabile, nec improbabile ſit, nihilq́; ad efficiendam concluſionem ualeat: id ſine ulla diſtinctione dandũ erit: ſi ualeat, ſignificandum erit eo poſito ſublatum iri propoſitum: ſic enim & ei, qui poſcit quæſtionem, nihil eius culpa futurum eſt: & is, qui quæſtionem ponit, concluſionem efficiet: cùm id, quod afferatur, ei conceſſum ſit. Ei uerò qui poſcit quæſtionem, quiq́; non intelligit, licet dicere, Non intelligo: & petere ab eo, qui ponit quæſtionem, ut ea, quę rogat, declaret. Cùm autem ambiguum quid ſit, ſi omni ex parte uerum ſit, aut falſum: concedi, aut negari debebit: in omnibus enim conuenit reſponſio. Sin quadam ex parte falſum ſit, & quadam ex parte uerum, prius indicandum erit: ſi uerò reſpondeat, & ex reſponſione eius, quod non probatur, poſtea diſtinguat, dubium erit, an primo ambiguum perſpexerit: quòd ſi ambiguum uerbum non præuideat, reſpondeatq́;: tum dicendum erit, ſe id conceſſiſſe, cùm non illius, ſed alterius rationem haberet. Propoſitum autem non probabile timidè defendendum erit: quod ſanè multis modis eſſe poteſt. Id enim non probabile eſt, ex quo incommoda & abſurda oriuntur: ut ſi quis dicat, Omnia, uel nihil moueri: & ea omnia, quæ deteriores ſequi ſolent, cuius generis illud eſt, Facere quàm accipere præſtat iniuriam. Eum enim oderunt, non quòd diſputationis gratia hæc defendat, ſed quòd ea dicat, quę ſentiat. In argumentis, in quibus falſum concluditur, diſſoluendum illud eſt, ex quo falſum efficitur. Falſum enim ex propoſito falſo concluditur neceſſariò: ſpectare igitur debemus, ex quonam effectum ſit falſum. Multa enim fortaſſe falſa in argumentatione inerunt; ut ſi quis ſumat Eum qui ſedet, ſcribere, & Socratem ſedere: concluditur, Socratem ſcribere. Hac igitur enunciatione, Socrates ſedet, euerſa, nihilo minus falſum manet: ita fit, ut ex alio natum ſit falſum, propterea quod omnem ſedentem ſcribere dicebamus. Sed quatuor modis impediri poteſt, ne concludatur argumentatio. Primùm refellendo id, ex quo falſum eſt. Secundò, reſiſtendo ei, qui ponit quæſtionem: ille enim forte fortuna rogat, Num omnis motus terrorem incutiat: nec tamen prius concludere poterit, hunc qui motus ſit, terreri: tum impeditur reprehendendo ro

do ro

do rogatum, cùm non omnis motus terrorem incutiat, ſed quidam, qui uel ex commutatione, uel ex accretione, uel ex diminutiove naſcitur. Vel ſi dixerimus, quæſtionem uitioſe poſitam eſſe. Quartò, tempus plus æquo protrahendo. nõnulli enim in refutando ea ad diſſerendum aſſerunt, quæ plus temporis deſiderant, quàm diſputandi poſtulet conſuetudo. Atque ex his quatuor, prima eſt refutatio, & diſſolutio: cætera uerò ſolùm ſunt impedimenta quædam. Reprehenſio autem argumentationis non eadem eſt per ſe, atque ex interrogatione: ſæpe enim is, qui rogatur, in cauſa eſt, cur non rectè tractetur argumentatio, quòd non concedat argumenta, ſed difficilis, proteruuſq; ſit: ac ſæpe etiam is, qui rogat, & quemadmodum euenit, ut cùm falſa argumentatio eſt, is qui ponit quæſtionem, quàm accommodatiſsimè diſputet cum eo, qui reſpondet: ita cùm argumentatio per ſeſe refellenda non eſt, efficitur, ut is, qui rogat, malè interrogans argumentationem refellat. Vt autem in cæteris omnibus uſu uenit, ot ſocius ſceleſtus communem rem impediat, ſic etiam in diſputationibus efficitur: id quod & interroganti, & reſpondenti ſæpe euenit. Idem error in ratiocinatiouibus eſt, cùm aut pluribus, aut paucioribus, quàm oporteat, demonſtrantur. Argumentatio autem clara eſt, uno modo, qui maximè in populi ore uerſatur, cùm concluſa eſt: altero, cùm è ratiocinationibus antecedentibus, & prioribus concluſionibus eſt cõcluſa. Prętereà cùm prætermiſſum quid eſt, quod ualde probabile ſit, omiſſumq; illud ſit, propterea quòd ſit omnibus probabile, atq; perſpicuum. Fit autem argumentatio falſa quatuor modis. Primùm, cùm uidetur concludere, neq; concludit, quod ratiocinatio certandi ſtudio comparata dicitur, habet enim fallacem formam: ueluti ſi quis in ſecunda figura uniuerſum genus aiens concludat hoc pacto: Quæ peperit pallida eſt, maius propoſitum eſt, Mulier hęc pallida eſt, minus, Mulier igitur hæc peperit. Error uerò eſt io argumentationis forma non ſecus, ac in aliis fit, in quibus ſi materia adſit, formaq; deſit, nihil eſt perfectum neceſſariò: nam A es quia æs ſit, non continuò lebes erit: uerùm reciprocabitur, ſi Lebes ſit, quoniam oeceſſe erit æs itidem eſſe: ita in ratiocinatione eueniet, in qua ſi forma, hoc eſt figura, ſeu ratio deſit, materia minimè ſufficiet, ut propoſitiones etiam ſi ueræ ſint, ratiocinationẽ efficiant. Verùm ſi ratio figuræ recta ſit, materiaq; oon ſit, fiet ratiocinatio: cuius generis ſunt ratiocinationes, quæ propoſitis falſis uerum concludũt. Altero modo falſa eſt argumentatio, cùm efficit illa quidem aliquid, ſed quod ad rem propoſitã non pertineat: quod iis accidit maximè, qui eò rem deducunt, ut abſurdi quippiã concludant. Nobis enim propoſitum eſt demonſtrare, animal non omoi animato conuenire: quod ſi oon admittatur, conueniat omni ſic, Animal omni animato, animatum plaotæ, animal igitur omni plantæ: hæc ratiocinatio eſt falſa ipſa quidẽ, ſed nihil ad rem pertinet, propterea quòd nobis propoſitũ erat demonſtrare, animal non omni animato cõuenire, quod demonſtratum eſt ex ratiocinatione falſa, per quam quis urgetur incõmodo. Tertio modo falſa eſt argumentatio, cùm aliquid concludit, quod inſtituta res poſtulet, ſed non propria ratione: id eſt, ſi ea, quæ non eſt propria medicinæ, uideatut medicinæ eſſe: aut geometrica, quæ non eſt: aut dialectica, quæ oon eſt: & quæ extra dialecticorum regulas cõcluditur, ut dialecticorum regula ſit, Ex probabilibus ratiocinari, nos per illã ex iis, quæ non probantur, ratiocinari uelimus. Quarto, cùm ex falſis concludit, ſiue falſa, ſiue uera ſit. Quare perſpicuum eſt, primùm conſiderandum eſſe, an argumentatio concludat: deinde uerum'ue an falſum: tum ex quibus. Si uerò ex falſis, quæ tamen probabilia ſint, dialectica erit: ſin ex ueris, ſed quæ probabilia non ſint, uitioſa erit concluſionis argumentatio: ſi & falſa, & ualde improbabilia cõcludit, uitioſa erit uel omnino, uel in re, de qua agitur.

DE REPREHENSIONIBVS FALLACIBVS.

HOC nobis loco propoſitum eſt, de fallacibus, & captioſis reprehenſionibus diſſerere: quæ nobis diſcendæ ſunt, non ut eis utamur: ſed magis adeo, ut ſi quis nos uelit circumuenite, illius à nobis fallaciam propulſemus. Nam ut medicis uſuuenit, qui multum operæ conſumunt in herbarum uenenis cognoſcendis, ut ea uitent, & ad medicinam non adhibeant, ita etiam nobis uſuuenit. Eſt quidem uera Reprehenſio repugnantiæ ratiocinatio. Repugnantia enim non unius uerbi eſt, ſed rei: & uerbi non ſynonymi, ſed eiuſdem: quæ quidem ex iis, quæ data ſunt, neceſſariò concluditur, non adiuncto eo, quod priocipio dictum eſt, quòd eadem ex parte, & in eadem re, eodemque modo, & in eodem tempore dicatur. Quæ autem præ ſe fert Reprehenſionis ſpeciem, eſt, quæ prætermiſsione earum partium, quas reprehenſioni attribuimus, fallacter reprehendere uidetur, non tamen uerè reprehendit. Omnis autem uera reprehenſio ratiocinatio eſt, at non omnis ratiocinatio eſt reprehenſio. eſt enim Reprehenſio repugnantiæ concluſio: quodque in ea ponitur, repugnanter conſtituitur: Ratiocinatio uerò ſolum concludit: ut enim in aliis rebus uſuuenit, ut in iis, quæ ueræ ſuot, conſtent ea, quæ ſpeciem præ ſe ferunt ueritatis: (aurum quidem oerè eſt, aurum uerò oidentur etiam ea, quæ felle infecta ſunt: itemq; argentum eſt reuera, ſed ſtannea quoque ex argento facta uidentur) ita etiam reprehen-

ſio,quæ tum uera eſt,tum quædam ueræ ſpecies,ac ſimulatio,quæ fallax itidem nominatur. Cuius genera ſunt duo:aliæ enim reprehenſiones in uerbis ſunt,aliæ in rebus. Earum quæ in uerbis ſpectantur,ſpeciemq; efficiunt,ſex ſunt genera:Homonymia, Ambiguitas, Adiunctio, Diſtinctio, Accẽtus, Forma orationis. Rerum autem captioſa genera ſeptem ſunt:Ex accidente:Quodammodo & omnino:Ex reprehenſionis ignoratione : A` conſequentibus : Ex repetitione eius,quod initio dictum eſt : Cùm id quod non eſt cauſa, pro cauſa ponitur:Septimum cùm multa rogata pro uno ponuntur. Deinceps quid unũquodq; horum ſit,exponemus. Ac primùm quidem ex iis,quæ ex uerbo exiſtunt, reprehenſiones ex captionibus ducuntur, ex Homonymia hoc modo:Qui ſciunt diſcunt. Rogamur enim,num nam diſcant ii,qui ſciũt?&,Non,reſpondemus. Tum illi,Non diſcunt,inquiunt,diſcipulos?igitur qui ſciunt diſcunt. Atq; hac ratione nos decipere conantur, cùm repugnantiam in concluſione eſſe omni ſtudio probare contendunt:ſed nulla repugnantia eſt,cùm diſcere Homonymum ſit,& nos reprehenſionem ita definiuimus,ut eſſe illam repugnantiæ ratiocinationem dixerimus, uerùm unius & eiuſdem non uerbi, ſed rei. Quibus quidem ſit rebus, ut hæc uera reprehenſio non ſit,ſed quæ ueræ ſpeciem præ ſe ferat : nam & Scire is dicitur, qui ſcientia utitur, & is,cui traditur ſcientia. Ex Ambiguitate hoc modo : Num quod quis cognoſcit , id cognoſcit? reſpondemus, Etiam:quod enim quis cognoſcit,id cognoſcit. Tum illi iterum interrogantes aiunt : Cognoſcit'ne aliquis geometriam?reſpõdemus, Etiam. Tum aiunt, Geometria igitur cognoſcit. ambiguitas in illis uerbis, Quod & Id,exiſtit:propterea quòd fieri poteſt, ut hac oratione & is, qui cognoſcit, & id, quod cognoſcitur, pro eo,qui cognoſcit,explicetur. Ex Adiunctione ſic: Roget aliquis, Poſsit'ne quis ſedens ambulare?reſpondemus,Non. At Socrates,inquit,non ſedet, & ſedens eſt,reſpondemus,Etiam. Tum ſequitur, Non poteſt ambulare,reſpondemus,Etiam. Ait,Igitur ſedens poteſt,& non poteſt ambulare. Ex coniunctione appellatur , proprerea quòd adiungens interrogat , num quis ſedens ambulare poſsit. Ex Diſtinctione hoc modo : Quinque ſunt duo,& tria?reſpondemus,Etiam. Quid?quinq; ſunt tria? & quinque duo ſunt ? Non: id ſit,quia & tria,& duo diſtincta interrogat. Ab Accẽtu,ſi in dialecticis uerſati uelimus, non facilè concluſionem faciemus:in cæteris uerò longè facilius : ueluti Homerum nonnulli defendunt aduerſus eos,qui eum coarguunt, quaſi abſurdè ſcriptum reliquerit, Hoc οὐ putreſcit imbre , quod illi dum accentu explicant,ού acuto ſono notari inquiunt. Illud quoque de Agamemnonis ſomnio explicant,& aiunt,non ipſum Iouem dixiſſe,ſe uelle dare uictoriam,ſed eum ſomnio id mandaſſe : quod cùm defendunt, aiunt, Homerum ſecutum eſſe loquendi morem Atticorum, qui Infinitis uerborum pro Imperatiuis uti conſueuerũt.

Ex Forma autem orationis eueniunt , quando non idem eodem modo explicatur : ut ſi quis roget, Virile nomen eſt muliebre?reſpondebimus, Non. Quidnam igitur inquiet,neq; uirile eſt neutrum? reſpondebimus,Etiam. Neque muliebre eſt neutrum?tunc quoq;, Etiam,reſpondebimus. Igitur, inquiet,idem erit uirile,& muliebre nomen. Nam forma orationis qua dictum eſt,hæc utraque neutra eſſe,captionem fecit. Atque hæ captioſæ concluſiones ſunt , quæ ex uerbo ducuntur. Ex rebus uerò una ex accidente oritur, quę fit,cum idem & rei,& accidenti conuenire ſtatuatur,aiunt enim, Num id quod album eſt deambulat? Negamus. Quid?Socrates non'ne albus eſt?Eſt,dicimus. Num deambulat?Deambulat,reſpondemus. Id igitur, inquiunt, quod album eſt deambulat. Ex eo autem quod Quodam modo & Omnino dicitur , fallax concluſio naſcitur, cùm id quod non eſt,eſſe ſumitur : ut ſiquis roget, Num id, quod non eſt,ſit? Dicemus,non eſſe. Deinde rogabit, Nunquid nam id,quod non eſt,opinabile ſit. Reſpondebimus, Etiam. Igitur id quod non eſt,eſt. Nos tum dicemus, Id quodam modo eſſe. Tum ille nos cogere conabitur, ut omnino eſſe demonſtremus. Eſt enim quodam modo, ſiquidem opinabile eſt, & de eo habetur opinio,quæ ſanè eſt non ut illud ſit,ſed ut non ſit. Hoc etiam eodem ſe habet modo, Deus comprehenſibilis'ne eſt?Non eſſe, dicimus. Quid?comprehenſibilis non eſt?Tum nos,propterea quòd cõprehendi non poteſt. Tum ille, Deus igitur comprehenſibilis,ſed hoc pacto illud quod quadam ex parte eſt,omnino eſſe uolunt. Captioſa argumenta Ex reprehenſionis ignoratione oriũtur:ut, Eandem rem duplam eſſe,& non duplam. Quòd ſi reſpondeamus Non:aiunt, Non'ne duo unius ſunt dupla , trium non ſunt dupla ? igitur eadem res dupla, & non dupla eſt. Sed reprehenſionis definitio dicebat, Vnius & eiuſdem : hæc uerò reprehenſio eandem rem eſſe duplam non Vnius & eiuſdem,ſed Alterius itemq; alterius concludit. Quæ naſcũtur ex Repetitione eius,quod initio dictum eſt, tot modis fiunt,quot poteſt ſumi id , quod initio fuerat dictum. Videntur enim reprehendere,propterea quòd quid idem,quidq; alterum ſit,uideri non poſsit : nam qui uult probare,hominem eſſe lignum,interrogat hoc modo: Nunquid homo lignum eſt?Nos uerò negamus. Tum ille, Quid?inquit,non'ne homo eſt ridens?Affirmamus: Tum ait, Sed ridens eſt lignũ,igitur homo eſt lignum. Huic reſpondemus hominem,& natum eſſe ad riſum idem eſſe,ſiq; conceſſerimus hominem eſſe lignum, ridens quoque lignum eſſe conceſſum erit. Tu uerò cùm animum ad hominem lignum eſſe demonſtrandum appuliſſes, idem rogatum, propterea quòd idem erat , tibi conceſſum aſſumpſiſti : idq; eſt quod initio fuerat petitum. Ex conſequentibus argumenta fallaciter concluduntur , quòd conſequens retro dici putetur : nam propterea quòd mel flauum eſt , omne quod flauum eſt,mel eſſe arbitramur. Tum rogo , igitur bilis eſt mel , Negamus. Quid ? an bilis flaua eſt ? Affirmamus, Quod flauum eſt , non'ne mel eſt ? & quia mel flauum eſt , bilem mel eſſe conſequitur. Reprehenſiones captioſæ ex eo , quòd id quod cauſa non eſt , pro cauſa ponitur , ex iis aſſumuntur , in quibus dicitur , Non ex eo falſum effici. Si quis enim roget , Socrates ſcribit'ne ? dicimus , Non. ſubiunge enim illum non ſcribere, tum perge,

Socrates

Socrates non ſedet? reſpondemus, Etiam. Omnis ſedens ſcribit, Socrates igitur ſcribit. Hoc uerò factum eſt, quòd nos non ſedere Socratē diximus, cùm præſertim cōditionem, & pactionem ſeruaremus illū non ſcribere: neq; enim ſcribit. At tu fallacia nixus inquiſti, Socratē ſedere, & ex eo illū ſcribere: quod falſum eſt, concluſiſti. Nos uerò id ex hoc non effici reſpōdemus: non enim ex eo, quòd ſedere Socratem ſit ſtatutum, effectum eſt falſum, illū ſcilicet ſcribere: quoniā ſi ſtare cōſtituatur, falſitas nihilo ſecius manebit quoniam ut, tu dixiſti, opinio tua fert, Omnem ſedentē ſcribere, dices etiā omnem ſtantem ſcribere. Ita fit, ſedere Socratem, falſæ cōcluſionis cauſam non eſſe: ſed propterea quòd dictum ſit, Omnem ſedentē ſcribere, cùm tu id pro cauſa poſueris, quod cauſa non eſt. Poſtremò apertiſsimus modus falſum ex propoſito non effici, exiſtit tum, cùm ratiocinatio, per quā quis urgetur incōmmodo, quæ à propoſito fit, à mediis ſit disiūcta: ut, ſiquis mediam lineā lateri quadrati non æqualem eſſe demōſtrare uelit, id dicet: quòd ſi non admittas, & æqualē eſſe dicas, ea ſenties, quæ Zeno, qui aiebat non eſſe motum: nám qua ex re id huius cauſa effectū eſt? Alter modus eſt, ſi id quod fieri non poteſt, propoſito coniunctum ſit, non tamen ex illo efficiatur: id quod eueniet in ſuperioribus, & inferioribus ei, qui cōiunctum ſumat. In inferioribus hoc modo: Si A conuenire B ponatur, B autem C, & C D, falſumq; ſit B conuenire D. ſi A conuenire B ablatum ſit, falſum etiam remanet: A igitur conuenire B, non cauſa eſt, cur B cōueniat D: quod falſum eſt, quia licet id auferatur, falſum tamen adhuc reſtat. Ex quo cōficitur, ut unum propoſitum ex iis, quæ in ratiocinatione inſunt, falſò dicatur, & falſitatis ſit cauſa, ipſum eſt, B omni D conuenit. In ſuperioribus autem hoc modo. eſt enim ratiocinatio ſupra quam propoſitum. Dicet igitur quiſpiā, A de omni B dicitur, ſiq; alius nolit, uelitq; nō de omni, quid tum poſtea? ille A de omni B dici ſtatuit, ut ego quoq; dicebā. Atq; ex eo demōſtrare uult, illud abſurdum ex huiuſmodi propoſito concluſum eſſe, atq; me hoc pacto loquentē reprehendet. A in omni B dicitur. cūq; huic duas propoſitiones, minorem inquam, quę hoc modo ſe habet, E de omni A dicitur, & F de omni E coniungat, F de omni A, quod falſum atq; abſonum eſt, concludet: atq; id abſurdi ex eo illatum eſſe, quod ego initio poſuerā, A de omni B dici probare, omni ſtudio conabitur. Cui quidem nos reſpondemus, id non eſſe ex eo factum, ſed eius rei cauſam eſſe, quòd ipſe F de omni A dici concluſerat. Ille igitur id pro cauſa ponēs, quod cauſa non eſt, uult fallaci cōcluſione decipere. Reliqua captio eſt, cum multę interrogationes pro una habentur, cuius generis illa eſt: Qui hominem ferit, homines'ne ferit? reſpondemus, Non. ſiq; hunc & illum uerberet, hominem'ne uerberabit? Non, ſed homines. Quid? hic & ille, qui uerberatur, homo eſt, qui igitur uerberat hos, hominem uerberat. Idq; effectum eſt, propterea quòd duo rogata unum fecit: atq; ob hāc cauſam hic & ille homo eſt. Sed hæ quidē captiones ad eam referri omnes poſſunt, quæ ex eo oritur, quia quid Reprehenſio ſit, ignoratur. Eſt enim Reprehenſio ratiocinatio cōtraria unius & eiuſdem non uerbi, ſed rei, & uerbi non ſynonymi, ſed eiuſdē, quæ ex iis, quæ data ſunt, neceſſariò concluditur, non adiuncto eo, quod initio dictum eſt, quod ex eadem parte, & in eadem re, eodemq; modo, atq; eodem in tempore dicatur. eſt enim reprehenſio ratiocinatio cōtraria, ſed non unius, & eiuſdem uerbi, neq; homonymi, uel ambigui, neq; ſynonymi. Poteſt autem aliquis uerbum ſynonymum ponere, & ex eo reprehēdere hoc modo. Hic homo philoſophus'ne eſt? Non, ſed hic homo, Socrates uidelicet, philoſophus'ne eſt? Eſt. Deinde aſſumit hoc uerbum Homo, quod ſynonymum eſt, & ait, Philoſophus igitur eſt homo. Ex iis autem, quæ initio data ſunt, refellet quiſpiam, ſi id, quod cauſa non eſt, pro cauſa ſtatuat. Non adiuncto autem eo, quod initio dictū eſt, adiunximus, propter eos, qui id, quod principio dictum erat, repetunt, atq; aſſumunt. Quod ex eadem parte, & in eadem re, ac reliqua, diximus, ne id, Quod omnino, & Quodā modo ſe habet, concludatur. Atq; eodem in tēpore, appoſuimus, ut ſiquis dicat, ſufficit'ne fortis Hector pro Troianis? Etiam. Quod ſi infirmare uelimus, Hectorem non ſufficere pro Troianis, cùm Achilles pro Gręcis pugnet, dicemus. Sunt etiam alia quatuor, quæ exquirūt ii, qui certandi, & uincendi ſtudio diſputant, Falſum: Admirabile, Solœciſmus, & Facere, ut is, qui contra diſputat, nugetur. Quę ſanè uera non ſunt illa quidem, ſed ueritatis ſpeciem prę ſeferunt. Ac falſum quidem ſic, ut ſiquis dicat, Simo bonus eſt, & ſutor non bonus. Alter transfert Bonum, quod ad mores pertinet, ad artem: & eum, qui ſic loquitur, falli demonſtrat. Quē enim, inquit, dicis bonum, rurſus dicis non bonum. Admirabile contraq; opinionem omnium, hoc modo: Contra opinionē eſt, bonos uiros non laudare. Inter Admirabile, & Inopinatum intereſt, quòd Inopinatum dedecus inurit ei, qui ita opinatur: Admirabile uerò eſt ſolùm multorum opinionibus contrarium. Fatetur quidem aliquis Periclem in rebus bellicis fuiſſe ſtrenuū, id quod à multis traditum eſt: in Repub. autem non ita ſe geſsiſſe: ſed cùm indigeret, quinquaginta talenta conſumpſiſſe, quemadmodum ipſe Athenis dicebat. Igitur fallaciter ad id compellet, quod eſt contra opinionem omnium, dicetq;, non laudas eum, qui laudibus dignus uideatur. Solœciſmus, id eſt barbara locutio, fit, ſiquis ita roget. Quod uerè dicis, uerum'ne eſt? Etiam. Dicis hoc eſſe lapidem, eſt igitur uerè hoc lapidem. Nugatio eſt, cùm idem ſæpe iteratur: ut ſiquis nares ſimas dixerit, hic tanquam bis nares dixiſſet, uidebitur in diſputatione in nugationem incidiſſe. Ait enim is, qui contra diſputat, partes illas ſimas à naribus contineri, ex quo effici uult, ut bis nares dixerit. Sed hæc ſunt, quibus Sophiſtę utuntur. atq; ea quidem, quæ ad diſſerendi rationem pertinent omnia, cùm ſummi rectoris, & domini numine, & auxilio ad finem perduximus.

FINIS.

NILI
De Ratiocinationibus, LIBER.

IO. BAPT. RASARIO INTERPRETE.

HOC NOBIS loco propoſitum eſt, Ratiocinationis formam docere: & uiam etiam, ac rationem Categoricæ atq; Hypotheticæ ratiocinationis tradere: qua & argumentationes, quæ in ueterum libris ſcriptæ ſunt, & quæ in diſputationibus afferuntur ab ijs, qui diſſerunt, diſſoluere poterimus: & eos, qui ex forma ratiocinationis uitioſo concluſionis genere diſſerendo utuntur, deprehendemus. Cùm igitur Ratiocinatio ſit oratio quædam, & oratio omnis ex nominibus quæ ſunt, uel quæ fiunt, ſemper conſtet: antequam de ratiocinatione dicere incipio, de ijs quæ ſunt, pauca præponam.

Eorum quæ ſunt, decem ſunt genera, ad quæ omnia, quæcunq; ſunt, referuntur. Ea ſunt, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Quę cum aliquo cõferuntur, Vbi, Quando, Situm eſſe, Habere, Facere, & Pati.

Subſtantia, uocatur id omne, quod in nullo eſt, ſed per ſe eſt: ut Lapis, ut Homo.

Quantitas, eſt ex qua & numerantur, & ponderantur ea, quæ numerantur & ponderantur: ut, Latitudo, & Numerus.

Qualitas, ex qua aliqui quales nominantur: Albi ſcilicet, uel Nigri.

Quæ cum aliquo conferuntur, ſunt quæ relationem quandam declarant: ut, Pater & Filius: Seruus & Dominus.

Vbi, locum ſignificat: ut, in foro, in domo.

Quando, tempus indicat: ut, Nudiuſtertius, Heri, Hodie.

Situm eſſe, poſituram quandam declarat: ut Sedere, Stare, Iacere.

Habere, ſignificat ſubſtantiam ad ſubſtantiam adiunctam; ut, eſſe Veſtitum, Armatum, Ligatum.

Facere, ſignificat actionem: ut Incidere, ut Vrere.

Pati, affectionem: ut, Incidi, Vri.

Ex his generibus nullum per ſe prolatum declarat ullum animi ſenſum: coniunctum, declarat. Cùm enim Cogitata ſint quædam animi affectiones, quippe cùm unaquæq; animi pars ſeparatim afficiatur, Cogitata ipſa in partes animi diſtribuantur, neceſſe eſt. Animi partes tum rationis participes ſunt, tum libidinum æſtu fluctuant. Ex quo conficitur, ut Cogitata partim cognitionem & iudicium animi declarent, partim cupiditatem & libidinem. Siquidem ipſa quoq; irę notio quandam animi libidinem oſtendit: ſemper enim mouetur ulciſcendi libidine is, qui iratus eſt. Quocirca cùm Orationes ſint notæ ſenſorum animi, diuidendæ ſunt ita, ut partim ſint notæ eius animi partis, quę Rationis eſt compos, & rerum cognitione pręd ita: cuiuſmodi ſunt orationes Enunciantes, quæ uel uerum, uel falſum complectuntur: partim ſint eius partis animi, quæ Libidinum, atq; irarum æſtu fluctuat; quales ſunt Deprecationes, Interrogationes, Iuſſus, ac

Vocat

Vocatus: quarum nulla uerum, aut falſum ſignificat illa quidem, ſed ſolam animi cupiditatem, atq; affectionem.

Ratiocinatio uerò, quæ ipſa quoq; oratio eſt, ad Enunciantem orationē refertur ſiquidem Ratiocinatio oratio enuncians eſt, quę cum cauſa pronunciatur: ut, Socrates honore dignus eſt, propterea quòd eſt ſapiens.

Ea uerò Enuncians oratio in Categoricam, & Hypotheticam diſtribuitur, Ac Categorica quidem eſt, quæ aliquid de aliquo declarat: & in Affirmationē, & Negationē diuiditur: ut, Socrates iuſtus eſt, uel non eſt. Hypothetica uerò, quę cōditione & cauſa quadā profertur: ut, Si Socrates iuſtus eſt, uel ſi non eſt. Affirmatio eſt, quæ aliquid cuidam ineſſe dicit: ut Homo eſt rationis particeps: dicimus enim Rationis particeps, ineſſe in homine. Negatio eſt, qua aliquid ineſſe cuipiam negamus. ut, Homo non eſt rationis particeps.

Affirmatio autem & Negatio in Subiectum & Prædicatum diſtribuuntur. Prædicatū eſt, quod adhęrere alicui, uel non adhęrere dicimus: Subiectum, cui aliquid adhærere, uel non adhærere affirmamus: quemadmodum in hac enūciatione, Socrates iuſtus eſt, Socrates eſt ſubiectum, Iuſtus prædicatum. Cum itaque Subiecta & Prædicata ſe habeant ad hunc modum, Definita prædicata, & Definita ſubiecta nominantur: uerùm ſi, Non, adiungatur, hoc pacto, Socrates non iuſtus eſt, Infinita prædicata, itemq; ſubiecta dicentur. Ea uerò Enuncians oratio, quatenus ratiocinationis pars dicitur, appellatur Propoſitio: Prædicatum & Subiectum Termini dicuntur.

Quibus quidem fit rebus, ut propoſitiones tum ex ſubiectis & prædicatis definitis ſint, tum ex infinitis conſtent: Omnis enim negationis eſt affirmatio, & omnis affirmationis negatio: ac Negatio quidem fit, ſi hoc uerbum, Non, affirmationi ſit adiunctum hoc modo: Socrates iuſtus eſt, eſt affirmatio: Socrates non iuſtus eſt, negatio.

Propoſitio omnis conficitur uel ex ſubiecto, & prædicato: uel ex ſubiecto, & prædicato, & tertio adiuncto: qualis eſt hæc, Socrates iuſtus eſt: illud enim uerbum Eſt, tertio loco adiunctum dicitur.

Adhibentur etiā ad propoſitiones materiæ quædam, Neceſſaria, Contingens, Impoſsibilis: ut, Socratem ire contingit, uel reſpirare neceſſe eſt, uel fieri non poteſt, ut uolet.

His accedunt etiam uerba illa, quæ Determinationes nominantur, quæ declaranr quomodo prædicatū ſubiecto adiunctū ſit, uel quomodo non ſit adiūctum, in uniuerſo, uel in parte: quę neceſſariò ſunt quatuor: Vniuerſalis negās, Nullus: Vniuerſalis aiens, Omnis: Particularis negans, Non omnis: Particularis aiens, Aliquis. ut, Nullus homo uolat, Omnis homo reſpirat, Aliquis homo lauatur, Non omnis homo lauatur. Ea enim propoſitio quę hoc uerbū Omnis adiūctū habet, Vniuerſalis aiēs dicitur: quæ Nullus, Vniuerſalis negās: quę Aliquis, Particularis aiēs: quæ Non omnis, Particularis negans. Hæ omnes opponi dicuntur, ac contrario quidē nomine uniuerſalis aiens uniuerſali neganti, & particularis negans aienti particulari: & particularis aiens uniuerſali neganti contradictoriè, quarum alteram uel ueram uel falſam eſſe in omni materia eſt neceſſe: atque hæc quidem Coniugatio & Repugnantia uocatur.


Nunc uerò quoniam ſi Non negatio ad affirmationem addatur, fiet negatio, cui uerbo adiungenda negatio ſit, explicandum eſſe uidetur. Si igitur affirmatio

ex ſubiecto & prædicato ſolùm conſtet, Non negationem prædicato adiungen- tes negantiam faciemus: quòd ſi tertium adiunctum ſit, ei tertio apponendũ erit Non aduerbium, & fiet itidem negatio: uerùm ſi fuerit etiam determinatio, tunc Non determinationi adhærebit. ut Nullus, uel Non omnis: poſtremò ſi modus quoq; in affirmatione exiſtat: ut, Contingit omnem hominem lauari: Non, erit modo adiungendum, & fiet negatio ſic, Non cõtingit omnem hominem lauari.


Necq; etiam neſcij eſſe debemus, dici Reciprocari propoſitiones, quando id quod prædicatum eſt, ſubiectum facimus, & quod ſubiectum, facimus eſſe præ- dicatum, hoc modo: Nullum animal eſt inanimatum, & nullum inanimatum eſt animal. Non tamen omnis determinatio in ſeſe reciprocatur, ſed Nullus in ſeſe, itemq; Aliquis: Omnis uerò in Aliquis: & Non omnis, non reciprocatur.

His ita conſtitutis, quando tres termini ita ſint poſiti inter ſe, ut unus ſubijcia- tur alteri de duobus, & dicatur de altero, tum PRIMA FIGVRA conficie- tur: ut, Subſtantia omni animali, animal omni homini, ſubſtantia omni homini.


Huius figuræ Modi ſunt quatuor. Concluſio dicitur id, quod ex ratiocina- tione concluditur: ut fuit id, quod nunc dicebam, Subſtãtia omni homini. Ma- ior terminus eſt is, qui in concluſione de alio dicitur: qualis eſt Subſtantia. Mi- nor eſt is, qui ſubijcitur: ut, Homo. Medius eſt ille, qui ſupereſt, Animal uide- licet. Ac Maior quidem propoſitio, eſt connexio maioris termini cum medio: Minor, eſt coniunctio medij cum poſtremo.



Ex primæ figuræ modis primus conſtat ex maiore pro- poſitione uniuerſali aienti, & minore uniuerſali aienti, & concluſionem uniuerſalem aientem infert: ut, Subſtantia omni animali, Animal omni homini, Subſtantia igi- tur omni homini ineſt.



Secũdus uerò conficitur ex maiore uniuerſali negãti, mi- nore uniuerſali aienti, & concluſionem uniuerſalem negan tem cõcludit: ut, Inanimatum nulli animali, Animal omni homini, Inanimatum igitur nulli homini ineſt.



Tertius ex maiore uniuerſali aienti, & minore particu- lari aienti fit, aientemq; particularem infert: ut, Animatum omni animali, Animal alicui albo, Animatum alicui albo ineſt.




Quartus efficitur ex maiore uniuerſali neganti, minore Particulari aienti, et concluſionem particularem negantem concludit: ut, Inanimatum nulli animali, Animal alicui al- bo, Animal igitur non omni albo eſt.

Iam uerò ex Propoſitionibus ita conſtitutis, ut ante dixi, huiuſmodi Conclu- ſiones effici neceſſariò, idq; nõ ſolùm in terminis propoſitis, ſed etiam in omni- bus, qui proponentur. ex hoc perſpici licet. Ponantur pro quibuſcunq; terminis A, B, C. & ex Omni Omni, cõcluſionem Omni inferri neceſſariò docebimus: atq; ex Nullo & Omni: Nulli concludetur: ab Omni & Aliquo, Aliquis induce- tur: à Nullo & Aliquo, Non omnis. Prius tamen percipiendum eſt dici ali- quid de omni, & alicui omnino ineſſe, quando nulla ſubiecti pars ſumi poteſt, de

qua

qua altera non dicatur. Simili quoque modo nulli aliquid alicui ineſſe dici, cùm nulla ſubiecti pars ſumi poſsit, de qua dicatur altera.


γράμματα ἔγραψε γραφίδι τεχνικῶς.



In primo igitur modo demonſtretur ſic: A inſit omni B, & B omni C. dico A omni C ineſſe: quia enim A omni B, omni B dico, hoc eſt nulla pars B eſt, de qua A non dicatur, & C eſt pars ipſius B, A de omni C dicitur.



Demonſtretur in ſecundo: Quia A nulli B ineſt, nulla eſt B pars, de qua dici poſsit A. C uerò eſt pars B, igitur A nulli C.




Oſtendatur etiam in tertio: Cùm A inſit omni B, de omnibus B partibus dicetur. nunc uerò aliquid eorum, quæ ſunt C, eſt B pars, & ita A de aliqua parte C dicetur. A igitur alicui eorum quæ C ſunt ineſt.



Proponatur item in quarto: Quia A nulli B ineſt, de nulla parte B dicetur. & B pars eſt aliquid eorum, quę ex C ſunt: ex quo fit, ut A non dicatur de omnibus partibus ipſius C. A igitur non omni C inerit.

Cùm uerò tres termini ita ſtatuti ſint, ac collocati inter ſe, ut unus eorum de cæteris duobus dicatur, tum SECVNDA FIGVRA conficietur. ut Inanimatum nulli animali, Inanimatum omni lapidi, Animal nulli lapidi. Huius figuræ Modi ſunt quatuor.

ἔγραψε, κάτεχε, μέτριον ἄχολον.




Primus ex maiore uniuerſali negante, & minore uniuerſali aienti, concluſioneq́ue uniuerſali neganti conſtat: ut, Inanimatum nulli animali, Inanimatum omni lapidi, Animal nulli lapidi.



Secundus ex maiore uniuerſali aienti, & minore uniuerſali negante conflatur, ac negantem uniuerſalem concludit: ut, Album omni niui, Album nulli coruo, Nix nulli coruo.



Tertius ex maiore uniuerſali neganti, minore particulari aienti fit, concludit'q́ue negantem particularem: ut Album nulli coruo, Album alicui corpori, Coruus non omni corpori.




Quartus ex maiore uniuerſali aienti, minore particulari negante conficitur, particularemq́ue concluſionem ac negantem inducit: ut, Candor omni niui, Candor non omni corpori, Nix non omni corpori.

Nunc demonſtrandum eſt ſecundam figuram ad primam reduci reciprocando, reciprocata uidelicet una propoſitione: ac primùm primus modus oſtenda-


tur. Quia A nulli B ineſt, & B quoq; nulli A. uerùm A omni C ineſt, B igitur nulli C inerit: id quod fit in ſecundo modo primæ figuræ. Quanquam aliter etiam poteſt probari ex ea demõſtratione, per quam quis urgetur incommodo, quæ impoſsibilis nominatur. Si enim B non ineſt nulli C, inerit alicui: Sicq; A nulli B, & B alicui C, A non omni C inerit. Sed erat etiam omni: quod fieri nullo modo poteſt. ita B non erit in aliquo C. igitur in nullo inerit. Itemq; quia A omni C ineſt, & C omni B, erit A alicui B: quod fieri non poteſt. Probetur nunc ſecundus modus. Quia A nulli C, etiam C nulli A inerit. uerùm A omni B ineſt, C igitur nulli B. Sicq; C nulli B ineſt, B quoque nulli C inerit.

Fiat idem denuo ex eo, quod fieri nequit. Si enim A nulli C non ineſt, inerit alicui: cùm igitur A omni B, & B alicui C, A alicui C inerit. Et hęc eſt in tertio modo primæ figuræ facta demõſtratio. quia enim A nulli C, & C alicui B, erit A non omni B, quod fieri nequit: non eſt igitur B in aliquo C. A igitur nulli C ineſt. Tertius nunc modus demonſtretur hoc pacto. Quia A nulli B ineſt, B itidem nulli A inerit: Sed A alicui C ineſt, B igitur non omni C in quarto modo primæ figuræ. Et ex demonſtratione qua quis incommodo urgetur, ſic: ſi A non ineſt non omni C, inerit omni: itaq; ſi A nulli B, & B omni C, A nulli C inerit. id quod fit in ſecundo modo primæ figuræ: & fieri non poteſt: non igitur ſequitur ut A omni C ineſſe dicatur. Præterea quia A alicui C, C quoq; alicui A inerit. Quòd ſi B omni C, & C alicui A, B alicui eorum quæ ſunt A inerit: quod effici non poteſt. Non igitur B ineſt omni C. Quartum modum non reciprocata minore propoſitione particulari neganti in recto caſu demonſtrare non ualemus: oſtendetur tamen ex demonſtratione ea, quæ ad impoſsibile dicitur deducere. Nam ſi non ineſt B nõ omni C, inerit omni: Sed & A omni B ineſt, & B omni C, & ita A omni C inerit. Verùm poſitum eſt non omni ineſſe: quod fieri nequit. B igitur non omni C ineſt. Quæ cùm dixerimus, ſequitur ut de tertia figura dicendum eſſe uideatur. Cùm itaq; tres termini ita affecti ſint inter ſe, ut unus eorũ utriſq; extremis ſubiiciatur, tum TERTIAM FIGVRAM eſſe conſtat. Eius Modi ſex ſunt.


Ἄπτοι, ἀδυναρός, ἀσπίδα, φέρετο, ἰνίους, ὁμαλός.



Primus eſt ex maiore uniuerſali aienti, & minore uniuerſali aienti, concluſionemq; particularem aientem concludit: ut, Animal omni homini, Rationis particeps omni homini, Animal igitur ineſt alicui rationis participi.




Secundus fit ex maiore uniuerſali negante, minore uniuerſali aienti, & cõclusionem particularem negantem infert: ut Rationis expers ineſt nulli homini, Animal omni homini, igitur Rationis expers non omni animali.



Tertius ex maiore uniuerſali aienti, minore particulari aienti conſtat, ac concluſionem particularem aientem infert. ut, Rationis particeps omni homini, Candor alicui homini, Rationis igitur particeps alicui candori,

Quart.



Quartus efficitur ex maiore uniuerſali negãte, & minore particulari aiẽti, ex quibus particularis negans ſequitur cõcluſio. ut, Rationis expers nulli homini. Candor alicui homini, Rationis igitur expers non omni candori.



Quintus ex maiore particulari aiẽte, & minore uniuerſali aienti cõſtat totus: isq́ concluſionẽ aientem particularem infert hoc modo: Id quod philoſophum eſt, alicui homini ineſt. Quod rationis particeps eſt, omni homini. Quod igitur philoſophum eſt, alicui rationis participi ineſt.



Sextus eſt totus factus ex maiore particulari neganti, minore uniuerſali aienti, & concluſione particulari negãti. ut, Candor non omni homini, Animal omni homini, Candor igitur non omni animali ineſt.

Atq; hi quidem modi reduci poſſunt ad eos, qui in prima figura ſunt, id quod ex reciprocatione deinceps demonſtrabo: ac Primus quidem ſic probatur. Quia enim B omni A ineſt, A quoq; alicui C inerit: ſicq; propoſitio reciprocetur, B alicui C inerit in tertio modo primæ figuræ. Demonſtrabitur id quoq; ex ea demonſtratione, per quam quis urgetur incommodo: Si enim B nõ ineſt alicui C, inerit nulli, itaq; ſi B nulli C, & C omni A, B nulli A inerit: quod nihil eſt, cur fieri putem poſſe: igitur B non ineſt nulli C, ſed alicui. Itemq; ſi C nulli B, & B omni A, C nulli A inerit: quod non eſt, cur fieri poſſe putem: B igitur alicui C inerit. Sed de hoc hactenus. Ad Secundum aggrediamur: Quia B nulli A, & A alicui B ineſt, reciprocata propoſitione, B non omni C inerit: & id fit in quarto modo primæ figuræ, & ex eo, quod fieri nequit. Si enim non omni ineſt, erit B omni C, & C omni A, B igitur nõ omni C. Itẽq; ſi A nulli B, & B omni C, erit A nulli eorum quæ ſunt C: quod fieri non poteſt. B igitur omni C ineſt,

Nunc ad Tertiũ ſe conuertat oratio noſtra: Quia enim B omni A ineſt, A q; alicui eorum quæ ſunt C, reciprocata propoſitione fiet, ut ex tertio modo primę figuræ B alicui eorum quæ ſunt C, inſit. Probabitur id quoq; ex demonſtratione quæ ad impoſsibile deducit: Si enim fieri poſsit, ſit B nulli C, inerat enim C alicui etiam eorum, quæ ſunt A, B igitur non omni ei, quod eſt ex A: ſed id fieri non poteſt: ipſum igitur B non ineſt nulli eorum quæ ſunt C, ſed alicui.

Rurſus quia C nulli B, & B omni A, erit C nulli A: ſed erit etiam alicui: quod fieri nequit: ita fit, ut B alicui eorum, quæ ſunt ex C, inſit. Conſequens eſt, ut Quartum quoque approbemus: ac primum, quia B nulli eorum, quæ ſunt A, & A alicui eorum quæ ſunt C, ineſt, reciprocata propoſitione fiet, ut in quarto modo primæ figuræ B non omni C inſit. Id etiam ex eo quod fieri nequit, nõ ſecus efficietur. Etenim ſi fieri poteſt, inſit B omni C, nã C quoq; alicui eorum quæ ſunt A ineſt, & ſequetur, ut B & alicui, & nulli eorum quæ ſunt A, inſit: ſed fieri non poteſt: B igitur non omni C ineſt. Cumq; A nulli B inſit, reciprocata propoſitione continget ut B omni C inſit; & ita A nulli C ineſſe

concludetur:& tamen alicui quoq; concluditur: quod fieri non poteſt. B igitur nō omni C ineſt. De Quinto nunc dicēdum eſt. Cùm igitur C omni A,& A alicui eorum quæ ſunt B, inſit, C quoq; alicui eorum, quæ ſunt B, inerit, in tertio modo primæ figuræ. Nam ſi C alicui eorum, quæ ſunt B, ineſt, B iiidem alicui eorum quæ ſunt C. Ex eo quod fieri nequit, ſic: Si B nulli eorum quæ ſunt C,& C omni A, C nulli eorum, quæ ſunt A, inerit: & tamen inerat alicui, quod non poteſt contingere. B igitur alicui eorum quæ ſunt C. Cumq; C nulli B,& B alicui A, efficieturut C & non omni A,& omni inſit, quod fieri nullo pacto poteſt. B igitur alicui C inerit. Sextus reſtat, ut de omnibus modis ſit dictum. Is uerò per rectum non poteſt demonſtrari, ut ex reciprocatione ad primam figuram adducatur. Ex ea demonſtratione uerò, quæ ad impoſsibile dicitur adducere, poteſt. Si enim non ſit B non omni C, erit omni. at C quoque omni A eſt: & ita B omni A, & non omni etiam: quod eſſe non poteſt: B igitur non omni C ineſt.

Trium Figurarū proprietates ſunt hæ: In una ut medius terminus ſubiiciatur maiori extremitati,& dicatur de altera: in eaq; ſemper uniuerſalia & particularia aientia, ac negantia concludantur. ut minor propoſitio ſemper aiens ſit, ſiue ea particularis, ſiue uniuerſalis exiſtat: & maior ſemper ſit uniuerſalis, atque ea uel aiens uel negans. & ut in ea cæteræ duæ perficiantur. In altera, ut medius terminus de utriſque extremitatibus dicatur: ut negantia uel particularia uel uniuerſalia ſemper concludantur: maior ſemper uniuerſalis ſit: minor non item, ſed tum uniuerſalis, tum particularis. In tertia, ut medius terminus ambobus extremis ſubiiciatur. ut minor ſemper aiens ſit, ut maior ſit uel rerum uniuerſarum, uel ſingularum: ut ſingulæ res uel aientes, uel negantes ſemper concludantur.

RATIOCINATIONES uerò, quas uel ſcriptas inueniemus in philoſophorū libris, uel quas afferent ii, qui diſputabūt, reſoluere poterimus hoc pacto: Primū omnium quærendū eſt, utrum ſit ratiocinatio. Ac ratiocinationē quidem tum demū eſſe cognoſcemus, ſi ſit oratio enuncians cum cauſa pronūciata: deinde ſumenda erit concluſio, qua utatur is, qui concludit: tum conſiderandum erit, utrum coniungatur prædicatū cum ſubiecto,& alterum ab altero ſeparetur: hoc eſt, utrum aiens, uel negās ſit: ſiq; aiens ſit, perſpicuum erit huiuſmodi ratiocinationē non eſſe ſecundæ figuræ: quod ſi ſit rerum uniuerſarum, clarum erit eſſe primum modum primæ figuræ: ſi ſit rerum ſingularū, patet eam eſſe uel primæ, uel tertiæ figuræ. Cumq; ſumpto maiore & extremo termino in cōcluſione, neceſſario fiat, ut medius quoq; ſumptus ſit, uidēdum erit an medius extremo ſubiiciatur, an de eo dicatur: ac ſi medius dicatur, ea ratiocinatio erit in tertio modo primæ figuræ: ſin autē extremus dicatur de medio, erit in tertia figura. Poſtremò propoſitiones erūt nobis conſiderādæ: quæ ſi ambæ uniuerſales aientes ſint, erit primus modus tertiæ figuræ: ſi uero maior uniuerſalis & minor particularis, erit tertius tertiæ: ſi contrà, erit quintus tertiæ: ſi concluſio ſit negans, at eadem uniuerſalis, nullo modo eſſe poterit in tertia figura illa quidem, ſed uel in prima, uel in ſecunda. Quibus quidem ſit rebus, ut ſi medius terminus ſolùm dicatur, erit in ſecunda, eritq; primus, uel ſecundus modus. id quod ex propoſitionibus cognoſcetur. Si uerò dicatur, atque ſubiiciatur, erit in prima, isq; erit ſecundus modus. At ſi concluſio de rebus ſingulis ſit, figuram ratiocinationis ex

medio

medio termino, modum ex propoſitionibus cognoſcemus. Atq; in hoc quidem diſſoluendarum ratiocinationum more uerſati, ac exercitati poterimus quoque præclarè ratiocinationum formas in diſputationibus diſcernere. & ita quæ ueræ ratiocinationes ſint, & ex arte confectæ, quæ non: quæ'ue ex forma ratiocinationis fallaciter concludantur, intelligemus.

DE RATIOCINATIONIBVS HYPOTHETICIS.

QVONIAM, ut ante dixi, enuncians oratio in Categoricam, & Hypotheticam diſtribuitur, deq; Categoricis ratiocinationibus iam multa dicta ſunt nobis: conſequens eſſe uidetur, ut de Hypotheticis diſſeramus. Omnis igitur Hypothetica ratiocinatio conſtat ex Antecedente, Conſequente, Aſſumptione, & Concluſione, ut hoc exemplo perſpicuum & planum fiet: Si homo eſt, animal eſt: ſed homo eſt, animal igitur etiam eſt. Antecedens eſt, Si homo eſt: Conſequens, Animal eſt: Aſſumptio, Sed homo eſt: Concluſio, Animal igitur etiam eſt. Hypotheticarum modi ſunt quatuor: Primus, cùm aliquid exiſtat, quid ſit declarat: Secundus, cùm quippiam exiſtat, explicat quid non ſit: Tertius, cùm aliquid non extet, quid ſit ſignificat: Quartus, cùm aliquid non eſt, quid non ſit, aperit. Exempla autem ſupponenda ſunt, ac primi quidem huiuſmodi: Si homo eſt, animal eſt, ſed homo eſt, animal igitur etiam eſt. Cùm enim homo eſſe ſubiiciatur, animal eſſe concluditur. Secundi hoc: Numerus uel par eſt, uel impar, ſed par eſt, non eſt igitur impar. Propterea enim quòd ponitur parem eſſe, tollitur eſſe imparem. Tertii exemplum hoc erit: Quantitas uel coniuncta eſt, uel diſiūcta, uerùm diſiuncta non eſt, coniūcta igitur. Quarti erit tale: Si homo eſt, animal eſt, ſed animal non eſt, neq; igitur homo. Ex eo enim quòd ponitur non eſſe animal, oſtenditur non eſſe hominem. Qua quidem in re ſcire debemus, non ſolùm poſſe eſſe unum antecedens, & unum conſequens, ex quibus aſſumptio, & concluſio inferantur: ſed multa, atque adeo tot antecedētia, & conſequentia ponenda ſunt, uſque dum & ipſa, & ea quæ ſequantur, ſint ſatis ad aſſumptionem, & concluſionem inducendam. Id quod fit dupliciter. Vel enim uni antecedenti multa conſequentia coniungimus per hoc aduerbium VEL, & ita inducentes aſſumptionem concludimus: uel ad primum conſequens aliud conſequens, & aliud deinceps ad illud quod adiunctum ſit, addimus, donec id, de quo agitur ſatis appareat: deinde aſſumptionē inferentes concludimus. Ratiocinatio igitur uel eſt omnino ex ſubiectionibus facta, uel cū uerbo VEL, efficitur: ac cum Vel, ſic: Id quod animatum eſt, uel animal eſt, uel animalis & ſtirpis particeps, uel ſtirps: uerùm neque animal, neque animalis & ſtirpis particeps eſt, ſtirps igitur eſt. Hæc eſt in tertio modo hypotheticarum: in quo quid ſit declaratur, cùm aliquid non exiſtat. Id tamen in ſecundo modo concludi etiam poteſt hoc pacto: Quod animatum eſt, id eſt uel animal, uel animalis & ſtirpis particeps. Quæ uerò eſt omnino ex ſubiectionibus confecta, eſt huiuſmodi: Si Deus bonus eſt, gratia referetur iis qui uixerunt, & ſe præclarè geſſerunt: ſi referetur gratia iis, qui uixerunt, ſeq; præclarè geſſerunt, anima poſt mortem erit: ſi anima poſt mortem erit, immortalis eſt: ita ſi Deus bonus eſt, anima eſt immortalis: atqui Deus bonus eſt, anima igitur immortalis. Hic eſt primus modus, ſiquidem in eo demonſtratur cùm aliquid exiſtat, quid id ſit: quam quidem ratiocinationem in tribus conſequentibus poſſumus

efficere. Ita fit, ut ratiocinatio hypothetica, & quæ ex uerbo VEL, & quæ omnino conſtat ex ſubiectionibus in his quatuor, quos dixi, modis contineatur.

SCIRE debemus, omnia, quæcunq; fecit Deus, cœlum, mare, terram, aquã, ignem, aëra, lapides, ligna, herbam, colores, candorem dico, & nigrorem, & cætera huiuſmodi, Entia dici. quæ omnia ſunt in duas partes diuiſa: altera eſt Subſtantia, altera nominatur Accidens: in quibus omnia, quæ in rerum natura ſunt, comprehenduntur.

SVBSTANTIAE DEFINITIO.

SVBSTANTIA res eſt, quæ ſe pulcherrimè ſuſtentat, & nihil aliud ei opus eſt ad conſtitutionẽ ſui. Subſtãtia, inquã, eſt id, quod per ſe cohæret, ac cernitur: ut, lapis, lignũ, herba, homo, bos, equus, & cætera generis eiuſdem. Siquidẽ hæc & per ſe conſtant, & per ſe cõſiderantur omnia, nec rei ullius indigent, cuius ope conſiſtant: hæc igitur Subſtantiæ uocabulo gaudent. Id uerò quod per ſe neq; conſtat, neq; cernitur, ac tangitur, nominatur Accidẽs: ut morbus, qui neq; per ſe cohæret, neq; tangitur ac cernitur: quandoquidem morbus in corpore, uel in animali conſiſtit: & ideo nec ſub aſpectũ, nec ſub tactum cadit: ac per ſeſe neq; cernitur, neq; ſubſiſtit. Simili quoque modo fit in accubatione, inclinatione, & ſeſsione: quæ niſi corpora ſint, quæ accũbant, inclinentur, & ſedeant, nullæ ſunt. Eadem ratio eſt candoris, & nigroris, & omnium reliquorum. Subſtãtia igitur, ut dictum eſt, res eſt quæ ſe pulcherrimè ſuſtentat, & nullius indiget, ut ſubſiſtat.

ACCIDENTIS DEFINITIO.

ACCIDENS eſt, quod in ſeipſo eſſe non poteſt, ſed in alio cõſiſtit. Ens uerò eſt res, quæ cohæret per ſeſe, nec re ulla eget, ut conſiſtat: tamen in ſeipſo eſſe non poteſt illud quidem, ſed in alio conſiſtit, atq; cohæret.

Subſtantia eſt Genus, corpus uerò, & corporis expers, quæ oppoſita ſunt, Species dicũtur. ita nullum genus eſt ſine ſpecie, neq; ſpecies ſine genere. Ac genus quidem, quo nullum eſt ſuperius, Generaliſsimum, & ſummũ appellatur, cuiuſmodi eſt Subſtãtia, cùm nullum genus ſit ſupra ſubſtantiam. Itemq; ſpecies ea, quæ nulla alia ſpecies inferior eſt, Specialiſsima, & infima dicitur: huiuſmodi eſt, mortale & immortale. Oppoſita uerò, quæ intermedia interiecta ſunt inter Subſtantia & Mortale, ac immortale, genera, & ſpecies nominantur, quæ ſe inter ſe continent: ut Subſtantiã genus eſt corporis, & eius, quod eſt corporis expers: Corpus poſtea genus eſt animati, & inanimati: Animatum genus eſt ſenſus participis & expertis: quæ ſuperiorum ſpecies ſunt, & inferiorum genera.

ENS DISTRIBVITVR IN

Subſtantiam, & Accidens.

Subſtantia in

Corpus, & Corporis expers.

Corpus in

Animatum, & Inanimatum.

Animatum in

Senſus particeps, & Senſus expers.

Senſus particeps in

Animal, & Animalis ac plantę particeps.

Animal in

Rationis particeps, & Rationis expers.

Rationis particeps in

Mortale, & Immortale,

Mortale in Homine, Boue, & huiuſmodi dicitur.

Immortale in Deo, Angelo & Anima dicitur.

DIVIS

DIVISIO eſt prima rei diſtributio: ut, Subſtantia diuiditur in corpus, & immortale: hoc eſt, Subſtantia omnis ita diſtribuitur, ut uel corpus ſit, uel uacans corpore: nihilq́ꝫ aliud exiſtat. Scire uerò debemus Oppoſita in omni re, contraria eſſe debere. Subſtãtia enim genus eſt, & ea, in quæ ipſa diuiditur, uidelicet corpus, & corporis expers, quæ Oppoſita eſſe dicuntur, cõtraria ſunt: quippe cùm neqꝫ corpus definitione corporis expertis explicetur, neqꝫ corporis expers definitione corporis: nomen tamen & definitionem generis & corpus & corporis expers ſuſcipiunt: cùm utrunqꝫ ſubſtãtia eſſe dicatur, & per ſe conſtet, nulliusq́ꝫ indigens ſit, ut ſubſiſtat. Ipſa tamen inter ſe nihil habent commune; ſiquidem neqꝫ corpus dicitur expers corporis, neqꝫ corporis expers appellatur corpus. Ita fit, ut omnia oppoſita ita affecta ſint.

GENVS eſt, quod dicitur de multis, iiſq́ꝫ ſpecie differentibus in quæſtione, qua quid quicqꝫ ſit quęritur. Genus tribus modis dicitur: Genus enim cuiuſqꝫ patria dicitur, ut à Rhodo Rhodius, & à Cypro Cyprius, & cætera generis eiuſdem. Itemq́ꝫ Genus dicitur nomen à parentibus ductum, ut ab Æaco Æacides, & huic cõſimilia. Genus deniqꝫ uerè, & de quo philoſophis habenda ratio eſt, dicitur in quærenda natura multarum rerum, quæ ſint diuerſæ ſpeciei.

SPECIES tribus modis dicitur: primò enim ſignificat pulchritudinem: deinde ſpecies dicitur figura ſtatuæ: poſtremò ſpecies propriè dicitur, quæ generi ſubiicitur: ea eſt, de qua philoſophi loquuntur, quamq́ꝫ hac definitione explicant, Species eſt, quæ de multis, iiſq́ꝫ numero differentibus, in quæſtione naturæ dicitur.

DIFFERENTIA tripartitò diſtribuitur, Communiter, Propriè, & Maximè propriè. Communis differẽtia eſt, tanquam accidens quod ſeparatur à re, in qua ineſt: qua homo ab homine differt, ſi alter ſedeat, ſtet alter. Propriè autem differt homo ab homine accidenti quod non ſeparatur, cùm quis ſit repandis naribus, alter non itẽ. Maximè propriè uerò, ut homo ab animali differt ratione, uel rationis uacuitate: uel homo ab angelo mortalitate, & immortalitate: quandoquidem hæ differẽtiæ ad ſubſtantiam pertinentes nominantur, ob eamq́ꝫ cauſam ad hominis definitionem adhibentur, & eius ſubſtãtiam conſtituunt. De hac igitur differentia philoſophi uerba faciunt: eamq́ꝫ ita definiunt: Differentia eſt, quæ de multis, iiſq́ꝫ ſpecie differentibus dicitur, quærendo quale quid ſit.

PROPRIVM quadripartitò diuiditur. Quod uni ſoli ſpeciei, neqꝫ toti conuenit: ut, geometrę fungi munere: Et quod toti ſpeciei, & non ſoli: ut, homini bipedem eſſe. Et quod in tota, ſolaq́ꝫ ſpecie, & non ſemper reperitur: ut, caneſcere. Et quartum uerè proprium id, in quod hæc omnia antedicta concurrunt: ut, natum eſſe ad riſum: id quod etiam reciprocatur.

ACCIDENTIS genera ſunt duo: alterum eſt ſeparabile, alterum quod ſeparari non poteſt. Ac Separabile quidem, ut ſedere, & ſtare in homine: accidit enim, ut is qui ſedet, etiam ſtet, quiq́ꝫ ſtat, etiam ſedeat. ſeparabile accidens eſt ueluti niger & albus color, & huiuſmodi. Et quęcũqꝫ adeſſe, & abeſſe à ſubiecta re poſſunt ſine rei ipſius interitu, Separabilia accidentia nominantur. Quod uerò ſeparari non poteſt, adeſt illud quidem, ſed auelli à re in qua inhæret, nullo modo poteſt: cuius generis eſt aduncitas, & cicatrix, quæ iam calluerit. Accidens autem ſeparabile dicitur Affectio: id uerò quod non ſeparatur, dicitur Pa-

tibilis qualitas, qualis eſt candor in niue,uel in lacte: uel calor in igne: quando quidem & hæ, & huiuſmodi, patibiles qualitates appellantur. Atque accidens quidem definiunt hoc modo: Accidens eſt, quod adeſt & abeſt ſine interitu eius rei,in qua ſitum eſt. Vel ſic: Accidens eſt,quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe. Vel ad hunc modum: Accidēs eſt,quod nec præſens rem ſeruat,nec abſens corrumpit. Vel hoc pacto: Accidens eſt, quod per ſe cohærere non poteſt, ſed ad aliud annititur. Ad alia nunc aggrediamur.

Compertum nobis ſit, Omne quod de aliquo dicitur, uel eſſe maius & latius eo,de quo dicitur,uel ei æquale eſſe: minus enim eſſe ne unquam quidem poteſt.

Latius autem aliquo quippiam eſſe dicitur, cùm uel genera, uel formas, uel differentias de iis, quæ eis ſubiecta ſunt, quæ ad ſingulas res pertinent, enunciamus: ut cùm animal de homine dicitur, eſt enim animal hominis genus: & ob eam rem & de homine, & de boue, & de equo, & de ſingulis animalibus dicitur. Igitur animal tanquam latius patens & genus, de omni homine, qui minus ſerpit, & ſpecies eſt, dicitur: non tamen dicitur homo de omni animali. Ita ſi animal de omni homine dixeris, uerus eris, quia omnis homo animal eſt: at ſi omne animal eſſe hominem dixeris, eris mendax: quippe quia non omne animal eſt homo, cùm ſit etiam equus, atque bos, ac canis, cæteraq; innumerabilia. Quibus quidem ſit rebus, ut ſi maius de minore dicatur, oratio noſtra uera ſit futura: ſin ſecus, falſa. Æqualia uerò de æqualibus dicuntur, cùm aliquod proprium de re, cuius proprium eſt, dicitur: quod etiam Reciprocari dicimus: ut cùm dicimus, Natum eſſe ad riſum conuenire omni homini, & omnem hominem cuicunque apto ad riſum: itemq; id quod habet hinniendi facultatem omni equo, & equum omni ei, quod hinniendi facultate eſt præditum. Idem in cæteris contingit. Si enim genus de ſpecie, & ſpecies de indiuiduis, & differentia de rebus, quarum differentia eſt, dicatur, uera erit dicendi ratio: uerùm ſi minora de maioribus dici facias, falſum dices.

Hoc etiam animaduertendum eſt: Quodcunq; aliud tollit, ipſumq; non tollitur, maius eſt eo, quod tollitur. Itemq; quodcunq; infertur, & ipſum non infert: ut ſi tollatur animal, ita ut non ſit, non erit homo: ſi uerò homo tollatur, erit etiam omnino animal. Et, ſi dixeris hominem, neceſſariò animal inferes: ſi animal dixeris, nequaquam homo inferetur.

QVID HOMONYMA.

Homonyma ſunt, quorum nomen eſt commune, definitioq; naturæ diuerſa eſt: ut, Animal, Homo, & Depictum animal unum nomen habent: uerùm unum animatum eſt, alterum non eſt.

SYNONYMA.

Synonyma ſunt, quorum & nomen commune eſt, & natura eadem: ut Homo, Bos, & Equus, & conſimilia, unum nomen habent, quia animalia ſunt: & ita nominantur, & animalis definitione explicantur.

PARONYMA.

Paronyma ſunt, quæ ab aliquo nominantur: ut à Grammatica, Grammaticus, à Fortitudine, Fortis.

POLYONYMA.

Polyonyma ſunt, quibus una & eadem res ſubiecta eſt, nominibus tamen di-

uerſis

uerſis appellãtur, ut in gladio clarũ eſt: dicitur enim, Gladius Enſis, Sica, Ferrũ.

HETERONYMA.

Heteronyma ſunt, quæ nomen & definitionem diuerſam habent, interq; ea nihil eſt commune: ut Homo & Candor: quorum Homo eſt ſubſtantia, & Candor accidens.

DIVERSA.

Diuerſa ſunt, quæ unam rem ſubiectam habent, nominibus diſcrepant: ut, Aſcenſus & Deſcenſus, quibus utriſq; unæ & eædem ſcalæ ſubiectæ ſunt.



DECEM SVMMA GENERA.

DECEM Categoriæ ſunt, ad quas omnia, quæcunq; ſunt, referuntur, & ſub eis continentur: ſunt autem hæ: Subſtantia, Quantitas, Qualitas. Quæ ſub eandem rationẽ cadunt, Vbi, Quando, Agere, Pati, Situm eſſe, Habere. Ex quibus decem ſola Subſtantia eſt ſubſtantia: cætera nouem ſunt Accidentia. Subſtantia quid ſit, dictum eſt prius. Nunc ſciendum eſt decem Categorias appellari etiam Genera, & unamquanq; Categoriam habere proprias diſtinctiones.

QVANTITAS.

Quantitates ſeptem ſunt, Linea, Superficies, Corpus, Locus, Tempus, Numerus & Oratio. Earum duo ſunt genera, unum Cõiunctum, aliud Diſiunctum.

Coniuncta quantitas eſt, cuius partes ad certum communem terminũ omnes pertinent: ut in Linea, Superficie, & Corpore clarum eſt, in quibus coniuncta quantitas eſt. Diſiuncta quantitas eſt, cuius partes à nullo communi termino continentur: ut Numerus, ut Oratio, ut Tempus. Ac Tempus quidem continuũ etiam eſt, ſitum tamen nullum habet: ob camq; cauſam ſub deiuncta quantitate cõſtituitur. Linea eſt longitudo uacans latitudine. Superficies eſt, quę duas menſiones habet, longitudinem, & latitudinem. Corpus eſt triplici dimenſione, longitudine, latitudine, & altitudine præditum. Ac dimenſiones quidem quę dicuntur, ſunt tres, Lõgitudo, Latitudo, Altitudo. Ea re fit, ut quodcunq; tribus dimenſionibus conſtare dicitur, ſit corpus: quod uerò treis dimenſiones non habet, ſit uel ſuperficies, quæ duabus longitudine, & latitudine conſtet; uel linea, quæ ſolam habet longitudinem.

QVALITAS.

Qualitas in octo diſtribuitur: in Habitum, Affectionem, Potentiam, Impotentiam, Patibilem qualitatem, Perturbationem, Figuram, & Formam. Habitus dicitur, quando habitudo permanet, & diuturna eſt, ac nihil eſt, à quo poſſit mutari. Hæc eadem habitudo dicitur etiam patibilis qualitatis, quæ eſt accidens, quod auelli non poteſt à re, in qua ſitum eſt. Affectio uerò ſeparari poteſt. Potentia eſt id, quod eſſe poteſt, nullo tamen modo eſt. Impotentia eſt id, quod eſſe non poteſt. Habitus autem eſt intentio affectionis, & firmitas, atq; cognitio ex continua & perſpicua affectione, ut natura per ſeſe patiens, & ut in patibilem qualitatem uerſa habitus dicitur. Patibilis uerò qualitas idem eſſe dicitur, & difficulter diuellitur. Affectio autem facilè eiicitur. Potentia dicitur ut in infante, cùm eum uel curſorem, uel philoſophum eſſe dicimus, cùm tamen nunc non ſit, ſed eſſe poſsit longo poſt tempore. Potentia dicimus lignum eſſe nauem, quia ad nauim exædificandam adhiberi poteſt. Impo-

tentiam dicimus, quando natura illa, qua de agatur, apta nõ ſit, ut rem illam ſuſcipiat, quemadmodum dicimus hominem non poſſe uolare, aut equum loqui: & cętera omnia, quę fieri nullo modo poſſunt. Figura dicitur informatio, ac deſcriptio quædam. Forma eſt, quæ extrinſecus apparet, & coloris, ac pulchritudinis ſpeciem, quæ ſit, indicat.

DE IIS, QVAE SVB EANDEM CADVNT RATIONEM.

Quæ ſub eandem rationem cadunt, ſunt ea, quæ quicquid ſunt, aliorum eſſe dicuntur. Earum eſt quadripartita diuiſio. Natura, ut pater & filius: Fortuna, ut ſeruus ac dominus: Arte, ut diſcipulus & magiſter: Conſilio & uoluntate, ut amicus cum amico.

VBI.

Vbi, ſunt ſex genera, Supra, Infra, Ante, Retro, à Dextris, à Siniſtris.

QVANDO.

Quando, diuiditur in præſens præteritum & futurum, quæ ipſa quoque diuiduntur.

FACERE.

Facere, *diuiditur* in Actionem & Orationem, ac Cogitatum, atque Manuum actionem. Oratio in genus dicendi Græcorum & aliorum: Cogitatum in mille cogitationes, quæ in rerum natura ſunt, & quæ rerum naturam excedunt.

PATI.

Pati, diſtribuitur in affectionem corporis & animi, & unaquaq; affectio in actiones, aut gubernationes proprias.

SITVM ESSE.

Situm eſſe tripartitò diuiditur: in Statum, Seſsionem, & Accubationem: atq; hæ ſingulæ diuerſis modis uariantur.

HABERE.


Habend*i* diuiſio tripartita eſt, in id quod habet in ſe, quod habet ut poſſeſsionem, & quod habet circa ſe.

AFFIRMATIONIS ET NEGATIONIS DEFINITIO.

Affirmatio eſt, quæ aliquid ineſſe cuipiam dicit: ut, Homo pulcher, iuſtus, prudens eſt. Negatio eſt, quæ aliquid alicui negat ineſſe: ut, Non eſt ſapiens: Non eſt bonus.

PROPOSITIONES quatuor ſunt: Omnis, Non omnis, Aliquis, Nullus: ex quibus uerum, & falſum concluditur. Vniuerſale uerbum eſt Omnis, & affirmationem ſignificat: Particulare uerò Aliquis, affirmationem itidem ſignificans. Eſt item uniuerſale uerbum Nullus, & negationem declarat. Sed ſcire hoc loco debemus, hæc duo, Non omnis, & Omnis, contradictoriè opponi: itemq; Aliquis & Nullus. Contrario uerò nomine opponuntur Omnis, & Nullus: Aliquis, & Non omnis. Dicimus enim, Omnis homo deambulat, quod falſum eſt: Non omnis homo deambulat, quod eſt uerum. Aliquis homo philoſophatur, uerum: Nullus homo philoſophatur, falſum. Contrario uerò nomine, Omnis homo philoſophatur, falſum eſt: Nullus homo philoſophatur, eſt falſum. Cùm enim propoſitiones cõtrario nomine opponuntur, tum


falſæ ſunt. Aliquis homo eſt rationis particeps, falſa propoſitio eſt: Nullus homo eſt rationis particeps, item falſa. Materiæ tres ſunt, Neceſſaria, ut Reſpirare hominem: Contingens, ut Hominem philoſophari: Ea quæ fieri non poteſt: ut, Hominem uolare. In quibus quidem tribus materiis propoſitiones ſimul ueræ ſunt, & falſæ.






DE RATIOCINATIONIBVS.


Figuræ Ratiocinationum tres ſunt. Prima ex medio termino cognoſcitur, ſi is primo termino ſubiiciatur, & dicatur de ultimo. Hæc figura quatuor modos habet, ex quibus




Primus conſtat ex duabus uniuerſis propoſitionibus, concluſionemq; uniuerſalem aientem infert hoc modo: Subſtãtia omni animali, Animal omni homini, Subſtantia igitur ineſt omni homini.



Secundus ex maiore uniuerſali neganti, minore uniuerſali aienti efficitur: uniuerſalemq; negantem cõcludit: ut, Animatum nulli inanimato, Inanimatum omni lapidi, Animatum igitur nulli lapidi.




Tertius fit ex maiore uniuerſali aiente, minore particulari aiente, cõcluditq; particularem aientem ſic: Animal omni homini, Homo alicui candori, Animal igitur alicui candori.



Quartus conficitur ex maiori uniuerſa neganti, & minori rerum ſingularum aienti, ſingularemq; negantem concludit, hoc modo: Animatum nulli inanimato, Inanimatum alicui candori, Animatum igitur non omni candori ineſt. Atq; hi quidem ſunt modi primæ figuræ: quos ut facilius cognoſcas, hunc uerſum memoriæ commenda, & omnes has ratiocinationes directè inuenies.

γράμματα ἔγραψε γραφίδι τεχνικὸς
A dicitur de omni; E, de nullo; I, de aliquo; O, de non omni.


Secundæ



Secundæ figuræ ratiocinationes ſunt hæ: Prima ex maiori uniuerſale neganti, minore uniuerſali aienti, & concluſione uniuerſali neganti conſtat: quippe quia omnes ſecundæ figuræ cõcluſiones negantes ſint, ut, Animatum nulli inanimato, Animatum omni homini, Inanimatum igitur nulli homini.



Secunda ex maiori uniuerſali aienti, & minori uniuerſali negante fit, uniuerſalemq́ negantem concluſionem infert: ut, Animatũ omni homini, Animatum nulli inanimato, Homo igitur nulli inanimato.



Tertia ex maiore uniuerſali negante, & minore particulari aienti fit, concluſionemq́ particularem negantem concludit: ut, Animatum nulli inanimato, Animatum alicui corpori. Inanimatum igitur non omni corpori.



Quarta ex maiore uniuerſali aiente, minore particulari negante eſt facta, ea concluſionem particularem negantem concludit: ut, Animal omni homini, Animal non omni candori, Homo igitur non omni candori ineſt.




Tertiæ figuræ Primus modus cõſtat ex duabus aientibus uniuerſalibus, concluſionemq́ particularem aientem cõcludit: ut, Homo omni Paulo, Animal omni Paulo, Homo igitur alicui animali ineſt.



Secundus ex maiore uniuerſali negante, & minore uniuerſali aienti conficitur, ac cõcludit particularem negantem: ut, Animal nulli inanimato, Corpus omni inanimato, Animal igitur non omni corpori.



Tertius ex maiore uniuerſale aiente, & minore particulari aienti fit, cõcluſionem uerò particularem aientem inducit, ita: Animal omni homini, Candor alicui homini, Animal igitur alicui candori.




Quartus ex maiore uniuerſali negante, minore particulari aiente, ac concluſione particulari negante conſtat: ut, Inanimatum nulli animali, Candor alicui animali. Inanimatum igitur non omni candori ineſt.

Quintus



Quintus ex maiore particulari aiente, minore uniuerſali aiente fit, ac concluſionem particularem aientem infert: ut, Animal alicui animato, Corpus omni animato, Animal igitur ineſt alicui corpori.



Sextus ex maiore particulari neganti, minore uniuerſali aiente fit, concludit'que particularem negantem, hoc modo: Animal non omni corpori, corpus omni animato, animal igitur non omni ineſt corpori.

DE RATIOCINATIONIBVS HYPOTHETICIS.

HYpotheticæ, quæ item Connexæ ratiocinationes dici poſſunt, ſex ſunt. Prima eſt hæc, Si Deus iuſtus eſt, ex eo ſunt iudicia, ſi ex eo ſunt iudicia, animæ immortales ſunt. Secunda eſt ex antecedente, & conſequente, & ex diſpoſitione antecedentis infert conſequens: ut, Si homo eſt, animal eſt, Sed homo eſt, animal igitur eſt. Tertia conſtat ex antecedenti & cõſequenti, & tollendo conſequens concludit antecedens: ut, Si homo eſt, animal eſt, Sed animal non eſt, non igitur eſt homo. Quarta, ex negante coniunctione conſtat, quæ ex coniunctione unius, alterum tollit: ut, Non idem eſt homo & equus, & bos: ſed homo eſt, non igitur etiam equus & bos. Quinta, ex duobus uel pluribus aduerbiis disiungentibus facta uno poſito tollit cætera: ut, Vel eſt dies, uel eſt nox, Sed dies eſt, non eſt igitur nox. Vel ſic: Id eſt uel maius hoc, uel minus, uel æquale; ſed huic æquale eſt, non eſt igitur maius & minus.

ARGVMENTA FALLACITER CONCLVSA.

Paralogiſmi, hoc eſt argumenta fallaciter concluſa, & captioſæ concluſiones fiunt ex Homonymia ſic: Animal animatum eſt, id quod depictum eſt, animal eſt, id igitur quod depictum eſt animatum eſt.

Ex ambiguitate ſic: Quod quis uidet, id omnino uidet, aliquis lignum uidet, ipſum igitur lignum uidet.

Ex Coniunctione hoc modo: Qui ſedet ambulare poteſt, hic ſedet, hic igitur ambulat.

Ex Diſtinctione ſic: Quinque ſunt tria, & duo: duo & tria ſunt par numerus, & impar: quinque igitur ſunt par numerus, & impar.

Ex Forma orationis ita captio euenit: Diſcere eſt uerbum actionis, agere in diſcipulo, eſt docere, diſcere igitur docere eſt.

Ex Accidenti: ut, Socrates diuerſus eſt à Coriſco, Coriſcus homo eſt, Socrates igitur eſt quid diuerſum ab homine.

Ex Accidenti iterum: Homo eſt animal, animal eſt genus, homo igitur eſt genus.

Itemq́ꝫ, Homo eſt animal, animal tribus ſyllabis conſtat, homo igitur tribus conſtat Syllabis.

Ex Accidenti quoqꝫ ſic: Homo eſt animal, animal eſt neutrum, homo igitur eſt neutrum.

Quodam modo, & omnino: ut, Simon eſt ſutor & bonus, bonus ſutor bonas caligas facit, Simon igitur bonas caligas facit.

Commentitia captio eſt huiuſmodi: Quod non eieciſti habes, cornua non eieciſti, habes igitur cornua.

Rhetorica captio efficitur ſic: Quæ dicis ex ore exeunt tuo, bouem dicis, ex ore igitur tuo bos exit.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMA
EMANUELE

S.EBASTIANVS

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

GRYPHIVS
EXCVDEBAT
LVGDVNI,
ANNO
M. D. XXXXVII.